De
Sacramentis in genere.

Summa

praelectionum, quas in C. R. Universitate Oenipontana

habuit

Josephus Müller S. J.

Liber in privatum auditorum usum ordinatus.

Editio altera.



Oenipontе.
Typis Feliciani Rauch.
1915.

4472

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/desacramentising0000jose

Prooemium.

I. Nexus inter Verbum incarnatum et ecclesiae sacramenta. — In cursu theologico tractatum de Verbo incarnato excipere solet doctrina de sacramentis; atque recto quidem ordine ita proceditur; non enim una solum relatione sacramenta cum Verbo incarnato connectuntur. Nimirum sacramenta media quaedam sunt externa et visibilia, quibus Deus satisfactionem et merita Christi hominibus applicat atque gratias et virtutes supernaturales iisdem infundit. Quare *eadem sacramenta primo Verbi incarnati imitationes quaedam vel adumbrationes sunt.* Sicut enim in humana Christi natura visibili plenitudo divinitatis Verbi inhabitat, atque per eam nostram salutem operabatur, ita in sacramentis sub rei sensibilis visibili forma virtus divina quasi inexistit et fidelibus gratiam impertitur. „Instrumenta, inquit *S. Thomas*, oportet primae causae esse proportionata. Prima autem et universalis causa humanae salutis est Verbum Incarnatum . . . Congruum igitur fuit, ut remedia, quibus universalis causae virtus pertingit ad homines, illius causae similitudinem haberent, ut scilicet in iis virtus divina invisibiliter operaretur sub visibilibus signis" (C. g. 4. 56). 1.

Secundo sacramenta instrumenta Christi sunt, quibus ipse per ministros suos suam personam agentes ad sanctificandos homines utitur; sacramentorum igitur administratio Christi operatio est; nam sacramenta ab ecclesiae ministris non suo sed Christi nomine administrantur, quemadmodum 2.

aliquis legatus, praecise ut legatus est, nunquam suo, sed regis sui nomine semper agit. Sicut igitur Christus ipse olim in Palaestina vitam mortalem agens in propria persona loquendo vel tangendo similive modo peccata remittebat et homines sanctificabat, ita mediantibus signis sacramentalibus, quibus efficaciam ipse largitur, nunc et in omni futura ecclesiae duratione per ministros suos peccata delet, homines sanctificat, iisdem Spiritum Sanctum largitur. Apposite *S. Augustinus*: „Hic (Christus) est, qui baptizat in Spiritu Sancto, nec, sicut Petilianus dicit, iam baptizare cessavit, sed adhuc id agit, non ministerio corporis, sed invisibili opere maiestatis“ (Cont. litt. Petil. l. 3. c. 49. n. 59.). Et *Adelmannus* in epistola ad Berengarium: „Christus per manum et os sacerdotis baptizat; Christus per manum et os sacerdotis corpus et sanguinem suum creat . . . Propter quod sacerdos est in aeternum, quia ipse est, qui baptizat et immolat. Nam quod semel fecit passibiliter per seipsum, id quotidie agit impassibiliter per eos, quibus dedit potestatem filios Dei fieri . . .“ (cf. Migne 143, 1293.).

3. *Tertio denique sacramenta redemptionis Christi fructus sunt et applicatio* atque omnem suam virtutem atque efficaciam ex illa habent; quare ut continuatio quaedam vel multiplicatio virtutis Christi redemptricis et sanctificatricis considerari possunt; hanc enim mediantibus sacramentis non solum uno loco, uno tempore, ut olim in Palaestina visibiliter exserit, sed omni aetate et loco invisibilis ipse per visibilia signa hominibus applicat et adeo salvatorem perenniter se exhibet. Ad rem *Dionysius Carthusianus:* „Necessarium est, meritum passionis Christi aliquo modo applicari hominibus. In passione nempe Christi est quasi quaedam universalis virtus communeque meritum contra omnes malitias: tum culpabiles, quae sunt tres, scilicet culpa originalis, venialis atque mortalis, quam poenales, quae quatuor sunt, utpote ignorantia, malitia, infirmitas et concupiscentia. Porro universalem virtutem determinari oportet ad particulares effectus per apta proportionataque media. Haec ergo, per quae contra varios languores virtus passionis dominicae applicatur hominibus,

sacramenta vocantur, quae sunt velut quaedam medicinalia vasa divinae gratiae contentiva et causativa, virtutis suae efficaciam a plenitudine meriti Christi adepta“ (Dial. de fide orthod. l. 5. a. 1.; cf. S. Thomas, prol. in l. 4. sent.).

4. ***2. Dignitas sacramentorum.*** — Ex triplici assignata sacramentorum ad Verbum Incarnatum relatione eorum dignitas facile perspicitur.

Etenim *primo sacramenta sublimem naturae sensibilis elevationem constituunt*, quippe quae natura sensibilis per sacramenta instrumentum Spiritus Sancti evadit in ordine ad effectus supernaturales gratiae et salutis producendos; qua ratione ipsae creaturae irrationales fini suo, gloriae Dei et hominis saluti, nobilissimo modo inserviunt, atque ipsae quoque ordini supernaturali quasi implantantur.

Hinc *secundo sacramenta mirabilia potentiae et sapientiae divinae opera atque argumenta sunt.* Quid enim magis miram Dei omnipotentiam arguit, quam quod per infima elementa sensibilia ut instrumenta gratiam impertiat, hominem sanctificet, Spiritum Sanctum largiatur? Sapientia vero divina tum plures ob alias causas tum ideo imprimis resplendet, quia sacramenta propter suam ex re sensibili et virtute spirituali compositionem tum auctori suo, tum hominibus eadem recipientibus, utpote etiam ex duplici elemento materiali et spirituali constantibus, pulchre conformantur.

5. *Tertio sacramenta divinae bonitatis insignem tesseram constituunt*, quippe quae fontes perennes sunt, quibus ecclesia Dei Christi sanguine quasi irrigatur, peccata abluuntur, infirmitas humana sublevatur, virtutes producuntur et nutriuntur, varii status humanae vitae sanctificantur, vita et salus supernaturalis fundatur et alitur.

Quamobrem sacramenta a SS. Patribus dicuntur: Incarnationis reliquiae; canales per quos innumera beneficia ad nos defluere Christus decrevit; vasa pretiosa, in quibus Christi sanguis et merita continentur, medicamenta sauciatae humanae naturae; fontes aquarum salientium in vitam aeternam, per quos lapsi homines eriguntur, curantur, ad beatitudinem perducuntur.

6. Denique *quarto sacramenta vincula sunt, quibus fidelium multitudo in unum coalescit et colligatur corpus*, cuius caput virtutem iugiter influens est Christus; quod innuit Apostolus: „*Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi . . . crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate*“ (Eph. 4, 11 ss.). Idem declarat *catechismus Romanus* institutionis sacramentorum causas exponens: „Sed quarta etiam causa accedit, cur sacramentorum institutio necessaria videri possit, ut scilicet notae quaedam et symbola essent, quibus fideles internoscerentur; cum praesertim nullus hominum coetus queat, ut etiam a D. Augustino traditum est, sive verae sive falsae religionis nomine, quasi in unum corpus coagmentari, nisi aliquo visibilium signorum foedere coniungantur. Utrumque igitur praestant novae legis sacramenta, quae et christianae fidei cultores ab infidelibus distinguunt, et ipsos fideles sancto quodam vinculo inter se connectunt“ (P. 2. c. 1. n. 14. cf. Hurter comp. III 8 n. 245 ss.).

7. ***3. Divisio tractatus.*** — Ex praecedentibus evidens est, quam gravis et theologi studio digna sit theologica de sacramentis tractatio. Iamvero, cum diversa sacramenta in aliis conveniant, in aliis differant, distinctis tractatibus prius de sacramentis in genere, deinde de sacramentis singulis in specie agendum est. In praesenti igitur tractatu de sacramentis in genere ea explicanda sunt, quae sacramentis omnibus sunt communia, ut communis notio, constitutio, causa, causalitas, effectus aliaque plura. Quae omnia a diversis auctoribus diverso ordine pertractantur. Optimo ordine procedere videtur S. Thomas in Summae theologicae 3. p. q. 60—65; quo ordine, ad substantiam quod attinet, servato praesentem tractatum hunc in modum dividere placet:

Quaestio prima: De essentia et existentia sacramentorum.
Quaestio secunda: De causalitate sacramentorum.
Quaestio tertia: De effectibus sacramentorum.
Quaestio quarta: De institutore sacramentorum.
Quaestio quinta: De ministro sacramentorum.
Quaestio sexta: De subiecto sacramentorum.
Quaestio septima: De sacramentorum numero et ordine.

4. Auctores insigniores. — Inter *SS. Patrum* 8.
opera nullum est, quod proprie tractatum de sacramentis in genere constituat; verum de quaestionibus huc pertinentibus incidenter sive in operibus de singulari aliquo Sacramento, ut v. g. *Augustinus* in libris de baptismo, sive etiam in aliis tractaverunt; quae diversa opera in ipso tractatus decursu allegabuntur. Hoc loco solum haec adducere sufficit: *Cyrillus H.*, Catecheses; *Ambrosius*, De mysteriis; *Ps. Ambrosius* (Maximus Tur?), Libri sex de sacramentis; *Isidorus Hisp.*, De ecclesiasticis officiis.

Inter *theologos antiquiores* praestant: *Hugo Vict.*, de 9.
sacramentis christianae fidei; id., Summa sententiarum; *Petrus Lombardus*, sententiarum libri IV, p. 4., quod opus deinceps plerique Scholastici usque ad saeculum 16. commentati sunt; *S. Thomas*, in 4. d. 1. ss.; idem, S. th. 3. p. q. 60. ss.; idem, c. g. l. 4. cc. 56—59; idem, opusculum de articulis fidei et ecclesiae sacramentis; *Melchior Canus*, Relectio de sacramentis in genere; *Suarez*, in 3. p. S. th.; *Bellarminus*, controvers. l. 3.: *De Lugo*, disp. de sacramentis; *Jouinius*, Comment. historicus et dogmaticus de sacramentis; *Drouinius*, de sacramentis in genere; *Chardon*, Histoire des sacrements.

Ex *recentioribus* consuli possunt imprimis: *Franzelin*, 10.
de sacramentis in genere; *De Augustinis*, de re sacramentaria t. 1.; *Billot*, de sacramentis t. 1.; *Sasse*, De sacramentis t. 1.: *Oswald*, die dogmatische Lehre von den hl. Sakramenten; *Gihr*, die hl. Sakramente; *Schanz*, die Lehre von den hl. Sakramenten; *Probst*, die Sakramente u. Sakramentalien in den ersten 3 Jahrh.; *Scheeben-Atzberger*, Handbuch der kath. Dogmatik, 4. Bd. § 337 ff.; *Heinrich-Gutberlet*, Dogmat. Theologie, 9. Bd. § 485 ff.

Quaestio prima.

De essentia atque existentia sacramentorum.

Articulus primus.

De communi ratione, in qua sacramenta N. F. et V. F. conveniunt.

Thesis 1. Cum sacramenta V. F. et N. F. essentialiter quidem differant; nihilominus in communi quadam ratione conveniunt.

Declaratio.

1. ***1. Quaestionis argumentum et divisio.*** — Cum de aliqua re scientifica inquisitio instituitur, primo de iis, quae in ipsa re priora et principia aliorum sunt, scilicet de essentia, existentia, natura agi solet; vel determinatur, quid res sit vel quommodo definiatur, utrum existat, quommodo intrinsecus constituatur; deinde vero alia, quae ex illis quacunque ratione consequuntur, scilicet proprietates, actiones similiave declarantur. Qua ratione imprimis in hoc tractatu de sacramentis in genere procedendum est, ne a principio disputatio in obscuritate et confusione versetur, sed in clara luce procedat. Itaque tria in hac prima quaestione inquiruntur; *primo* determinanda est essentialis tum differentia tum convenientia inter sacramenta Novae Legis et sacramenta Veteris Legis sive definitio tum communis tum propria sacramentorum N. L. et V. L. statuenda est. *Secundo* demonstratur existentia sacramentorum imprimis V. L. *Tertio* in-

terna sacramentorum N. L. constitutio vel compositio explicatur. Hinc triplex primae quaestionis articulus est:

Articulus primus: De communi ratione sacramentorum N. L. et V. L.

Articulus secundus: De existentia sacramentorum.

Articulus tertius: De interna constitutione sacramentorum N. L.

2. Variae significationes vocis sacramenti. 2. — Si etymologia huius vocis consideretur, nihil aliud nisi rem sacram significat. Porro auctores profani hac voce designarunt pignus a litigantibus in loco sacro vel apud pontificem depositum: litigantes enim in eum finem pecuniam deponere solebant, ut qui causam amitteret, pecunia mulctaretur, cuius altera pars aerario altera victori obtingebat. Maxime vero nomine sacramenti iuramentum denotabatur militare, quo milites patriae obstringebantur. Hinc vero vox sacramenti extensa est ad significandum quidquid iuramento interposito actum est (cf. Quintilianus inst. or. l. 12. c. 2.). — Sed seposito usu profano vocabuli iam accuratius considerandus est eiusdem usus sacer et ecclesiasticus, qui cognatus quidem cum illo, sed simul ab eodem satis diversus est. Nimirum a Scriptoribus latinis omne id sacramentum dicitur, quod a graecis μυστήριον vocatur, cuius vocis significatio nulla alia est, quam *sacrum occultum*. Hinc vero duplex generalior significatio vocis sacramenti apud christianos in usu fuit, quam innuit *Magister sententiarum* his verbis: *sacrum signatum et sacrum signans* (4. d. 1.). Itaque:

1) Prima generali significatione res ipsae sacrae et occultae sacramenta dicuntur. — 3. Qua ratione sacramenta vocantur capita quaedam doctrinae christianae, sive quia sola revelatione innotescunt, sive quia non initiatis occultabantur. Hac significatione vocem sacramenti *Scriptura* adhibet: „*Nescierunt sacramenta Dei*“ (Sap. 2, 22.). ubi sacramenta consilia Dei intelliguntur. Similiter ipse Christus vel Incarnatio a Scriptura praedicatur „*sacramentum voluntatis Dei, quod ipse nobis notum fecit*“ (Eph. 1, 9.): „*dispensatio sa-*

cramenti absconditi a saeculo in Deo, quod innotescit per ecclesiam" ib. 3, 2 ss.; *mysterium, quod absconditum fuit a saeculis et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius, quibus Deus voluit notas facere divitias sacramenti huius in gentibus, quod est Christus in vobis spes gloriae* (1 Col. 1, 26. 27.); *manifesto magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne . . . . praedicatum est gentibus, creditum est in mundo*" (Tim. 3, 16.).

4. Eadem significatio apud *SS. Patres* occurrit. Sic v. g. a *Tertulliano* doctrina ab ecclesia tradita *eiusdem sacramenti una traditio* vocatur: „Itaque tot ac tantae ecclesiae, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes prima, et apostolicae, dum una omnes probant unitatem; dum est illis communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis, quae iura non alia ratio regit, quam eiusdem sacramenti una traditio" (de praescr. c. 20. fine.). Item *Cyprianus* unitatem evangelicae fidei et apostolicae traditionis unitatem evangelici sacramenti appellat: „Nunc vero et vos congruentem fidei vestrae tenorem atque individuae caritatis et concordiae legem Dominica pace tenuistis, et exemplum ceteris dilectionis et pacis vestro itinere fecistis, ut ecclesiae veritas et evangelici sacramenti unitas, quae a nobis tenebatur, vestro etiam consensu ac vinculo verteretur" (Ep. 51. n. 1.).

5. 2) *Altera significatione generali voce sacramenti denotantur res, quae dispositione divina aut saltem auctoritate sacra aliarum rerum sacrarum signa constituta sunt.* — Quae significatio item usu *Scripturae* probata et sacrata est. Huc pertinet v. g. Dan., 17, 18 (coll. 30, 47), ubi somnium de statu gigantea, quia futura portendebat, sacramentum vocatur: „*Et ingressus est domum suam, Ananiaeque et Misaëli et Azariae, sociis suis, indicavit negotium, ut quaererent misericordiam a facie Dei coeli super sacramento isto, et non perirent Daniel et socii eius cum ceteris sapientibus Babylonis. Tunc Danieli mysterium per visionem nocte revelatum est; et benedixit Daniel Deum coeli . . .*" Item huc pertinet Eph. 5, 28—32, ubi S. Paulus

matrimonium *magnum sacramentum* appellat, utpote quod est signum coniunctionis Christi cum ecclesia: „*Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus ecclesiam; quia membra sumus corporis eius, de carnibus eius et de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in ecclesia.*“

Eodem loquendi usu *SS. Patres* quoque utuntur, ut 6
S. Augustinus testatur: „Signa cum ad res divinas pertinent, sacramenta appellantur“ (Ep. 138. n. 7.). Qua ratione *Tertullianus* V. F. typos *figurarum sacramenta* vocat (c. Marc. l. 5. c. 1.). Item *S. Ambrosius* transitum per mare rubrum aliosque V. F. typos sacramenta nominat. *Cyprianus* quoque hunc modum loquendi sectatur: „In orationibus vero celebrandis invenimus observasse cum Daniele tres pueros, in fide fortes et in captivitate victores, horam tertiam sextam nonam, sacramenta scilicet Trinitatis, quae in novissimis temporibus manifestari habebat“ (l. de orat. dominica n. 34); et paulo inferius: „Sed nobis, fratres dilectissimi, praeter horas antiquitus observatas, orandi nunc et spatia et sacramenta creverunt. Nam et mane orandum est, ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur.“ Denique eodem sensu ex mente *S. Augustini* sacrificium quoque sacramentum vocari potest: „sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, i. e. sacrum signum est“ (De civit. Dei l. 10. c. 5.); et alibi idem Doctor omnes caeremonias cultus externi divini sacramenta appellat: „In nullum autem nomen religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur; quorum sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, et ideo contempta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas“ (c. Faust. Man. l. 19. c. 11. in fine.).

7. *3) Tandem tertia significatione et maxime iam usitata ea tantum signa sacramenta dicuntur et intelliguntur, quae significant et efficiunt simul sanctificationem internam vel gratiam sanctificantem.* — Et haec quidem significatio cum prioribus cohaeret et cognata esse perspicitur, sed sane magis determinata est atque saeculorum decursu plane propria evasit. Etenim in ecclesia per Christi institutionem sacri quidam ritus existunt, qui quidem cum aliis in eo conveniunt, quod rationem signi rem sacram significantis habent, ab omnibus autem aliis duplici ratione essentialiter differunt: scilicet *primo* non quamcunque rem sacram, sed praecise sanctificationem, qua homines filii Dei fiunt, significant; et *secundo* eorum significatio non pure theoretica et speculativa, sed practica et efficax est, vel sanctificationem non solum significant, sed etiam efficiunt. Atque hoc sensu Romani Pontifices, Concilia, theologi communiter et proprie vocem sacramenti usurpare solent. Ita *Eugenius IV.* in Bulla: *Exultate Deo* sive in decreto pro Armenis (D.n. 590 ss.). *Concilium Tridentinum* (sess. 7. decret. de sacram. c. 1. ss. cf. D. n. 726 ss.), *S. Thomas* aliique theologi passim.

8. *4) Denique accedit quarta significatio, qua tum haec sacramenta proprie dicta N. F. tum aliqui ritus V. F. non solum generali illo sensu utroque supra relato, neque speciali et proprio solis sacramentis N. F. modo tributo, sed alio etiam quadam ratione speciali et propria uno sacramentorum nomine comprehenduntur.* — Revera SS. Patres, Concilia, theologi quosdam ritus V. L. simul ut sacramenta strictiori sensu considerant et uno nomine cum sacramentis N. L. comprehendunt atque simul illos ab his essentialiter differre declarant. Quod facile videt, qui haec similiave testimonia vel decreta accurate considerare voluerit: „Prima sacramenta, quae observabantur et celebrabantur ex lege, praenuntiativa erant Christi venturi, quae cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt, et ideo ablata, quia impleta . . . et alia sunt instituta virtute maiora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tamquam iustitia fidei revelata et in libertatem vocatis filiis Dei, iugo servi-

tutis ablato, quod duro et carni dedito populo congruebat" (*S. Augustinus,* c. Faust. Man. l. 19. c. 13.). „Novae legis sacramenta multum a sacramentis differunt Antiquae Legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; haec vero nostra et continent gratiam et ipsam digne suscipientibus conferunt" *(Decret. pro Armenis).* „Sacrosancta Romana Ecclesia, Domini et Salvatoris nostri voce fundata . . . firmiter credit, profitetur et docet, legalia Veteris Testamenti, seu Mosaicae legis, quae dividuntur in caeremonias, sacra, sacrificia, sacramenta, quia significandi alicuius futuri gratia fuerant instituta, licet divino cultui illa aetate congruerent, significato per illa Domino nostro Iesu Christo adveniente cessasse, et Novi Testamenti sacramenta coepisse" (*Decret. pro Iacobitis*). „Si quis dixerit, ea ipsa Novae Legis sacramenta a sacramentis Antiquae Legis non differre, nisi quia caeremoniae sunt aliae et alii ritus: anathema sit" (*Conc. Trid.* sess. 7. can. 2.). Iamvero, quaenam illa quarta significatio vocis sacramenti sit, in qua sacramenta tum N. L. tum V. L. conveniunt, in ipso thesis corpore determinandum erit.

9. ***3. Status quaestionis et demonstrationis ratio.*** — Iam suppositis diversis illis vocis sacramenti significationibus in essentiam sacramentorum ita inquirendum est, ut ex tali inquisitione tum essentiales differentiae tum ratio communis sacramentorum utriusque Foederis accurate perspiciatur, vel ut inde definitio tum communis tum propria utriusque speciei vel quasi speciei sacramentorum eruatur.

Quia autem ex nulla definitione ecclesiae neque ex ullo fonte theologico constat, sed controversum potius est, quinam ritus omnes et soli in Vetere Lege proprie sacramenta sint, in hac inquisitione non ita procedi potest, ut ex subiectis omnibus definiendis simul consideratis vel comparatis communis essentia abstrahatur, sed alia via ingrediendum est. Nimirum statutis notis essentialibus sacramentorum N. L. per considerationem indolis propriae Novae Legis satis commode invenitur, quaenam ex illis notis essentialibus sacramentis N. L., ut sunt talia, exclusive propriae sint. Quibus abstractis

iam definitio tum communis tum propria sacramentorum V. L. et N. L. resultat. Quatuor igitur gradibus tota demonstratio absolvitur: Primo notae essentiales sacramentorum N. L. determinantur; secundo differentia inter utramque oeconomiam, novam et veterem, explicatur; tertio specifica differentia inter sacramenta utriusque foederis stabilitur; quarto denique tum communis tum propria definitio sacramentorum utriusque foederis eruitur.

Demonstratio.

10. ***1. Notae essentiales sacramentorum N. L. determinantur.*** — Si doctrina in ecclesia vigens et modus loquendi observatus accuratius considerentur, sacramentum N. L. presse et proprie dictum quatuor notas essentiales complecti perspicitur; quae quidem notae, cum pleraeque ex professo infra demonstrentur, hoc loco non adeo demonstrandae, quam exponendae sunt. Itaque:

1) Sacramentum in genere signi continetur. — Quod iam satis constat ex iis, quae supra de varia vocis sacramenti significatione dicta sunt. Cum vero signa ea sint, quae aliquid aliud ex se faciant in cogitationem venire (cf. Augustinus, de doctr. christ. l. 2. c. 1.) ideoque per se vel spiritualia vel sensibila esse possint, sacramentum signum sensibile est, utpote quod naturae humanae accommodatum esse debet. Quare *Chrysostomus* dicit: „Si incorporeus esses, nuda tibi illa et incorporea dona tribuisset, sed quia corpori coniuncta est anima, in sensibilibus spiritualia tibi largitur“ (In Matth. hom. 82. al. 83. n. 5.).

11. *2) Sacramenta N. L. ea signa sunt, quae significent gratiam vel sanctificationem internam, qua naturae divinae participes evadimus atque filii Dei nominamur et sumus.* — „Si quis dixerit, Sacramenta Novae Legis non conferre gratiam, quam significant etc.“ (C. T. Sess. 7. decret. de sacram. in gen. c. 6.); atque inferius iterum idem docet, ss. Eucharistiam conferens cum ceteris sacramentis: „Commune hoc quidem est sanctissimae Eucharistiae cum ceteris sacramentis,

symbolum esse rei sacrae et invisibilis gratiae formam invisibilem" (Sess. 13. c. 3). Porro, quia signa sunt vel rememorativa i. e. rem praeteritam significantia, vel demonstrativa i. e. rem praesentem ostendentia, vel prognostica i. e. rem futuram annuntiantia, sacramenta N. L. signa gratiae demonstrativa sunt, vel gratiam ut praesentem sive ut ad novam oeconomiam pertinentem ostendunt.

3) Sacramenta N. L. signa practica gratiae sunt. — 12. Scilicet cum signa vel sint speculativa i. e. rem solum significent non causent, vel practica i. e. simul rem significent simulque causent, sacramenta N. L. inter signa practica computantur, quia gratiam non solum significant, sed tamquam instrumenta Dei et Christi eandem etiam causant. Quod tum in canonibus pluribus conciliorum iam supra relatis aperte continetur, tum infra ex professo ostendetur.

4) Sacramenta N. L. signa sunt positiva ex institutione non humana, sed divina. — 13. Huc pertinet primus inter canones Concilii Tridentini de sacramentis in genere: „Si quis dixerit, sacramenta N. L. non fuisse omnia a Iesu Christo Domino instituta . . . anathema sit." Revera enim sacramenta suam significationem completam vel actualem neque ex natura rei neque ex humana institutione habere possunt. Nimirum alia signa sunt naturalia, quae ob naturalem suam cum re significata connexionem significant absque institutione positiva; alia sunt arbitraria sive positiva, quae ex institutione completam sive actualem vim significandi habent. Apposite *S. Augustinus:* „Signorum alia sunt naturalia, alia data. Naturalia sunt, quae sine voluntate atque ullo appetitu significandi praeter se aliquid aliud ex se cognoscere faciunt, sicut est fumus significans ignem et vultus irati affectionem animi significat . . . Data sunt, quae sibi quaeque viventia dant ad demonstrandum, in quantum possunt, quod interne sentiunt" (De doctrina christ. l. 2. c. 1.). Hinc igitur, quia signa sensibilia naturalem ullam connexionem cum gratia supernaturali habere nequeunt, sacramenta actualem gratiae significationem necessario ex positiva institutione habent. Haec vero institutio necessario divina est, quia sicuti Dei solius est

tamquam causam principalem gratiam conferre, ita Deo soli convenit. auctoritate propria ea signa instituere. quae certo gratiam significent.

14. Porro signa arbitraria sive positiva vel symbolica sunt, sive similitudinem quandam cum re significata habent: vel signa pura sunt sive nullam talem similitudinem exhibent. Iamvero sacramenta signa non pura sed symbolica sunt, ut scilicet homo magis convenienter per sensibilia ad spiritualia adducatur. Hinc *S. Augustinus:* „Si sacramenta, inquit, aliquam similitudinem earum rerum, quarum sunt sacramenta, non haberent, omnino sacramenta non essent" (Ep. 98 ad Bonifac. n. 9). Sacramenta igitur ex natura sua quandam aptitudinem ad significandum habent vel signa quasi in actu primo et incompleto sunt; ex sola vero positiva institutione divina habent, ut signa gratiae in actu secundo et completo sint.

15. *5) Sacramenta N. L. signa perpetua sive perpetuae institutionis sunt.* — Etenim sacramenta praecipui ritus sunt, quibus homines in unam veram religionem adunantur, in fidei ac cultus divini unitate constituuntur et continentur necnon a falsarum religionum sectatoribus discernuntur; verbo sacramentis homines in unum corpus Christi mysticum colligantur, quare tamdiu permanere debent, quamdiu ecclesia in terris peregrinatur et ex novis semper membris constituitur.

16. *6) Denique sacramenta N. L. signa sunt immediate et proxime ordinata non ad cultum Deo exhibendum, sed ad homines divino cultui consecrandos eosque sanctificandos.* — Quamobrem sacramenta a SS. Patribus et Ps. Dionysio (Hierarch. eccl. c. 3. n. 1.) sacrae initiationes appellantur. Atque hac ratione maxime sacramenta a sacrificiis differunt, quia haec immediate et proxime ad cultum Deo exhibendum referuntur. Nihil tamen repugnat, quominus idem sub alia et alia ratione simul sacramentum et simul sacrificium sit, ut infra de ss. Eucharistia patebit.

Atque his essentiales notae sacramentorum N. L. satis explicatae sunt. Iam explicanda venit propria indoles Novae Legis eiusque essentialis ab Antiqua Lege differentia.

2. Discrimen essentiale inter Novam Legem et Veterem Legem explicatur. — Essentiales differentiae inter Legem Novam et Legem Veterem ad duplex caput revocari possunt, prout scilicet utraque oeconomia aut absolute aut relative consideratur. 17.

1) Consideratio absoluta. — Vetus oeconomia per se spectata referebatur ad sanctitatem legalem et externam, quae unionem cum Deo dicit non internam sed externam, qua scilicet aliquid speciali modo Deo consecratur eiusque famulatui deputatur; nova autem oeconomia ad sanctitatem internam et supernaturalem, sive gratiam sanctificantem refertur, quae est unio cum Deo interna, physica, supernaturalis, qua homo ipsius naturae divinae particeps redditur et in dignitatem filiorum Dei assumitur. Quod essentiale discrimen inter utramque oeconomiam ipsa Scriptura manifeste docet.

a) Sic *ex una parte* nova oeconomia vel potius auctor eiusdem Christus Deus-homo nobis attulisse dicitur: *primo* gratiam et veritatem: *„Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est“* (Ioh. 1, 17.); *deinde* legem scriptam in cordibus: *„Hoc est testamentum, quod disponam domui Israël post dies illos . . . Dando leges meas in mentem eorum, et in corda eorum superscribam eos; et ero eis in Deum et ipsi erunt mihi in populum“* (Heb. 8, 10): *praeterea* circumcisionem cordis in Spiritu: *„Non enim qui in manifesto, Iudaeus est; neque quae in manifesto, in carne, est circumcisio: sed qui in abscondito, Iudaeus est; et circumcisio cordis in Spiritu, non littera; cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est“* (Rom. 2, 28. 29); *denique* spiritum adoptionis filiorum: *„Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater)“* (Rom. 8, 15). 18.

b) *Ex altera parte* lex vetus legi novae a Scriptura eatenus opponitur, quatenus illa huius perfectionibus caret: *imprimis* enim dicitur lex servitutis et timoris. Ita Rom. 8, 15. (v. supra), et iterum alibi: *„Dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem non legistis? Scriptum est enim: Quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera* (Gen. 16, 15. et 19.

21, 2.). *Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem; quae sunt per allegoriam dicta. Haec enim sunt duo testamenta. Unum quidem in monte Sina, in servitutem generans, quae est Agar; Sina enim mons est in Arabia. qui coniunctus est ei, quae nunc est Ierusalem, et servit cum filiis suis. Illa autem, quae sursum est Ierusalem, libera est, quae est mater nostra. Scriptum est enim: Laetare sterilis, quae non paris: erumpe et clama, quae non parturis, quia multi filii desertae, magis quam eius, quae habet virum* (Is. 54, 1.). *Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus*" (Gal. 4, 21 ss.); *praeterea* eius elementa dicuntur egena et vacua: „*Nunc autem cum cognoveritis Deum, imo cogniti sitis a Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis?*" (Gal. 4, 9.): *deinde* infirma et inutilis ad sanctitatem vocatur: „*Reprobatio quidem fit praecedentis mandati propter infirmitatem eius et inutilitatem*" (Heb. 7, 18). „*Si enim data esset lex, quae posset vivificare, vere ex lege esset iustitia, sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus*" (Gal. 3, 21—23.); *tandem* iustitiae V. L. fuisse dicuntur iustitiae carnis, quae animam non iustificent: „*Quae parabola est temporis instantis, iuxta quam munera et hostiae offeruntur, quae non possunt iuxta conscientiam perfectam facere servientem, solummodo in cibis et in potibus et variis baptismatibus et iustitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis*" (Heb. 9, 9. ss.). „*Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo*" (Rom. 3, 20.); *denique* lex vetus dicitur esse lex mortis et ministratio mortis: „*Lex enim iram operatur*" (Rom. 4, 5.). „*Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur*" (Rom. 7, 6.). „*Quodsi ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israël in faciem Moysis propter gloriam vultus eius, quae evacuatur, quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria?*" (Cor. 3, 7. 8.).

Quae cum ita sint, hoc loco dubitatio oritur, vel quaestio, **20.** *quomodo in Vetere Foedere voluntas Dei salvifica universalis circa Iudaeos versata sit,* vel qua ratione ipsis media salutis provisa sint. Quam quaestionem, ne tractatio nostra impedita sit, continuo expedire praestat. Itaque in toto Vetere Foedere duplex oeconomia vel providentia accurate discernenda est: Altera spiritualis erat et complectebatur destinationem ad finem supernaturalem salutis aeternae etiam post peccatum Adae perseverantem, promissionem gratiae ad hunc finem assequendum eiusdemque gratiae subministrationem. Altera temporalis erat et in foedere particulari continetur, quod Deus cum Patriarchis inchoavit, atque cum universo populo Israëlitico per Moysen ministrum absolvit atque accuratius expressiusque constituit. Et haec quidem oeconomia temporalis sive hoc foedus inter Deum et populum suum electum initum praecepta plura positiva atque peculiares caeremonias et promissiones temporales complectebatur, quibus populus Dei formari et aptus reddi debuit ad tutius conservandam et in dies melius explicandam oeconomiam illam spiritualem. Porro haec oeconomia spiritualis in paradiso instituta est promissione futuri Salvatoris caput serpentis diaboli contrituri, tamquam universalis totum genus humanum complectebatur, nunquam abroganda sed in plenitudine temporis absolvenda erat; denique spiritualis erat, quatenus tum finis tum media ad eum assequendum, gratiae scilicet supernaturales, totam naturam infinite quasi excedunt. Oeconomia autem illa temporalis vel foedus Mosaïcum formaliter consideratum ut distinctum ab oeconomia illa spirituali, quemadmodum a S. Paulo considerari solet, particularis erat atque solos Israëlitas respiciebat, temporaria et praeparatoria erat ideoque in plenitudine temporum abrogationi subiacebat. Iamvero de hac oeconomia V. F. presse dicta, non vero de illa spirituali oeconomia, ea valent, quae supra de Vetere Foedere dicta sunt: eius scilicet sanctificationem fuisse legalem tantum, eius elementa egena et infirma, ideoque ipsam inutilem et infirmam ad sanctitatem internam et supernaturalem exstitisse. Itaque Iudaeis ante Christum et a fortiori ceteris hominibus omnibus

circa salutem supernaturalem provisum non erat per Foedus Mosaïcum, sed per universalem illam oeconomiam spiritualem, quae tota quanta cum omnibus suis gratiis vel mediis salutis in futuris promissi Salvatoris meritis innitebatur. Et adulti quidem haec merita sibi actibus suis subiectivis vel personalibus fidei, spei, caritatis aliisque applicare debebant, ut ab Apostolo innuitur (Gal. 3, 11. 21. 22.) Parvulis vero qua ratione eadem merita applicarentur, paulo inferius explicabitur. Cf. Thomas 1. 2. q. 103 a. 2; q. 107. a. 1. ad 2.; q. 98 a. 2. ad 4.

21. 2) *Consideratio relativa.* — Vetus oeconomia conferens sanctitatem legalem realis erat prophetia ac typus novae oeconomiae conferentis sanctitatem internam, dum nova est antitypus, qui per veterem praefigurabatur. Quae iterum est manifesta Scripturae doctrina, imprimis in S. Pauli epistolis deposita: „*Quae* (sc. V. T. ritus et sacrificia) *parabola est temporis instantis, iuxta quam munera et hostiae offeruntur . . .*“ (Heb. 9, 9.). „*Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis . . .*“ (ib. 13. 14.). „*Omnia pene in sanguine secundum legem mundantur et sine sanguinis effusione non fit remissio. Necesse est ergo exemplaria quidem coelestium his mundari, ipsa autem coelestia melioribus hostiis, quam istis*“ (Ib. 22. 23.). „*Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum etc.*“ (Ib. 10. 1. ss.). „*Nihil enim ad perfectum adduxit lex; introductio vero melioris spei, per quam approximamus ad Deum.*“ (Ib. 7. 19) „*Lex paedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur.*“ (Gal. 3. 24.). „*Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt; et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari; et omnes eandem escam spiritualem manducaverunt; et omnes eundem potum spiritualem biberunt (bibebant autem de spirituali, consequente eos, petra; petra autem erat Christus). Sed non in*

pluribus eorum beneplacitum est Deo, nam prostrati sunt in deserto. Haec autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt . . . Haec autem omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines saeculorum devenerunt" (1. Cor. 10. 1—12.). „*Nemo vos iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi aut neomeniae aut sabbatorum, quae sunt umbra futurorum*" (Col. 2, 16.).

Hanc doctrinam Scripturae de habitudine inter vetus foedus et novum foedus SS. Patres et Theologi antiquiores imprimis non raro proponunt et urgent. Cf. S. Th. 1. 2. q. 101 ss.

22. ***3. Tum differentia tum convenientia inter sacramenta N. L. et V. L. expresse statuuntur.*** — Attente considerata propria indole utriusque foederis supra explicata, *iam facile eruitur,* quaenam ex notis essentialibus sacramentorum N. L. recensitis iisdem exclusive propriae et quaenam iisdem cum sacramentis V. L. communes sint; sacramenta enim cum indole eius oeconomiae ad quam pertinent, perfecte sane convenire debent. Itaque cum vetus oeconomia typus novae oeconomiae sit atque ad sanctitatem internam producendam efficacia sua non pertingat, manifesto consequitur, ex notis essentialibus sacramentorum N. L. ad has ut exclusive proprias pertinere duas priores, scilicet: *primo* quod gratiam vel sanctitatem internam significent de praesenti conferendam; et *secundo* quod eam non tantum significent, sed etiam conferant. Sacramenta vero V. L. his duabus notis carent, scilicet *primo* non significant gratiam de praesenti conferendam vel ad praesentem oeconomiam pertinentem, sed futuram potius; *secundo* neque eam conferunt; verum ex adverso sanctitatem legalem ad suam oeconomiam pertinentem tum significant de praesenti conferendam tum etiam conferunt. Aliis verbis *differentia inter sacramenta utriusque foederis sic exponi potest*: Sacramenta N. L. sanctitatis internae signa sunt demonstrativa et practica vel operativa; sacramenta autem V. L. eiusdem sanctitatis internae signa sunt non demonstrativa nec operativa, sed typica et

prognostica: sanctitatis vero legalis signa sunt demonstrativa et operativa. *In ceteris autem omnibus ita conveniunt, ut differentia essentialis nulla sit*: scilicet *primo* sacramenta utriusque foederis signa sensibilia sanctificationis et gratiae sunt; *secundo* signa sunt positiva et symbolica ex institutione non humana, sed divina; *tertio* signa sunt ex institutione permanente et stabili; *quarto* signa sunt immediate et proxime non ad cultum divinum, sed ad hominum sanctificationem ordinata.

23. Quae habitudo inter sacramenta nova et vetera ex utriusque oeconomiae propria indole deducta aliunde *etiam positive confirmatur*. *S. Augustinus* v. g. hunc in modum de sacramentis utriusque foederis disserit: „Si discernimus duo testamenta, vetus et novum, non sunt eadem sacramenta nec eadem promissa . . . Sacramenta non eadem, quia alia sacramenta sunt dantia salutem, alia promittentia salvatorem. Cum ergo iam teneas promissa, quid quaeris promittentia, habens iam salvatorem? Hoc dico, teneas promissa: non quod iam acceperimus vitam aeternam (i. e. consummatam), sed quia iam venerit Christus, qui per prophetas praenuntiabatur. Mutata sunt sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora. Promissa quare non eadem? Quia (in V. T.) promissa est terra Chanaan, terra copiosa, fructuosa, affluens lacte et melle . . . Sed quare ipsa primo promitti oportebat? Quia non primo, quod spirituale est, sed quod animale, postea, inquit, spirituale . . . Ad imaginem terreni pertinet vetus testamentum, ad imaginem coelestis novum testamentum. Sed Deus . . . utriusque testamenti se esse voluit auctorem, ut et terrena promitteret in V. T. et coelestia in N. T." (In ps. 73. n. 2.; c. Faust. l. 19. c. 13) Et *Eugenius IV.* in decreto pro Armenis docet: „Illa (sacram. V. L.) non causabant gratiam, sed eam per passionem Christi dandam esse figurabant": atque iterum in decreto pro Iacobitis: „Sacramenta V. F., quia significandi alicuius futuri gratia erant instituta, licet divino cultui illa aetate congruerent, significato per illa Domino nostro Iesu Christo adveniente cessasse et N. T. sacramenta coepisse." *Theologi* quoque communiter hac in re consentiunt.

Opponunt se solum Thomistae quidam et Vasquez (in 3. p. disp. 128. c. 5. n. 49. ss.) negantes, de essentia sacramentorum V. L. fuisse, ut sanctificationem legalem conferrent. — Verumtamen hoc ipsum quoque prorsus retinendum est. Etenim *primo* sacramentum proprie dictum semper intellectum est significare et conferre aliquam sanctificationem, quod etiam *S. Thomas* declarat: „Proprie dicitur sacramentum, quod est signum alicuius rei sacrae ad homines pertinentis, ut sc. proprie dicatur sacramentum, secundum quod nunc de sacramentis loquimur, quod est signum rei sacrae, in quantum est sanctificans homines" (S. th. 3. p. q. 60. a. 2.). *Secundo* si sola significatio futurae gratiae ad constituendum sacramentum sufficeret, omnes fere V. L. caeremoniae sacramenta dicenda essent, neque iam distinctio genuina inter sacramenta et sacrificia vetera remaneret, quod cum usu loquendi theologico et ecclesiastico satis pugnat. *Tertio* sacramenta V. L. reipsa „sanctificabant ad munditiam carnis" (Heb. 9, 13) seu sanctitatem legalem conferebant; ergo ratio nulla apparet, ob quam hoc ipsum ad essentiam eorum, utpote quae positiva Dei voluntate instituta sunt, pertinere negetur. *Quarto* sacramenta V. L. eo praecise gratiam per sacramenta N. L. collatam praefigurabant, quod ipsa sanctitatem legalem gratiae figuram conferebant; ergo cum illa praefiguratio ad essentiam veterum sacramentorum pertinere dicatur, etiam fundamentum eiusdem praefigurationis scilicet collatio sanctitatis legalis iisdem essentialis esse dicenda est. Apposite *S. Thomas:* „In vetere lege duplex immunditia observabatur; una quidem spiritualis, quae est immunditia culpae, alia vero corporalis, quae tollebat idoneitatem ad cultum divinum, et sic immunditia nihil aliud erat, quam irregularitas quaedam. Ab hac igitur immunditia caeremoniae V. L. habebant virtutem mundandi . . . Ab immunditia vero mentis quae est immunditia culpae, non habebant virtutem expiandi . . . Sciendum est tamen, quod hoc ipsum, quod V. L. caeremoniae a corporalibus immunditiis expiabant, erat figura expiationis a peccatis, quae fit per Christum" (S. th. 1. 2. q. 103, a. 2.). *Denique* haec doctrina *S. Thomae* quoque auctori- 24.

tate fulcitur. Quod iam patet ex testimoniis modo allatis accedunt vero insuper alia: „Sacramenta proprie dicuntur, quae adhibebantur Dei cultioribus ad quandam consecrationem, per quam scilicet deputabantur quodam modo ad cultum Dei“ (S. th. 1. 2. q. 102. a. 5.; cf. ib. q. 103. a. 2. ad. 1.; in 4 d. 1. q. 1. a. 5. sol. 1. ad 1. et sol. 3.).

25. ***4. Notio vel definitio tum propria tum communis sacramentorum utriusque foederis statuitur.*** — Ad definienda sacramenta utriusque Foederis definitione tum communi tum propria post declarationes praemissas iam facile et tuto procedi potest. Scilicet notis essentialibus in unum collectis sacramentorum tum N. F. tum V. F. propria definitio sponte resultat; praecisis vero notis utrique Foederi propriis, vel a sanctitate legali et sanctitate interna abstracto communi conceptu sanctitatis, quae sit in aliqua consecratione Deo facta, definitio communis sacramentorum utriusque foederis prodit. *Itaque sacramenta N. L. definiuntur*: Signa visibilia divinitus perenniter instituta ad hominum sanctificationem internam demonstrandam et efficiendam. *Sacramenta vero V. L. sunt*: Signa visibilia divinitus perenniter instituta ad demonstrandam et efficiendam hominum sanctificationem legalem et ad praefigurandam eo ipso sanctitatem internam vel gratiam. *Sacramenta denique utriusque foederis simul communi definitione definiri possunt*: Signa visibilia divinitus perenniter instituta ad hominum pro ratione oeconomiae ad quam pertinent sanctificationem tum demonstrandam tum efficiendam; vel forte considerata etiam praefiguratione gratiae per sacramenta V. L.: Signa visibilia divinitus perenniter instituta ad significandam gratiam sanctificantem et ad hominum pro ratione oeconomiae ad quam pertinent, sanctificationem tum demonstrandam tum efficiendam.

26. *Opponi tamen possunt contra has definitiones quaedam dubia.* Et *primo* quidem videri possit, sacramentum omnino definiri non posse. Etenim sacramentum unum per se non est, sed ex pluribus congregatur sive elementum materiale i. e. res significans et sanctificans et elementum formale i. e. significatio et sanctificatio in re sive ad invicem considerantur. Haec autem

plura ut v. g. significatio et sanctificatio in diversis praedicamentis i. e. relationis et actionis inveniuntur. Quare in una ratione obiectiva non conveniunt proindeque definiri non possunt. — *R.* Sacramentum non quidem metaphysice vel physice, sed moraliter unum est. Et *primo* quidem unitas est inter elementum materiale et formale, scilicet rem eiusque significationem et operationem sanctificatricem, quia haec duo per modum potentiae et actus se habent. *Secundo* etsi elementum materiale ex pluribus componatur, attamen haec plura ad invicem certam habitudinem, ut potentias et actus iterum, vel certum ordinem habent et eodem actu quasi informantur; eandem igitur fere unitatem habent, qua cum invicem uniuntur membra diversa familiae, exercitus, civitatis, ecclesiae, ordinis religiosi et ita porro. *Denique tertio* illae duae rationes obiectivae significationis et collationis sanctitatis non sunt disparatae, sed potius unam notam obiectivam signi practici constituunt; sacramenta enim non divisim significant et sanctificant, sed potius sanctificando significant vel melius significando causant sanctificationem, ut infra accuratius explicabitur. Sacramento igitur non deest unitas ad ipsum definiendum requisita ea definitione, qua generatim ens morale definiri potest.

Secundo videri possit, sacramenta N. L. et ea V. L. non 27.
univoce convenire in eadem ratione obiectiva supra statuta, quod tamen ad propriam definitionem requiritur. Etenim sacramenta V. L. eodem modo se habent ad sacramenta N. L., quo sanctitas legalis ad sanctitatem internam refertur. Atqui sanctitas legalis collata cum sanctitate interna non univoce sed analogice tantum sanctitas est. Ergo sacramenta quoque V. L. relate ad sacramenta N. L. non univoce sed analogice tantum sacramenta sunt: quare communi definitione definiri non possunt. — *R.* Aliqui theologi ad hanc dubitationem reponunt a sanctitate legali et sanctitate interna abstrahi posse aliquem conceptum communiorem sanctitatis, quae dicat aliquam specialem creaturae cum Deo coniunctionem vel consecrationem alicuius rei Deo factam, atque hanc communiorem rationem sanctitatis utrique sanctitati legali et internae univoce convenire, quamvis haec illa incomparabiliter fere prae-

stet; qua ratione difficultas proposita radicitus removetur. Alii vero contendunt, conceptum illum communiorem sanctitatis relate ad sanctitatem legalem et internam unum quidem sed non univocum, verum analogum analogia attributionis internae esse, quia sanctitas legalis et sanctitas interna in ipsa ratione coniunctionis cum Deo intrinsecus differunt.

28. Atque hoc quidem verius esse videtur et simul ad plenam solutionem propositae difficultatis sufficit. Etenim ad veram definitionem non requiritur, ut univoce inferioribus conveniat, sed sufficit, si rationem unam inferioribus convenientem exhibeat. Sic etiam ratio substantiae, quae est eus per se relate. ad Deum et creaturas obiective quidem una sed non univoca verum analoga est atque nihilominus ut vera definitio considerari potest et solet. Ergo etiam illa ratio communior sanctitatis et consequenter etiam notio communis sacramentorum, quamvis non univoca, sed una solum et analoga sit, tamquam definitio vera considerari potest. Vel certe stabilita unitate obiectiva rationis sacramenti communis, quaestio an vera definitio sit necne iam non realis, sed solum de modo loquendi est. Rationem vero communem sacramenti reipsa obiective unam esse. ex superibus abunde constat imprimis, quia tum *SS. Patres* tum theologi communiter non solum sacramenta N. L., sed etiam ea V. L. tamquam vera et propria sacramenta considerant. Ita etiam *S. Thomas*, ut ex testimoniis allatis satis patet. Cf. S. th. 3. p. q. 60. a. 2. ad 2.

Corollarium.

29. ***Ex statutis definitionibus intelligitur, cur variae utriusque Foederis caeremoniae vel instituta sacramenta non sint.*** — *In Vetere Lege* v. g. sacrificia et multae caeremoniae, quamvis typicae et praefigurativae essent, ut consecratio tabernaculi et vasorum, expiationes domorum aliaeque nihilominus inter sacramenta non recensentur, quia scilicet non erant signa *practica* sanctificationis hominum; item typi multi alii ut transitus maris

rubri, manna, serpens aeneus, aqua de petra manans a ratione sacramenti proprie dicti defecerunt, tum quia non contulerunt ullam sanctitatem, tum quia perennem institutionem non habebant vel quia signum caeremoniale vel actio ad significandum aliquid sacrum non erant. Pari ratione *in N. L.* descensus columbae in baptismo Christi, igneae linguae in descensu Spiritus Sancti super Apostolos, verba Christi ad Magdalenam: *Remittuntur tibi peccata*, lotio pedum a Christo discipulis facta, aliaque sacramenta non fuerunt, quia ritus religiosi perenniter ad hominum santificationem instituti non erant. Tandem prima tonsura quoque, aspersio aqua lustrali facta, benedictio abbatum, professio religiosa, unctio regum, caeremoniae ad sacramenta additae, exorcismi aliaeque caeremoniae N. L. atque ipsum martyrium a ratione sacramenti deficiunt, quia non sunt signa practica a Deo instituta.

Scholion.

1. De varia significatione sacramentorum praesertim N. L. — Significatio sacramentorum iis, quae supra dicta sunt, non est exhausta; quare tum hic tum infra plura de eadem supplenda erunt. 30.

1) Et primo quidem, quia sacramenta significant sanctitatem vel gratiam, ideo ea quoque significare dicuntur, quae cum gratia causalem habent connexionem, scilicet causam gratiae meritoriam, quae est passio Christi, et causam finalem, quae in gloria coelesti continetur. — Apposite *S. Thomas:* „Sacramentum proprie dicitur, quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationem, in qua tria possunt considerari; videlicet ipsa causa santificationis nostrae, quae est passio Christi, et forma nostrae sanctificationis, quae consistit in gratia et virtutibus, et ultimus finis sanctificationis nostrae, qui est vita aeterna. Et haec omnia per sacramenta significantur. Unde sacramentum est et signum rememorativum eius, quod praecessit, scilicet passionis Christi, et demonstrativum eius, quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiae, et prognosticum i. e. praenuntiativum futurae

gloriae" (S. th. 3. p. q. 60. a. 3). Quae triplex significatio imprimis in ss. Eucharistiae sacramento apparet, ut Scriptura innuit (Ioan. 6, 50. ss.; 1 Cor. 11. 24—26.) et ecclesia manifesto prodit orans: „O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur" (Cf. etiam collectas missae de ss. Eucharistia). Item S. Paulus eandem triplicem significationem sacramento baptismi non obscure tribuit: „*An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quommodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini morti eius, simul et resurrectionis erimus, hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato*" (Rom. 6, 3 ss.). Idem de ceteris sacramentis N. L. valet. Imo de sacramentis V. L. quoque dicendum est, ea non tantum sanctitatem legalem demonstrasse et gratiam praefigurasse, sed etiam aliarum rerum signa prognostica fuisse: ita circumcisio v. g. tum imprimis adventum Christi in carne ex semine Abrahae tum novi foederis sacramentum, baptismum, praefigurabat.

31. *Notata significatio gloriae coelestis per sacramenta N. L. ad praeclaram harmoniam considerandam perducit, quae in supernaturali Dei providentia circa genus humanum resplendet.* — Scilicet quemadmodum sacramenta V. L. prognostica erant futurae gratiae et futurorum sacramentorum N. L., ita sacramenta N. L. futuram gloriam vel bona coelestia praefigurant; atque sic sacramenta nostra media consistunt inter sacramenta V. L. et bona coelestia. Sacramentorum vero indoli oeconomiae respondet, ad quam pertinent; ideoque etiam ecclesia Christi in terris degens media consistere perspicitur inter ecclesiam V. L. et eam coelestis Ierusalem. Hanc triplicis oeconomiae relationem ad invicem SS. Patres pulchre evolvunt S. Pauli verbis insistentes: „*Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam ima-*

ginem rerum" (Heb. 10, 1. ss.). Etenim vetus oeconomia cum nova comparata tamquam umbra ad corpus se habet (Col. 2, 17.) sive imperfecte solum bona per Christum afferenda praefigurabat. Nova vero oeconomia cum suis sacramentis aliisque institutis visibilibus imago est bonorum coelestium, i. e. multo manifestius et clarius ea nobis promittit atque ostendit. Apposite *S. Ambrosius:* „Primum umbra praecessit, secuta est imago, erit veritas. Umbra in lege, imago in evangelio, veritas in coelestibus. Umbra evangelii et ecclesiae congregationis in lege, imago futurae veritatis in evangelio, veritas in iudicio Dei. Ergo, quae nunc celebrantur in ecclesia, eorum umbra erat in sermonibus prophetarum, umbra in diluvio; umbra in rubro mari, quando baptizati sunt patres nostri in nube et in mari; umbra in petra, quae aquam fluxit et populum sequebatur. Nonne illud in umbra erat sacrosancti huius mysterii sacramentum? nonne in umbra erat aqua de petra, quasi sanguis ex Christo? . . . Sed iam discessit umbra noctis et caliginis Iudaeorum, dies appropinquavit Ecclesiae. Videmus nunc per imaginem bona et tenemus imaginis bona. Vidimus principem sacerdotum ad nos venientem, vidimus et audivimus offerentem pro nobis sanguinem suum; sequimur, ut possumus, sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio, quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur: imo ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur; et ipse quidem nobis apud Patrem advocatus adsistit; sed nunc eum non videmus, tunc videbimus, cum imago transierit, veritas venerit. Tum iam non per speculum, sed facie ad faciem ea, quae sunt perfecta videbuntur. Adscende ergo homo in coelum, et videbis illa, quorum umbra hic erat vel imago; videbis non ex parte, non in aenigmate, sed in consummatione, non in velamine, sed in luce" (in Ps. 38. n. 25; de offic. l. 1. c. 48. n. 248.). Similiter *Bruno Astensis*: „Primum igitur tabernaculum est synagoga, secundum ecclesia, tertium coelum . . . Primum in umbra fuit et figura, secundum in figura est et veritate,

tertium in veritate sola. In primo ostenditur vita, in secundo datur, in tertio possidetur. Non enim sacramenta ecclesiae ut sacramenta synagogae medicinam docent et ostendunt, sed ipsa potius sunt medicina et remissio peccatorum . . . In tertio vero tabernaculo nihil est in figura, omnia sunt ibi in veritate. Unde et Apostolus ait (1. Cor. 13. 12.): *videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum*" (Hom. 34. cf. S. Thomas. s. th. 1. 2. q. 101. a. 2; q. 103. a. 3; q. 106, a. 4. ad 1.).

32. 2) *Sacramenta singula praeter significationes hucusque notatas communes insuper specificas et unicuique proprias habent, sicut etiam singula suam propriam atque specificam efficaciam habent; atque hac propria et specifica significatione et efficacia ab invicem differunt.* — Qua ratione baptismus v. g. significat hominem ecclesiae vel corpori Christi mystico implantari atque hanc incorporationem etiam efficit. Similiter confirmatio significat subiectum militem Christi constitui atque ut talem interno sigillo impresso constituit. Pariter ss. Eucharistiae sacramentum corpus et sanguinem Christi praesentia esse significat atque hanc praesentiam etiam efficit. Item sacramentum ordinis potestatem sacram significat eamque confert. Et similiter de omnibus sacramentis dicendum est, ut inferius explicabitur. Scilicet de hac singulorum sacramentorum specifica et propria significatione et efficacia tum in quaestione de causalitate sacramentorum tum in tractatione de singulis sacramentis accuratius agendum est.

Articulus secundus.

De existentia sacramentorum.

Thesis 2. **Cum in statu innocentiae nulla sacramenta essent, vetus lex reipsa sua sacramenta habuit.**

Declaratio.

1. Argumentum et divisio thesis. — Explicata et stabilita notione sacramentorum, de eorundem existentia inquirendum est. In hac vero quaestione quadruplex status generis humani distinguendus est: 1) *Status innocentiae*, qui ea intelligitur felicissima corporis et animae conditio, in qua Protoparentes ante peccatum constituti erant. 2) *Status legis naturae*, qui statum innocentiae immediate subsecutus est; qui status lex naturae dicitur in oppositione ad legem scriptam Mosaïcam, quia praeter praecepta, quae ex ipsa natura humana eiusque elevatione ad finem supernaturalem connaturaliter consequuntur, nulla positiva Dei praecepta habebat, quibus cultus divinus regebatur vel determinatae caeremoniae religiosae praecipiebantur. Quare hic status non est confundendus cum ordine pure naturali. Cum enim in hoc tum finis tum media ad finem naturam non excedant, in statu illo legis naturae tum finis erat supernaturalis, tum media ad finem supernaturalem ut illustrationes et inspirationes divinae exhibebantur, tum virtutes supernaturales exercendae erant, quia scilicet homines primitivam revelationem traditione conservatam fide, spe, caritate amplecti debebant. Hic status legis naturae pro Israëlitis usque ad legem Sinaïticam a Moyse latam perduravit, ita tamen, ut intervallum, quod a praecepto circumcisionis Abrahae facto ad Moysis legislationem usque fluxit, veluti praeparatio ad legem scriptam Mosaïcam fuerit; pro ceteris vero nationibus legi Mosaïcae non subiectis status legis naturae saltem usque ad legis christianae promulgationem perseveravit. 3) *Status legis scriptae* vel *veteris legis*, solos Israëlitas respicit. Haec lex vetus ut ex supra dictis iam satis patet, illa positiva Dei 1.

institutio intelligitur, quae a Deo per Moysen ministrum populo Israëlitico imposita est eumque usque ad Christi mortem obligabat. 4) *Status legis novae* vel *gratiae* cum Christi morte incepit et ad finem usque mundi perseveratura est; lex scilicet nova nihil aliud est, quam ecclesia ab ipso Christo fundata.

2. Iam quaeritur, utrum in quovis horum statuum generis humani sacramenta exstiterint; ad quam quaestionem ut ordinate et accommodate respondeatur, in praesenti thesi considerationem ad statum innocentiae et legis scriptae restringere praestat; an vero in statu legis naturae sacramenta exstiterint, in sequenti thesi simul cum alio capite doctrinae huc pertinente inquiretur; denique de existentia sacramentorum N. L. hoc loco specialis tractatio instituenda non est, quia de hac re tum ex toto hoc tractatu de sacramentis in genere tum ex tractatione de singulis sacramentis abunde constabit.

3. ***2. Convenientia sacramentorum.*** — Obiective prior, quam existentia sacramentorum, eorundem convenientia est, ideoque explicatio huius convenientiae ad tractationem de existentia manuducit ac praeparat: quare plures theologi thesin de convenientia vel necessitate late dicta sacramentorum demonstrationi existentiae eorundem praemittunt. Verumtamen brevi praenotatione haec quaestio de convenientia sacramentorum expediri potest. Itaque *S. Thomas* existentiam sacramentorum pro statu naturae lapsae saltem, qui omnes status supra recensitos praeter statum innocentiae complectitur, convenientissimam fuisse paucis sic exponit: „Sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem triplici ratione: quarum *prima* sumenda est ex conditione humanae naturae, cuius proprium est, ut per corporalia et sensibilia in spiritualia et intelligibilia deducatur; pertinet autem ad divinam providentiam ut unicuique rei provideat secundum modum suae conditionis; et ideo convenienter divina sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus et sensibilibus signis, quae sacramenta dicuntur. *Secunda ratio* sumenda est ex statu hominis, qui peccando se subdit per affectum corporalibus rebus. Ibi autem debet medicinale remedium ho-

minibus adhiberi, ubi patitur morbum. Et ideo conveniens fuit, ut Deus per quaedam corporalia signa homini spiritualem medicinam adhiberet; nam si spiritualia nuda ei proponerentur, eis animus applicari non posset corporalibus deditus. Tertia autem ratio sumenda est ex studio actionis humanae, quae praecipue circa corporalia versatur. Ne ergo esset homini durum, si totaliter a corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad evitanda superstitiosa exercitia.. quae consistunt in cultu daemonum, vel qualitercunque noxia, quae consistunt in actibus peccatorum. Sic igitur per sacramentorum institutionem homo convenienter suae naturae eruditur per sensibilia; humiliatur se corporalibus subiectum cognoscens, dum sibi per corporalia subvenitur; praeservatur etiam a noxiis actionibus per salubria exercitia sacramentorum" (S. th. 3. p. q. 61. a. 1.; cf. in 4. d. 1. q. 1. a. 2.)

4. Similiter *S. Bonaventura*: „Quoniam gratia curativa non datur elatis, incredulis et fastidiosis, ideo oportuit haec signa sensibilia divinitus dari, quae non solum sanctificarent, et gratiam conferrent ac per hoc sanarent, verum etiam significatione erudirent, et susceptione humiliarent, et diversificatione exercitarent; ut sic per exercitationem exclusa avidia a concupiscibili, per eruditionem exclusa ignorantia a rationali, per humiliationem exclusa superbia ab irascibili, tota anima curabilis fieret a gratia Spiritus Sancti, quae reformat nos secundum has tres potentias ad imaginem Trinitatis et Christi" (Brevil. p. 6. c. 1. cf. in 4. d. 1. p. 1. a. 1. q. 1.; ib. d. 2. a. 1. q. 2.)

5. Aliae insuper rationes adduntur a *Catechismo Tridentino* (P. 2. c. 1. n. 14.), inter quas haec invenitur: „Praeterea aliam etiam iustissimam fuisse causam sacramenta instituendi ex illis Apostoli verbis Rom. 10, 10.: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, ostendi potest. Sacramentis enim fidem nostram in hominum conspectu profiteri et notam facere videmur; quare ad baptisma accedentes palam testamur nos credere, eius aquae virtute, qua in sacramento abluimur, spiritualem animae purgationem fieri."

Demonstratio.

I. p. In statu innocentiae nulla sacramenta fuerunt.

6. Hanc doctrinam theologi communiter cum *S. Thoma* profitentur exceptis paucissimis, ut v. g. *Belleli* (Mentis August. l. l. c. 20), qui oppositae adhaeret, et *Berti,* qui oppositae aliqua saltem ratione favet. Verum proposita doctrina satis certa est, quod non solum communi theologorum consensu constat, sed duplici etiam argumento satis ostenditur.

1. Probatur argumento negativo. — Neque ex s. Scriptura neque ex Traditione neque ex ullo alio fonte theologico afferri quidquam potest, ex quo existentia sacramentorum in statu innocentiae vel probabiliter solum deduci possit, ut vel ex ipsis rationibus ab adversariis allatis statim adducendis satis patet. Ergo existentia sacramentorum in statu innocentiae gratuito prorsus et sine ulla ratione asseritur. Etenim existentia illorum, quae ad ordinem supernaturalem pertinent vel a sola positiva voluntate Dei instituentis plane pendent, admitti nequit, nisi vel a Scriptura et Traditione proponatur vel etiam analogia fidei ex aliis revelatis deducatur. Ergo. — Argumentum, si rigorose accipiatur solum probat, oppositam opinionem arbitrariam esse: quare demonstratio confirmanda est altero argumento.

7. ***2. Argumento positivo ex indole illius status.*** — Considerata hac indole facile apparet, rationibus congruentiae existentiam sacramentorum in illo statu potius excludi. Etenim:

1. Sacramenta cum perfectione illius status non congruunt. — Nam perfectioni illius status congruum erat, ut homo non ex sensibilibus sanctificaretur. Quod *S. Thomas* sic exponit: „Cuius rei ratio accipi potest ex rectitudine status illius, in quo superiora inferioribus dominabantur, et nullo modo dependebant ab eis; sicut enim mens subserat Deo, ita menti subserant inferiores animae vires et ipsi animae corpus. Contra hunc autem ordinem esset, si anima perficeretur, vel quantum ad scientiam vel quantum ad gratiam per aliquid corporale, quod fit in sacramentis. Et ideo in statu innocen-

tiae homo sacramentis non indigebat, non solum in quantum sacramenta ordinantur ad remedium peccati, sed etiam in quantum ipsa ordinantur ad animae perfectionem" (S. th. 3. p. q. 61. a. 2.). In quo argumento animadvertendum est, scientiam de qua loquitur S. Thomas, accipiendam esse scientiam supernaturalium, quae ad sanctificationem requiritur; hanc enim imprimis primus homo infusam habebat neque convenienter ex sensibilibus signis accipere poterat.

2) *Considerata perfectione illius status sacramenta superflua erant.* — Etenim in illo statu primis parentibus concreata erat et posteris eorum congenita fuisset gratia et perfecta scientia et plena rectitudo voluntatis; atque insuper hanc gratiam et perfectionem facile suis actibus augere atque meritum gloriae sibi acquirere poterant: ergo sacramenta in illo statu superflua erant ideoque cum eo non congruunt. 8.

3) *Denique sacramenta in statu innocentiae existentia positivam huius status imperfectionem arguerent.* — Status innocentiae perfectus erat, quod gratiam et vitam supernaturalem attinet; atqui sacramenta aliquam sub hoc respectu imperfectionem supponunt. Ergo sacramenta in statu innocentiae non fuerunt. Minor probatur a *S. Thoma*: „Quandocunque ad perfectionem alicuius rei oportet aliquid apponere ultra id, quod requirit ordo illius naturae secundum se consideratae hoc accidit ad subveniendum alicui defectui illius rei; sicut quando ad sustentationem corporis non sufficit cibum ministrare, nisi addantur aliqua digestiva, signum est defectus in virtute digerente. Ex ordine autem humanae naturae nihil aliud requiritur ad eius perfectionem spiritualem nisi Deus influens, et gratia et virtutes influxae. Unde cum aliquae res corporales adhibentur ad hominis sanctificationem, ex quibus secundum ordinem naturae sanctificatio hominis non dependet, signum est, quod hoc sit ad subveniendem alicui defectui ipsius; et ideo cum hoc inveniatur in omnibus sacramentis, omnia sacramenta in remedium alicuius spiritualis defectus instituta sunt" (In 4. d. 2. q. 1. a. 1. c. 4.). 9

Excipiunt primo: In statu innocentiae homo eandem naturam sensibilem eandemque propterea rationem cogno- 10.

scendi spiritualia et supernaturalia connaturaliter per sensibilia signa habuit, quam habet in statu naturae lapsae; ergo quia propter hanc rationem sacramenta congruunt naturae lapsae, ideo propter eandem rationem naturae innocenti quoque congruere dicenda sunt. — *R. n.* consequentiam. Etenim quamvis eadem sit naturalis indoles hominis innocentis et hominis lapsi, status tamen diversus est. Apposite *S. Thomas:* „In statu innocentiae superiores partes hominis omnino inferioribus dominabantur; et ideo quamvis homo haberet sensus, et materialis esset, non tamen intellectus ex sensibilibus cognitionem accipiebat, sed ex influentia divini luminis habebat" (In 4. d. 1. q. 1. a. 2. sol. 2. ad 2). Et iterum: „Utilitas sacramentorum est eruditio et curatio. Quantum autem ad curationem omnibus patet, quod non erant necessaria sacramenta in statu innocentiae, cum tunc morbus non esset. Sed quidam dicunt quod erant necessaria quantum ad eruditionem, quia homo in statu etiam illo sensibilibus utebatur, et ita ex sensibilibus spiritualia significari congruebat. Sed hoc non videtur conveniens: quia significatio est ad acquirendam cognitionem de eo, quod significatur. Quamvis autem in primo statu sensibilia cognosceret, et in eis etiam spiritualium similitudines inspiceret, non tamen ex sensibilibus spiritualium cognitionem accipiebat, sed magis ex influentia divini luminis: et ideo sacramentis ad eruditionem non indigebat." (Ib. in corp.)

11. *Secundo excipiunt* ex *Augustino* eiusque plura testimonia specie adversa opponunt, v. g. „In nullum nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur" (cont. Faust. l. 19. c. 11). „Nec sine mysterio rerum spiritualium corporaliter praesentatis voluit hominem Deus in paradiso vivere. Erat ei ergo in lignis ceteris alimentum, in illo autem (ligno vitae) sacramentum" (De Gen. ad litt. c. 4. n. 8). Et in eodem opere paulo inferius addit: „potuisse per lignum, id est, per corpoream creaturam, tamquam sacramento quodam, significari sapientiam in paradiso corporali." — *R.* Omnia haec similiave testimonia intelligenda sunt non de sacramento proprie et

presse dicto, sed de sacramento agunt late dicto, quod nihil aliud, quam sacrum signum rei sacrae et occultae est; quod iam inde constat, quia secundum expressa verba *S. Augustini* sacramenta, de quibus agit, non solum in vera, sed in falsa quoque quavis religione inveniuntur.

Tertio excipiunt: „Matrimonium est quoddam sacra- **12.**
mentum secundum illud Ephes. 5, 32: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et Ecclesia.* Sed matrimonium fuit institutum ante peccatum, ut dicitur Gen. 2. Ergo sacramenta erant necessaria homini ante peccatum" (S. th. 3. p. q. 61. a. 2. arg. 3). *R.:* „Matrimonium fuit institutum in statu innocentiae, non secundum quod est sacramentum; sed secundum quod est in officium naturae: ex consequenti tamen aliquid significabat futurum circa Christum et ecclesiam, sicut et omnia alia quae in figura Christi praecesserunt" (ib. ad 3). Nam Apostolus vel prae oculis habet matrimonium Protoparentum et tunc vox sacramenti lato sensu accipienda est, quatenus quidem aliquid sacrum i. e. futuram Christi unionem cum ecclesia significabat, nullam autem sanctitatem efficiebat; vel matrimonium solum christianum considerat et tunc sacramentum sane stricte sumit; vel denique utrumque sensum quadam ratione coniungit. In neutro vero casu quidquam contra doctrinam statutam consequi manifestum est.

2. p. In statu vero legis Mosaïcae reipsa sacramenta exstiterunt.

Duplici quasi gradu huius partis demonstratio commode **13.**
absolvitur. Primo generatim ostenditur, in antiquo Foedere sacramenta exstitisse; secundo quaenam illa fuerint, determinatur.

1. In antiquo Foedere sacramenta exstiterunt. — Quamvis haec assertio ex prima thesi iam satis constat, nihilominus eam quibusdam argumentis in unum collectis demonstrare vel confirmare opportunum est. Itaque:

1) Probatur ex S. Scriptura. — Ex una parte Liber Leviticus refert, plures a Deo per Moysen institutas esse caeremonias sacras, quae sanctificationem legalem cul-

torum Dei spectarent et efficerent; ex altera vero parte S. Paulus docet, illas caeremonias, praeterquam quod sanctitatem legalem significabant et conferebant, gratiae quoque Christi praefigurativas fuisse (1. Cor. 10; Hebr. 9. et 10.): atqui haec est ipsa indoles sacramentorum Veteris Foederis: ergo Vetus Foedus reipsa sua sacramenta habuit.

14. 2) *Ex Traditione.* — Tum *SS. Patres* tum *Concilia* ita comparant et discernunt sacramenta N. L. et V. L., ut haec quoque tamquam vera et proprie dicta sacramenta considerasse facile cognoscantur. Cum huc pertineant testimonia iam in 1. thesi adducta, superfluum est, id novis documentis demonstrare.

15. 3) *Ex communi theologorum consensu.* — Reipsa quoad hanc doctrinam theologos consentire nulla dubitatio est. Quare pro ceteris audiatur *S. Thomas* hoc modo convenientiam institutionis sacramentorum in V. L. explicans: „Sacramenta necessaria sunt ad humanam salutem, in quantum sunt quaedam sensibilia signa invisibilium rerum, quibus homo sanctificatur. Nullus autem sanctificari potest post peccatum nisi per Christum, *‚quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiae suae . . . ut sit ipse iustus et iustificans eum, qui ex fide est Iesu Christi‘* (Rom. 3, 25.). Et ideo oportuit ante Christi adventum esse quaedam signa visibilia, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Salvatoris adventu. Et huiusmodi signa dicuntur sacramenta. Et sic patet, quod ante Christi adventum necesse fuit quaedam sacramenta institui“ (S. th. 3 p. q. 61. a. 3. in corp.). Atque ibidem ad secundum haec habet: „Status humani generis post peccatum et ante Christum dupliciter potest considerari: uno modo secundum fidei rationem, et sic semper unus et idem permanet, quia scilicet iustificabantur homines per fidem futuri Christi adventus: alio modo potest considerari secundum intensionem et remissionem peccati et expressae cognitionis de Christo: nam per incrementa temporum et peccatum coepit in homine magis dominari, in tantum, quod ratione hominis per peccatum obtenebrata, non sufficerent homini ad recte vivendum

praecepta legis naturae, sed necesse fuit determinari praecepta in lege scripta et cum his quaedam fidei sacramenta. Oportebat etiam, quod per incrementa temporum magis explicaretur cognitio fidei, quia, ut *Gregorius* dicit (hom. 16. in Ezech. a medio), per incrementa temporum crevit divinae cognitionis augmentum! Et ideo etiam necesse fuit, quod in vetere lege quaedam sacramenta fidei, quam habebant de Christo venturo, determinarentur; quae quidem comparantur ad sacramenta, quae fuerunt ante legem, sicut determinatum ad indeterminatum, quia scilicet ante legem non fuit determinate praefixum homini, quibus sacramentis uteretur, sicut fuit per legem: quod erat necessarium et propter obtenebrationem legis naturalis, et ut esset determinatior fidei significatio."

16. ***2. Quaenam sacramenta in V. L. fuerint, accuratius determinatur.*** — Theologi non omnes quidem consentiunt in singulis V. L. sacramentis determinandis, verum plerique ea admittunt, quae statuit *S. Thomas* in S. th. 1. 2. q. 102. a. 5.: „Sacramenta proprie dicuntur illa, quae adhibebantur Dei cultoribus ad quandam consecrationem, per quam scilicet deputabantur quodammodo ad cultum Dei. Cultus autem Dei generali quidem modo pertinebat ad totum populum, sed speciali modo pertinebat ad sacerdotes et levitas, qui erant ministri cultus divini. Et ideo in istis sacramentis V. L. quaedam pertinebant communiter ad totum populum, quaedam autem specialiter ad ministros. Et circa utrosque tria erant necessaria. Quorum *primum* est institutio in statu colendi Deum; et haec quidem institutio communiter quantum ad omnes fiebat per circumcisionem, sine qua nullus admittebatur ad aliquid legalium; quantum vero ad sacerdotes, per sacerdotum consecrationem. *Secundo* requirebatur usus eorum, quae pertinent ad divinum cultum: et sic quantum ad populum erat esus paschalis convivii, ad quem nullus incircumcisus admittebatur, ut patet Ex. 12.; et quantum ad sacerdotes oblatio victimarum, et esus panum propositionis et aliorum, quae erant sacerdotum usibus deputata. *Tertio* requirebatur remotio eorum, per quae aliqui impediebantur a cultu divino, scilicet immunditiarum; et sic quantum ad po-

pulum erant institutae quaedam purificationes a quibusdam exterioribus immunditiis, et etiam expiationes a peccatis; quantum vero ad sacerdotes et levitas erat instituta ablutio manuum et pedum et rasio pilorum." Et revera in his ritibus notae essentiales inveniuntur, quae ad sacramenta V. L. constituenda concurrunt; quod singula percurrenti facile patet:

17. *1) Circumcisio verum sacramentum erat.* — Etenim *primo* signum visibile erat ab ipso Deo perenniter institutum (Gen. 17, 11 ss.; Lev. 12, 3.; Ios. 5, 3. ss.); quo signo pueri Hebraeorum populo electo Dei inserebantur atque a gentibus segregabantur (Gen. 17, 4.; Exod. 12, 44—48; ib. 19, 5—6; Rom. 2, 25; ib. 9, 4. 5.). Circumcisio igitur specialem Israëlitarum cum Deo coniunctionem sive sanctitatem legalem tum significabat tum efficiebat (Gen. 17, 10.). *Praeterea* autem primum N. L. sacramentum baptismum eiusque gratiam praefigurabat, ut iam ex eo patet, quod Apostolus baptismum *circumcisionem Christi* appellat: „*Circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi; consepulti ei in baptismo*" (Coloss. 2, 11. 12.). Similiter *SS. Patres*, ut *Augustinus*: „Circumcisio fuit illius temporis sacramentum, quod praefigurabat nostri temporis baptismum" (De anima l. 2. c. 11. n. 15.; cf. *S. Thomas*, l. c. ad 1.).

18. *2) Sacerdotum consecratio quoque sacramentum fuit.* — Quod facile patet, considerata descriptione eiusdem, quam exhibet S. Scriptura Ex. 29. et Lev. 8. Etenim *primo* ritus erat a Deo institutus ad segregandos sacerdotes a reliquo populo eosque speciali modo Deo eiusque cultui consecrandos: quare specialem sanctitatem legalem tum significabat tum conferebat. *Praeterea* idem ritus etiam gratiam N. L. et speciatim sacramentum ordinis praefigurasse dicendus est. *Dubitatum est* tantum a quibusdam, an perenniter fuerit institutus, i. e. utrum tantum Aaron et primi sacerdotes an vero etiam posteriores consecrandi fuerint. Multo autem verius hoc alterum affirmatur. Cf. *S. Thomas* l. c. ad 8. et 9.

19. *3) Praeterea esus quoque agni paschalis verum V. L. sacramentum fuisse videtur* — Etenim *primo* etiam hic ritus a

Deo perenniter institutus erat ad significandam et efficiendam distinctionem vel separationem Iudaeorum a ceteris gentibus in populum electum et Deo speciali modo consecratum, ut ex ipsius Scripturae relatione apparet. Iamvero eiusmodi distinctio vel separatio sanctitas legalis esse intelligitur. Ergo esus agni paschalis sanctitatem legalem tum significabat tum conferebat. *Praeterea* idem ritus typus quoque erat gratiae N. L. atque imprimis pascha nostrum, ss. eucharistiam praefigurabat, ut Apostolus docet: „*Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus*" (1. Cor. 5, 7) cf. *S. Thomes*, ib. ad 2. — Idem fere dicendum est de *esu panum propositionis*, quibus solis sacerdotibus et quidem in loco sacro solum vesci licebat (Lev. 24, 9).

4) *Denique etiam variae expiationes ab immunditiis* **20.** *legalibus rationem sacramentorum habebant.* — Scilicet in V. L. Iudaei variis immunditiis corporalibus ad cultum divinum externum exhibendum inhabiles reddebantur; haec autem immunditia vel inhabilitas diversis expiationibus tolli poterat (Lev. 12 ss.; Num. 19 ss.). Hinc liquet, eas expiationes sanctitatem legalem tum significasse tum contulisse. Insuper easdem signa prognostica sacramenti poenitentiae fuisse facile patet cf. S. Thomas. l. c. ad 4. et ss.

Corollarium.

Aliqua sacramenta N. L. in V. L. in specie **21.** ***praefigurata fuerunt alia vero non item.*** — Quam inter diversa N. L. sacramenta differentiam *S. Thomas* sic explicat: „Quaedam sacramenta novae legis habuerunt in vetere lege sacramenta figuralia sibi correspondentia. Nam circumcisioni respondet baptismus, qui est fidei sacramentum. Unde dicitur ad Col. 2, 11: *Circumcisi estis in circumcisione Domini nostri Iesu Christi, consepulti ei in baptismo.* Convivio vero agni paschalis respondet in nova lege sacramentum Eucharistiae. Omnibus autem purificationibus veteris legis respondet in nova lege sacramentum poenitentiae. Consecrationi autem pontificis et sacerdotum respondet sacramentum ordinis. Sacramento autem

confirmationis, quod est sacramentum plenitudinis gratiae, non potest respondere in vetere lege aliquod sacramentum; quia nondum advenerat tempus plenitudinis eo, quod neminem ad perfectum adduxit lex (Heb. 7, 19). Similiter autem et sacramento extremae unctionis, quod est quaedam immediata praeparatio ad introitum gloriae, cuius aditus nondum patebat in vetere lege, pretio nondum soluto. Matrimonium autem fuit quidem in vetere lege, prout erat in officium naturae, non autem prout est sacramentum coniunctionis Christi et ecclesiae, quae nondum erat facta. Unde et in vetere lege dabatur libellus repudii, quod est contra sacramenti rationem" (Ib. ad 3).

Thesis 3. In statu legis naturae remedium aliquod ad infantes a peccato originali liberandos a Deo ordinatum exstitit; quod remedium probabilius sacramentum fuit; in statu vero legis veteris pueri Iudaeorum secundum legem Dei in circumcisione tamquam signaculo fidei iustificationis gratiam consecuti sunt.

Declaratio.

1. ***Status quaestionis et thesis divisio.*** — In praesenti thesi restat quaestio tractanda, num etiam in statu legis naturae sacramentum aliquod exstiterit. Simul vero expedienda est altera quaestio, utpote quae cum priore individuo nexu cohaeret et ex eis, quae supra tractata sunt sponte consequitur: scilicet cum sacramenta, quaecunque ante Christum exstiterunt, efficaciam ad peccatum originale delendum et gratiam producendam non haberent, dubitatio oritur, an in statu legis naturae et in statu legis veteris nullum remedium praesto fuerit, quo infantes a peccato originali liberarentur et gratiam consequerentur. Denique si in utroque illo statu remedium tale pro infantibus existebat, iterum quaeritur, qua ratione infantes ope talis remedii, utpote quod necessario ad infirma et egena elementa antechristiana pertinebat, gratiam consequi possent.

2. Iam ad hasce quaestiones expediendas in 1. parte thesis statuitur, in statu legis naturae exstitisse pro infantibus tale

remedium contra peccatum originale, quod probabilius sacramentum fuerit; in 2. vero parte ostenditur, pueris Iudaeorum tale remedium praesto fuisse in circumcisione; in 3. denique parte demonstratur, infantes ante Christum utroque illo sacramento tamquam signaculo fidei non vero ut medio per se efficaci iustificationis gratiam consecutos esse.

Demonstratio.

I. p. In statu legis naturae remedium aliquod ad infantes a peccato originali liberandos a Deo ordinatum exstitit; quod remedium probabilius sacramentum fuit.

Duplici assertione haec pars absolvitur:

1. Tale remedium reipsa exstitit. — Quae as- 3.
sertio a quibusdam quidem theologis negata esse videtur, verum certa est neque sine temeritate negari potest; quod satis commode probatur:

1) Ex communi theologorum consensu. — Etenim theologi, quamvis de modo dissentiant, quo infantibus in lege naturae peccatum sit remissum et gratia infusa, factum tamen ipsum una voce affirmant. Audiatur *Suarez* in theologica litteratura apprime versatus: „Affirmandum omnino est in ea lege fuisse aliquod remedium ad infantium salutem a Deo institutum. Ita docent omnes theologi in 4. dist. 1. et 2. absque ulla controversia aut opinionum varietate, quod est signum, dogma hoc certum et indubitatum apud illos fuisse" (de sacram. in gen. disp. 4. s. 1. Atque postea (disp. 10. s. 1) iterum inculcat: „tam in lege naturae quam Moysis omnes infantes fuisse relictos sine remedio originalis peccati atque adeo omnes, qui mortui sunt ante usum rationis, damnatos fuisse, impium est sentire et contra communem Ecclesiae traditionem et sensum." Similiter refert *Vasquez*: „Quae sane Patrum opinio usque adeo in schola iam diu inveteravit et invaluit, ut nullus omnino asserere audeat, parvulos eo tempore omni remedio suae salutis caruisse. Ducuntur autem ea ratione omnes, quam expressisse videtur *Innocentius III.* in cap. ‚Maiores' de baptismo et eius effectu" (Disp.

165. c. 1. n. 7.). Verba *Innocentii*, ad quae Vasquez provocat, ita habent: „Absit, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quia et ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem“ (D. n. 341).

4. 2) *Ex SS. Patrum doctrina.* — *SS. Patres* hanc doctrinam expressis verbis profitentur. Ita *Augustinus*: „Non quod ante circumcisionem iustitia fidei nulla erat . . . sed superioribus temporibus omni modo latuit sacramentum iustificationis ex fide; eadem tamen fides mediatoris salvos iustos faciebat antiquos, pusillos cum magnis: non vetus testamentum, quod in servitutem generat, non lex, quae non sic est data, quae possit vivificare, sed gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum“ (de nupt. et concupisc. l. 2. c. 11. n. 24.). Et alibi idem clarius docet: „Nec tamen credendum est, et ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento eius (ritu praefigurante futurum redemptorem et redemptionem) opitulatos fuisse parvulis suis: quamvis, quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluit“ (c. Iul. l. 5. c. 11. n. 45.). — *Auctor operis, de vocatione gentium* haec dicit: „Et cum quaerimus, quommodo omnes homines salvos fieri velit (Deus), qui non omnibus illud tempus impertit, in quo per voluntariam fidem percipiendae gratiae sint capaces: non irreligiose arbitror credi neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiae partem, quae semper universis est impensa nationibus, qua utique, si bene uterentur eorum parentes, etiam ipsi per eosdem iuvarentur; omnium namque exordia parvulorum, totaque illa principia necdum rationalis infantiae, sub arbitrio iacent voluntatis alienae, nec ullo modo eis nisi per alios consuli potest . . . Sicut enim ex aliena confessione credunt, ita ex aliena infidelitate aut dissimulatione non credunt. Et cum ipsi nec praesentis vitae desiderium habuerint, nec futurae; quam ipsorum factum est nasci, tam ipsorum efficitur non renasci“ (l. 2. c. 23.). — *S. Gregorius M.*: „Quod apud nos valet aqua baptismalis,

hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificii, vel pro his, qui ex Abrahae stirpe prodierunt, mysterium circumcisionis" (Moral. l. 4. c, 3.). — Quos ss. Patres secutus est *V. Beda:* „Nam qui vel ante tempora circumcisionis vel eliam post datam circumcisionem ex ceteris gentibus exstitere fideles, ut exemplar patientiae Iob, et amici liberique illius, sive victimis bestiarum se suosque ab originali peccato seu certe sola fide salvabant" (In Lucam l. 1. c. 8.). — Accedit *S. Bernardus:* „In nationibus vero quotquot inventi fideles sunt, adultos quidem fide et sacrificiis credimus expiatos, parvulis autem etiam solam fidem profuisse, imo suffecisse credimus" (ep. 77.). — Denique *Hugo de S. Victore* de remediis ad parvulorum etiam iustificationem provisis loquens hoc dicit: „Quapropter primum per oblationem, et postea per circumcisionem, ad ultimum per baptismum expiationis, et iustificationis sacramentum formari institutum est" (L. 1. de sacram. p. 11. c. 6. cf. et c. 12.).

3) Ratione theologica. — Doctrina est theologice 5.
certa vel proxima fidei. Deum etiam in hoc ordine post lapsum reparato seria, sincera, actuosa voluntate, quamvis conditionata velle, ut omnes homines salvi fiant. Videlicet sicut ante lapsum originalem voluit, ut omnes homines salvi fierent, dummodo in accepta gratia perseverarent, ita in hoc ordine post lapsum reparato eadem voluntate vult, ut omnes omnino homines cum reparatore suo atque capite uniantur modo naturae suae convenienti atque sic salvi fiant, dummodo ne libere hanc cum Christo unionem respuant. — *Porro haec voluntas Dei salvifica est plane universalis;* i. e. respicit omnes omnino homines, quocunque tempore, in quacunque conditione quocunque statu viventes; etenim docente S. Paulo (1. Tim. 2, 4.) spectat ad omnes, quorum unus Deus et creator est, quibus ea natura inest, quam Verbum incarnatum ineffabili misericordia suam fecit. Ergo respicit etiam infantes. dum infantes sunt vel ad usum rationis nondum pervenerunt atque infantes etiam in lege naturae viventes. — Iamvero si voluntas salvifica sicuti adultos, ita etiam infantes respicit. aequali ratione sicuti adultis ita etiam infantibus paratum esse debet reme-

dium sufficiens, quo a peccato liberentur et Christo Redemptori et capiti implantentur. Et quidem pro adultis requiruntur gratiae sufficientes saltem internae, ut actibus propriis supernaturalibus fidei, spei et caritatis ad unionem cum Christo et ad iustificationem pervenire possint. Infantibus vero, qui ad usum rationis nondum pervenerunt, parari remedium debuit ea ratione, ut per actus adultorum Christo capiti inseri atque iustificari possent. — Et certe pone, ex parte Dei talibus infantibus remedium tale non esse praeparatum, quo ratione sibi convenienti i. e. sine sua cooperatione, utpote quae est impossibilis, cum futuro redemptore unirentur atque salutem adipiscerentur, eo ipso dicendum esset, voluntatem salvificam se ad illos infantes non extendere; et Deus ex sua parte ipsis sufficienter non providisset. Atqui voluntas salvifica plane universalis est. Ergo Deus remedium aliquod illis infantibus reipsa providisse dicendus est. Quamvis igitur veritas, quam defendimus, non sit explicite revelata neque proprie dogma ab ecclesia definitum, veritas tamen est, quae implicite in deposito revelationis continetur, unde communi consensu, ut dictum est, theologi eam deduxerunt.

6. *Excipi tamen posset contra hanc illationem*, ex voluntate salvifica universali, quae antecedens est et conditionata, non sequi institutionem alicuius remedii pro parvulis, qui in utero matris moriuntur; neque igitur eandem illationem fieri posse pro infantibus, qui in lucem iam editi sunt, attamen ante usum rationis obtentum moriuntur. — *R.* Infantibus in utero matris existentibus Deus eo modo praevidit, qui eorum statui conveniens est et accommodatus; nimirum praeceptis impositis et gratiis subministratis parentes aliosque instigat atque impellit, ut eorum cura infantes illi conserventur atque in lucem edantur et sic tandem remedii participes fiant. Neque alia providentia illis infantibus congruit, quam ut praecise ex via ad statum completum in humana societate per nativitatem ad hunc statum completum membrorum societatis humanae perducantur. Si autem iam in lucem editi sunt, in statu completo membrorum humanae societatis sunt et nihil obstat, quominus Christo capiti implantentur et iustifi-

cationem obtineant; neque ratio est, cur eorum usus rationis exspectetur. Cum igitur voluntas salvifica universalis sit, et proinde ad omnes homines, omne tempus, omne vitae stadium se extendat, dicendum est, ipsis etiam infantibus in lege naturae provisum fuisse tale remedium, quo Christo implantentur, sicuti nunc per baptismum iustificantur.

2. Remedium illud sacramentum fuisse videtur. — Etenim omnia in eodem inveniuntur, quae ad constituendum sacramentum requiruntur; et quidem: 7.

1) Significabat aliqua ratione gratiam Christi. — Nam quia *„non aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri“* (Act. 4, 12), nemo a peccato originali liberatur, nisi per Christum. Requiritur igitur, ut omnis homo iustificandus cum Christo uniatur atque ad ipsum referatur. Nemo autem refertur ad Christum nec cum ipso unitur nisi saltem etiam per fidem sive explicitam sive implicitam in ipsum. *„Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes et super omnes, qui credunt in eum; non enim est distinctio, omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu“* (Rom. 3, 22.), Quapropter etiam infantes in lege naturae Christo per fidem implantari atque cum eo coniungi debuerunt. Et quidem, quia infantes ipsi non potuerunt actum fidei elicere, eorum vices hac in re parentes vel alii, quorum curae commissi erant, supplere debuerunt; ut sicuti per alienam actionem (Adae peccatum) originali culpae obnoxii erant, per alienam etiam actionem a peccato liberarentur.

Haec etiam manifesta *S. Thomae* doctrina est: „Peccatum originale, inquit, est peccatum naturae: natura autem reparari non poterat nisi per Christum; et ideo nunquam poterat remitti peccatum originale alicuius nisi facta relatione, et quadam continuatione illius, qui curari debebat ad Christum, quod per fidem fiebat; et ideo fides Mediatoris semper fuit efficax ad curandum ab originali: in illis quidem, qui usum liberi arbitrii habebant, propria; in aliis vero aliena, ut nec eis omnino deesset divinum remedium“ (In 4. d. 1. q. 2. a. 6. sol. 1.). 8.

9. *Notandum vero est,* hanc fidem parvulorum iustificativam non necessario caritate informatam fuisse, quia salutaris non erat virtute ipsius actus eliciti, sed potius virtute obiecti crediti, Christi futuri Redemptoris: quod item *S. Thomas* disertis verbis declarat: „Fides aliena non iuvabat. in quantum erat actus personae, sed ex parte illa, qua respiciebat obiectum suum, scilicet Christum, quod erat medicina totius naturae" (l. c. ad 2.). Et iterum: „Formatio et informatio fidei sunt conditiones eius ex parte operantis, non autem ex parte obiecti; et ideo informitas fidei in parente non impediebat effectum salutis in filio; impediebat autem in ipso, quia informitas illa proveniebat ex aliquo, quod est contrarium saluti, scilicet ex peccato mortali" (Ib. ad 3.).

10. 2) *Idem remedium signum sensibile vel externum erat.* – Circa hanc illius remedii indolem tres theologorum sententiae exstant: *Prima* est eorum, qui dicunt remedium illud constitutum fuisse in fide interna parentum sive aliorum adultorum; ita docent v. g. *S. Bonaventura* (in 4. d. 1. p. 2. a. 1. q. 2.) et *Vasquez* (in 3. p. disp. 130. c. 4. a. 3. n. 36.; disp. 165.). *Alii* dicunt ad infantes iustificandos ad libitum adhiberi potuisse actum fidei sive internum sive externum. Ita *Hugo a S. Victore* (de sacramentis christianae fidei l. 1. p. 11. c. 1.). Denique *tertia* est sententia multo communior, remedium illud ad infantes iustificandos in signo aliquo externo positum fuisse. Ita *S. Thomas,* ut statim ostendetur, *Suarez* (in 3. p. q. 61. a. 3. disp. 4. s. 2. n. 5.) plerique alii theologi; atque dicunt, hoc signum a Deo non in specie, sed in genere solum determinatum esse, ab hominibus autem in specie determinari potuisse, ita ut vel benedictio infantis vel oblatio eiusdem Deo facta vel etiam solum aliqua precatio esset. Atque haec sententia verior est et pluribus rationibus commendatur. Etenim:

11. a) Eo cultus genere infantes Deo consecrandi sunt, quod tum Deo ab hominibus debetur tum naturae humanae magis accommodatum est; iamvero huiusmodi est genus cultus externi et sensibilis; ergo.

b) Non solum fides interna, sed etiam professio fidei hominibus necessaria est. Quare non solum illa sed etiam haec respectu infantium quoque iustificandorum exerceri debet. Iamvero professio fidei humana sine actu externo et sensibili nulla est. Ergo.

c) Remedio illo infantes membra constituebantur populi **12.** vel ecclesiae Dei, quae essentialiter societas visibilis est. Ergo etiam remedium illud visibile erat. ut scilicet inter ecclesiam et remedium, quod ad eam infantes aggregabat, debita proportio esset. Confirmatur, quia necessarium erat, ut constaret aliquem infantem iam esse ecclesiae aggregatum: id autem constare nequibat, nisi remedium illud in signo externo constitutum erat.

d) Infantes illo remedio cum Christo capite ecclesiae coniungebantur atque eius passionis virtute regenerabantur. Atqui Christus caput ecclesiae sensibile est, vel non solum Deus, sed Deus-homo seu Verbum caro factum est. Ergo, quia generatio ei, per quem .et in quo efficitur, sane congruere debet, recte concluditur, infantes in lege naturae remedium contra peccatum originale habuisse externum et visibile.

e) Proportio quaedam sit necesse est inter actionem pro- **13.** pagativam peccati originalis et remedium contra hoc peccatum institutum, praesertim quia hac ratione professio ruinae, indigentiae et maculatae originis luculentior exstat; atqui peccatum originale per actionem sensibilem propagatur; ergo etiam remedium contra peccatum originale institutum externum vel visibile erat.

f) Tum in N. L. tum in V. L. remedium contra peccatum originale institutum rationem sacramenti vel signi visibilis habet; ergo propter analogiam quae inter diversos status humani generis certo viget, status legis naturae quoque remedium externum vel visibile postulat.

g) Accedit ratio non spernenda, quam Cardinalis de **14.** Lugo proponit: „Me maxime movet, quod si sufficeret fides interna, non video, cur non posset illud remedium applicari parvulis absentibus, cum actio interna non indigeat propinquitate sui obiecti, ut feratur in illud, unde posset unus

homo quotidie applicare suam fidem omnibus parvulis totius orbis et eos omnes iustificare, quia . . , non soli parentes hoc remedium poterant valide adhibere saltem in casu necessitatis, et illos omnes liberare ab originali, ita ut nullus unquam periret ex defectu remedii; imo nec video cur non posset prodesse existentibus in utero, nam sicut distantia, vel interpositio parietis non impediret efficaciam illius remedii mere intentionalis, sic nec interpositio uteri materni. Haec autem omnia videntur manifeste absurda, nec ab auctoribus contrariae sententiae conceduntur" (De sacram. disp. 3. s. 2. n. 30.).

15. b) Denique confirmatur auctoritate *S. Thomae*. Etenim *S. Thomas* versans quaestionem, utrum post peccatum et ante Christum sacramenta debuerint esse, non discernens status generis humani vel tempora simpliciter sic respondet: „Dicendum quod sacramenta necessaria sunt ad humanam salutem, in quantum sunt quaedam sensibilia signa invisibilium rerum, quibus homo sanctificatur. Nullus autem sanctificari potest post peccatum, nisi per Christum . . . Et ideo oportebat ante Christi adventum esse quaedam signa visibilia, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Salvatoris adventu. Et huiusmodi signa dicuntur sacramenta" (S. th. 3. p. q. 61. a. 3.). Et inferius iterum: „Immediate, inquit, post peccatum primi parentis, propter doctrinam ipsius Adae, qui plene instructus fuerat de divinis, adhuc fides et ratio naturalis in tantum vigebat in homine, quod non oportebat determinari hominibus aliqua signa fidei et salutis; sed unusquisque pro suo lubito fidem suam aliquibus signis protestabatur" (ib. q. 70. a. 2. ad 1.; cf. ib. q. 60. a. 5; q. 70. a. 4. ad 2.).

16. *Opponunt vero primo* ipsum *S. Thomam,* utpote qui in 4. d. 1. q. 2. a. 6. docere videtur, solam parentum fidem sine ullo signo externo ad salutem infantium procurandam valuisse: „Alii, inquit, probabilius dicunt, quod parvulis sufficiebat sola fides sine omni exteriori signo; non autem habitus fidei solum, sed motus eius relatus ad salutem pueri vi cuiusdam professionis interioris fidei." — *R. Imprimis*

sententia *S. Thomae* potius ex postremo opere, sc. summa theologica, quam prioribus determinanda est: in illa autem clare nostram doctrinam proponit. *Praeterea* vero verba *S. Thomae* obiecta non quodcunque signum externum sed tantummodo signum ab ipso Deo determinatum excludunt: quod satis ex contextu patet, ubi v. g. haec inveniuntur: „remedium, quod praecessit circumcisionem computatur simpliciter inter sacramenta legis naturae, quae non habebant tantam determinationem secundum *Hugonem de S. Victore* (l. 1. de sacram.), quantam habent sacramenta legis scriptae, ad quam quodammodo pertinet circumcisio" (ib. a. 3. sol. 1. ad 1.). *Deinde* item in alio loco eiusdem operis, sc. q. 1. a. 2. q. 3., diserte declarat: „Ante legem scriptam erant quaedam sacramenta necessitatis, sicut illud fidei sacramentum, quod ordinabatur ad deletionem originalis peccati"; quibus verbis sufficientia actus interni clare sane negatur. *Denique* alibi iterum praeter fidem internam externam eius professionem postulat: „Fides ergo antiquorum cum aliqua protestatione fidei valebat parvulis ad salutem" (De malo q. 4. a. 8. ad 12.).

Secundo opponunt *SS. Patres*, v. g. *S. Gregorium M.*, **17.**
S. Bernardum, V. Bedam, utpote qui dicant, ad infantium salutem procurandam solam parentum vel aliorum fidem suffecisse. — *R. SS. Patres*, cum ita loquuntur, fidei nomine non solum actum fidei internum sed externam quoque eius professionem intelligunt vel non externam fidei professionem, sed alios actus externos excludunt. Speciatim cum parvulos opponunt adultis, atque illis fidem solam suffecisse, his autem sacrificia quoque necessaria fuisse, manifesto fidem extrinsecus prolatam intelligunt.

3) Hoc signum sanctificationem aliquam legalem signi- **18.**
ficabat et efficiebat. — Nimirum signo isto infans in foro externo populo Dei aggregabatur et membrum ecclesiae eius aetatis sub Christo capite constituebatur. Talis autem externa aggregatio merito consideratur ut aliqua sanctificatio externa vel legalis, quippe quae nihil est, nisi coniunctio externa cum Deo vel deputatio aliqua ad cultum divinum.

19. *4) Denique idem signum a Deo institutum erat.* — Atque id ex ipsa rei natura manifestum est; etenim solus Deus cum positione talis signi gratiam infallibiliter connectere potest, ideoque etiam solius Dei est signa determinare, quae gratiam significent. Ubi tamen animadvertatur oportet, hanc determinationem a Deo non necessario factam esse quoad infimam speciem et individualitatem signi; sed ex determinatione divina illud signum solum debebat esse aliqua externa fidei in futurum Redemptorem professio: infimae speciei et individualitatis signi determinatio liberae hominum electioni relicta erat.

20. *Opponi autem potest* contra hoc ultimum assertum, si res ita se habeat, sacramentum legis naturae propter suam indeterminationem facilius et generalius applicari potuisse, quam nunc baptismus applicari potest, ideoque sorti infantium aeternae melius fuisse provisum in statu legis naturae, quam nunc in statu gratiae. — *R.* Etsi sacramentum baptismi sit in ultima specie determinatum et necessario ratione determinata administretur, non ideo tamen hoc remedium magis difficulter applicatur, quam sacramentum legis naturae; quia scilicet materia et forma baptismi omnibus obviae et faciles applicatu sunt; accedit, quod hoc sacramentum N. L. notius est adeoque facilius potius et certius applicatur.

Quae cum ita sint, remedio illi nihil deesse intelligitur eorum, quae ad veram sacramenti rationem requiruntur ideoque verius inter sacramenta proprie dicta recensetur.

2. p. Pro pueris Israëlitarum tamquam remedium contra peccatum originale divinitus instituta erat circumcisio.

21. Hanc doctrinam Theologi communiter quidem profitentur; aliqui tamen dissentiunt, inter quos *Vasquez*, *Bellarminus*, *Tournely* inveniuntur; verumtamen doctrina statuta iis argumentis munitur, ut certa esse et sine temeritate vix negari posse videatur.

1) Probatur ex S. Scriptura. — Argumentum ducitur ex verbis Genes. 17, 14: „*Masculus, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit (octavo die), delebitur anima illa de po-*

pulo suo, quia pactum meum irritum fecit." In quae verba optime *Cardin. Franzelin* notat: „*Imprimis* propositio: *qui non circumcidetur, interibit anima illa de genere eius* est universalis et ideo pertinet ad omnes tum adultos tum infantes ex familia et progenie *Abraham,* sive iam illa verba *octavo die* (quae genuina esse non videntur) ponantur sive omittantur. *Porro* circumcisio signum erat, eos, pro quibus erat praescripta, atque adeo etiam infantes indigere redemptore promisso ex semine Abraham; ac proinde eos esse in peccato, a quo liberandi erant per ipsum futurum redemptorem. Per ipsum autem hoc signum propheticum futuri redemptoris is, cui applicabatur, inserebatur populo Dei, cui applicabantur merita futuri redemptoris, atque ita circumcisio signum erat purgationis a peccato, a quo intuitu meritorum Christi aggregatus ad populum Dei liberabatur. Ipsa ergo iam circumcisio praescripta etiam pro infantibus, sicut significabat indigentiam expiationis per futurum redemptorem, ita demonstrabat reatum universalem etiam infantium, et eadem sicut immediate significabat et efficiebat aggregationem ad populum Dei, ita mediate significabat expiationem a peccato per merita redemptoris. *Ulterius* poena statuta pro incircumcisis ex familia Abraham: „*delebitur anima eius de populo suo*" sensu immediate significat quidem excisionem ex populo Dei sive per mortem temporalem, sive simpliciter per separationem et eiectionem ex illo populo Dei peculiari, quia autem haec ipsa sive poena mortis sive separatio est symbolum separationis a numero filiorum Dei, illa verba mediate significant etiam mortem spiritualem peccati, in qua manet incircumcisus et comminationem mortis aeternae. *Postremo* incisum ultimum: „*quia testamentum meum dissipavit*" sensu immediate significat utique violationem pacti initi cum Abraham, quae violatio non quidem active ab infantibus, attamen passive in infantibus non circumcisis comittebatur, et hoc sensu nectitur cum inciso antecedenti itidem secundum sensum immediatum intellecto: exscindetur de populo meo peculiari, quia dissipavit pactum initum cum Abraham, cuius observatione fit aggregatio ad populum istum. At si incisum

antecedens sumitur sensu mediato, de exclusione scilicet ex numero filiorum Dei. ita incisum sequens, enuntians huius excisionis causam, significabit dissipationem pacti in primo parente Adamo, quod pactum erat non cum aliquo populo peculiari, sed cum universa natura humana" (Thes. 3. nota). Quae cum ita sint, conclusio intenta satis manifesto consequitur. Etenim si pueri circumcisi a peccato originali liberabantur, pueri vero non circumcisi eodem obstricti manebant, circumcisio sane tamquam remedium necessarium contra peccatum originale institutum erat.

22. *Opponunt Bellarminus* aliique contra hanc illius textus interpretationem de parvulis quoque quoad substantiam iam ab *Augustino* aliisque veteribus traditam, adeoque etiam contra argumentum inde deductum, illam totam inniti in falso supposito, scilicet addita illa particula *octavo die*, quae genuina non sit. „Ob illa duo verba *in die octavo S. Augustinus* coactus est hunc locum exponere de parvulis . . . At si removeamus a textu duo illa verba *in die octavo;* ut vere removenda sunt, totum argumentum concidet" (*Bellarminus*, de controversiis fidei t. 3. l. 2. c. 17. — *R.* Recte respondet Card. *Franzelin* particulam additam sensum textus nihil mutare ideoque eum etiam parvulos spectare. Etenim *primo* textus ipse omnino universalis est ideoque omnes tum adultos tum parvulos spectat; *secundo* pueros imprimis spectari, ex contextu patet, quia in eo de pueris circumcidendis sermo est: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis* (V. 12.). *Tertio* illa particula, quae primo in versione septuagintavirali apparet, non errorem constituit, sed potius ambiguitatem hebraici textus tollit atque traditionalem apud Hebraeos illius textus intelligentiam prodit. Denique SS. Patres communiter illum textum de pueris intellexerunt, neque tamen indicarunt hanc suam intelligentiam ab illa particula pendere; imo *Innocentius III.*, quamvis illam particulam non legeret, eodem tamen modo interpretatus est, quod iam expresse referendum est.

23. ***2. Auctoritate Innocentii III. S. P.*** — Etenim Cap. *Maiores* de baptismo ita docet: „Cum circumcisio tam adultis quam parvulis ex praecepto Domini conferretur, ne

baptismus, qui successit loco ipsius et generalior tamen existit, cum tam viri quam feminae baptizentur, minoris videatur effectus, tam adultis quam parvulis est conferendus. Sicut enim sine distinctione qualibet Mosaïca lex clamabat: *Anima cuius praeputii* . . ., ita nunc indistincte vox intonat evangelica: *Nisi quis renatus fuerit* . . . Dictum est in fine praedictae auctoritatis inductae de vetere lege: *peribit de populo suo*; in evangelica vero veritate subiunctum est: *Non intrabit in regnum Dei*; quoniam etsi originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium et damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum coelorum, quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum" (3. decr. tit. 42. c. 3.). Quibus verbis doctrina proposita non quidem definita censeri potest, quia eam Pontifex magis indirecte et per comparationem cum baptismo proponit; attamen magna sane eidem auctoritas accrescit, quia Pontifex clare docet, tum originale peccatum in circumcisione remissum esse, tum sine circumcisione remitti non potuisse ideoque eandem circumcisionem ordinatione divina tamquam necessarium remedium contra peccatum originale institutam esse.

3. Ex SS. Patrum doctrina. — Hic imprimis theologicae demonstrationis fons egregium argumentum praebet, quia *SS. Patres* magno numero docent tum circumcisionem fuisse institutam ad delendum peccatum originale, tum id ex verbis Scripturae antea explicatis erui posse.

Ita *Ambrosius* non obscure hanc sententiam prodit: 24.
„Egregie autem infantiae in primis vagitibus circumcidi mares lex iubet, etiam vernaculos: quia sicut ab infantia peccatum, ita ab infantia circumcisio. Nullum tempus vacuum debet esse tutelae, quia nullum est culpae vacuum" (De Abraham l. 2. c. 11. n. 81.). — Manifesta prorsus est mens *S. Augustini:* „Certe, inquit, antiquus populus Dei circumcisionem pro baptismo habebat" (C. litt. Petil. l. 2. c. 72.). Similiter alibi: „Circumcisio antiquis sanctis pro baptismo fuisse creditur" (Ep. ad Dardanum 187. al. 57. c. 11.). Et: iterum „Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quae erat tunc signaculum iustitiae fidei, ita ad significationem purga-

tionis valebat et in parvulis originalis veterisque peccati, sicut et baptismus ex illo valere coepit ad innovationem hominis, ex quo est institutus" (De nupt. et concup. l. 2. c. 11.). Denuo alibi loquens de originali peccato: „Quod nisi esset in semine, ad parvulos, quibus circumcisione illa corporis auferendum esset, nullatenus perveniret" (Cont. Iulian. l. 6. c. 7. n. 19.). Et in eodem opere superius: „Quod est octavo die non circumcidi, hoc est in Christo non baptizari; et quod est perire de populo suo, hoc est non intrare in regnum coelorum" (l. 2. c. 6. n. 18.). Denique item ibidem: „Responde si potes, cur ipse Isaac, nisi baptismatis Christi signo circumcisus octavo die fuisset, periisset anima eius de populo suo? Explica, si potes, cur merito tanta poena plecteretur, nisi ab hac tanto sacramento liberaretur?" (l. 3. c. 18. n. 12.). — Egregium deinde est testimonium *S. Fulgentii Ruspensis.* Scilicet cum diaconus Petrus aliique clerici ex oriente Romam in fidei causa missi essent, Fulgentius suo et aliorum quindecim episcoporum nomine illis librum de incarnatione et gratia obtulit, in quo haec inveniuntur: „Sancto quoque Abrahae videat circumcisionis sacramentum non sine tremenda parvuli comminatione mandatum. Ibi quippe Deus fidelis et iustus, qui non infert iram, ubi culpam non invenit, patri nostro Abrahae sic loquitur: *Masculus, qui non fuerit circumcisus carnem praeputii sui octavo die, exterminabitur anima illa de populo suo*; *quia testamentum meum transgressus est.* (Gen. 17, 4.). Quisquis itaque negat in parvulis secundum carnem nascentibus originale peccatum, dicat in quo potuit infans octo dierum testamentum Dei transgredi, si non in illo transgressus est, in quo omnes peccaverunt" (Ep. 17.). — Deinde *Gregorius* idem docet: „Quisquis regenerationis unda non solvitur, reatu primi vinculi ligatus tenetur. Quod vero apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificii, vel pro iis, qui ex Abrahae stirpe prodierant, mysterium circumcisionis" (Moral, l. 4. c. 3.). — *Isidorus Hispalensis*: „Illud autem quid sit, quod dictum est: *Masculus qui non circumcidetur octavo die, peribit anima illa de populo suo,*

quia pactum meum irritum fecit? Cur enim pereat anima parvuli incircumcisi, dum ipsa pactum Dei irritum non fecit, sed qui eum circumcidere neglexerunt? Nisi ut significaret, quod parvuli, non secundum opus, sed secundum originem, in primo homine pactum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt. Nascitur enim omnis non proprie sed originaliter peccator. Quem nisi regeneratio liberet, peribit anima eius de populo suo, quia pactum Dei irritum fecit, quando in Adam originaliter etiam ipse peccavit" (Qq. in V. T. in Gen. 13.). — Item *Beda Venerabilis:* „Scire enim debet vestra fraternitas, quia idem salutiferae curationis auxilium Circumcisio in lege contra orignalis pecati vulnus agebat, quod nunc baptismus agere revelatae gratiae tempore consuevit, excepto quod regni coelestis ianuam necdum intrare poterant, donec adveniens benedictionem daret, qui legem dedit, ut videri possit Deus deorum in Sion, tantum in sinu Abrahae post mortem beata requie consolati supernae pacis ingressum spe exspectabant. Qui enim nunc per evangelium suum terribiliter ac salubriter clamat: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei* (Ioan. 3.): ipse dudum per legem suam clamabat: *Masculus, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit* (Gen. 17), id est, quia pactum vitae in paradiso hominibus mandatum Adam praevaricante transgressus est, in quo omnes peccaverunt: peribit de coetu sanctorum, si non ei fuerit remedio salutari subventum. Utraque ergo purificatio, et circumcisionis videlicet in lege, et in Evangelio baptismatis, tollendae praevaricationis primae gratia posita est" (Homil. 10. de festo circumcis.: cf. comment. in Pentat. Gen. 17.). Tandem *Hugo a S. Victore*: „Ut ostenderetur igitur sacramentum circumcisionis, non quemadmodum priora sacramenta ad voluntatem propositum, sed ex necessitate exsequendum, praeceptum commination firmatur cum dicitur: *Masculus, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo* (Gen. 17.). Causa quoque subinfertur, cum dicitur: *Quia pactum meum irritum fecit* (ib.). Si ergo per pactum Dei

irritum factum praevaricationem primorum parentum intelligimus, cum incircumcisus ob praevaricationem pacti periturus dicitur, manifeste datur intelligi sacramentum circumcisionis ad hoc institutum, ut per ipsum homo a debito primae praevaricationis liberaretur" (De sacram. l. 1. p. 12. c. 2.). Denique *S. Bernardus*: „Quae est gratia, unde per baptismum investimur? Utique purgatio delictorum . . . Huius quidem gratiae sacramentum prius erat circumcisio, ut originalis rubiginem culpae, quae manaverat a parentibus primis, cultellus eraderet" (Serm. 1. de coena Domini n. 2.).

25. ***4. Ex communi theologorum consensu.*** — Reipsa in hac doctrina theologi diversarum scholarum tum antiqui tum recentiores conveniunt omnes paucis solum iis exceptis, qui supra recensiti sunt. Ita *Magister sententiarum* „Fuit tamen inter illa sacramenta sacramentum quoddam, scilicet circumcisionis, idem conferens remedium contra peccatum, quod nunc baptismus praestat" (l. 4. d. 1.). Deinde *S. Thomas*: „Ab omnibus communiter ponitur, quod in circumcisione peccatum originale remittebatur" (S. th. 3. q. 70. a. 4.). Praeterea *Scotus*: „Supponendum tamquam certum, quod per circumcisionem peccatum originale delebatur, quod patet per auctoritatem Sanctorum" (In 4. d. 1. q. 6.). Et *Bonaventura*: „Circumcisio fuit etiam data in remedium contra originale peccatum; unde dicitur in Genesi (17, 14.): *Masculus, cuius caro praeputii circumcisa non fuerit, peribit etc.*" (In 4. d. 1. p. 2. a. 2. q. 2.). Item *Durandus*: „Circumcisio instituta fuit contra originale peccatum non solum ad effectum remissionis, sed in signum traductionis . . . circumcisionem non contulisse gratiam, falsum est et contra dictum omnium Sanctorum et Doctorum" (In 4. d. qq. 5. et 6.). Denique *Suarez*: „Sententiam hanc secuti sunt omnes Scholastici sine ulla opinionum varietate" (De sacram. disp. 5. s. 1. n. 10.). Iamvero consensus theologorum in tali quaestione tam prope ad fidem pertinente irrefragabilis auctoritatis esse videtur.

26. ***5. Ex ratione theologica.*** — Ex hoc fonte non quidem ipsa existentia veritatis, de qua agitur, sed potius

convenientia eiusdem facile demonstratur. Scilicet ante Christum quoque, ut iam supra dictum est, peccatum non remittebatur nisi intuitu meritorum Christi futurorum; et ideo qui a peccato mundandus erat, per fidem cum Christo coniungi debuit. Atqui circumcisio praeclara erat professio fidei in futurum redemptorem; etenim signum peculiaris foederis constituebat, quo sibi Deus gentem Iudaeorum elegerat, ex qua futurus Salvator Christus Dominus erat nasciturus; hoc vero ipsum foedus cum suis caeremoniis totum quantum figura et parabola legis gratiae Christi erat; ergo etiam circumcisio tamquam signum et primarius illius foederis ritus illam typi et figurae rationem habebat, et speciatim quidem baptismum praefigurabat. Quare Iudaei reipsa per impositionem huius signaculi fidem suam in promissiones divinas et futurum Redemptorem egregie profitebantur. Ergo.

Alias rationes convenientiae institutionis circumcisionis **27.** in remedium contra peccatum originale atque adiunctorum huius institutionis exponit *S. Thomas* in 4. d. 1. q. 2. a. 1. sol. 1. et S. th. 3. p. q. 70. a. 2. et 3.

Opponunt adversarii primo S. Paulum, utpote qui iterum **28.** iterumque neget, circumcisionem ad iustificationem impertiendam valere, ut v. g. in epistola ad Romanos: „*Dicimus enim quia reputata est Abrahae fides ad iustitiam. Quomodo ergo reputata est? In circumcisione an in praeputio? Non in circumcisione, sed in praeputio*“ (4, 9. 10.). „*Unus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide et praeputium per fidem*“ (3, 1.). Item similiter in epistola ad Galatas Apostolus declarat: „*In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides quae per caritatem operatur*“ (Gal. 5, 6.) — *R.* Apostolus circumcisioni carnaliter consideratae valorem iustificativum denegat, tribuit autem eum circumcisioni spiritualiter consideratae sive fidei in Christum, cuius fidei circumcisio signum expressivum erat. Deinde imprimis verbis ex epistola ad Galatas allatis contra Iudaizantes, qui etiam ecclesia fundata circumcisionem necessariam habebant, solum declarat, circumcisionem in nova lege iam nihil valere atque inutilem esse.

29. *Secundo opponunt.* multos SS. Patres expressis verbis docere, circumcisionem ad salutem esse inutilem et superfluam. — *R.* Difficultas eodem fere modo ac ea ex Scriptura allata expeditur. Scilicet SS. Patres eiusmodi locutiones adhibentes vel intelligunt circumcisionem post legem gratiae promulgatam vel circumcisionem carnaliter sive materialiter solum consideratam et fide destitutam inutilem dicunt vel denique circumcisioni verum influxum causativum in gratiam denegant, quin in circumcisione iustificationem impertitam esse negare velint. — Ceterum de inanitate vel solutione harum similiumve difficultatum ex tertia parte clarius constabit, utpote in qua solvenda iam est quaestio, qua ratione circumcisio necnon sacramentum legis naturae ad iustificandos homines contulerint.

3. p. Tum in sacramento legis naturae tum in circumcisione aliisque sacramentis veteribus, gratia conferebatur non ex virtute horum sacramentorum, sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius illa sacramenta signa erant.

30. In hac igitur parte solvenda quaestio est, num sacramenta vetera, imprimis sacramentum legis naturae et circumcisio in iustificationem impertiendam aliquem influxum causalem exercuerint. Porro de hac quaestione, nominatim quod circumcisionem attinet, sua aetate non unam fuisse theologorum sententiam refert *S. Thomas*: „Dicendum quod de circumcisione multiplex fuit opinio. Quidam enim dixerunt, quod per circumcisionem non conferebatur gratia, sed solum auferebatur peccatum. Sed hoc non potest esse, quia homo non iustificatur a peccato nisi per gratiam, secundum illud (Rom. 3, 24.): *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Et ideo alii dixerunt quod per circumcisionem conferebatur gratia quantum ad effectus remotivos culpae, sed non quantum ad effectus positivos gratiae. Sed hoc etiam videtur esse falsum, quia per circumcisionem dabatur pueris facultas perveniendi ad gloriam, quae est ultimus effectus positivus gratiae; et praeterea secundum ordinem causae formalis, priores sunt natu-

raliter effectus positivi quam privativi, licet secundum ordinem causae materialis sit e converso; forma enim non excludit privationem, nisi informando subiectum. Et ideo alii dicunt quod circumcisio conferebat gratiam etiam quantum ad aliquem effectum positivum, qui est facere dignum vita aeterna, non tamen quantum ad hoc, quod est reprimere concupiscentiam impellentem ad peccandum, quod et aliquando mihi visum est in 4. d. 1. q. 2. a. 4. q. 3. Sed diligentius consideranti apparet hoc etiam non esse verum, quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae et mereri vitam aeternam. Et ideo melius dicendum videtur, quod circumcisio (sicut et alia sacramenta V. L.) erat solum signum fidei iustificantis" (S. th. 3. p. q. 62. a. 6. ad 3.). Quam sententiam inferius circumcisionem cum baptismo conferens magis explicat: „In baptismo confertur gratia ex virtute ipsius baptismi, quam habet in quantum est instrumentum passionis Christi iam perfectae; circumcisio autem conferebat gratiam, in quantum erat signum fidei passionis Christi futurae; ita scilicet quod homo, qui accipiebat circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se vel alius pro parvulis. Unde et Apostolus dicit Rom. 4, 11. quod Abraham *accepit signum circumcisionis signaculum iustitiae fidei*, quia scilicet iustitia erat ex fide significata, non ex circumcisione significante" (ib. q. 70. a. 4.). Iam haec *S. Thomae* doctrina apud theologos communis evasit atque tamquam certa in hac parte defenditur. Duplici vero assertione demonstratio absolvitur; *prima*: Circumcisio non ex propria virtute gratiam conferebat vel causa gratiae non erat; *altera*: in circumcisione gratia conferebatur, in quantum erat signum fidei passionis Christi futurae. Quod vero de circumcisione valet, de ceteris quoque sacramentis V. L. et nominatim de sacramento legis naturae dicendum est, utpote quae lex naturae ad legem veterem se habet tamquam imperfectius ad perfectius.

1. Circumcisio causa gratiae non fuit. 31

Quod pluribus argumentis luculenter demonstratur:

1) Ex s. Scriptura. — Huc *primo* pertinent testimonia Scripturae iam supra (th. 1. n. 15.) allata, quibus docet. caeremonias V. L. esse *infirma et egena elementa* (Gal. 4, 9.) et *ex operibus legis non iustificari omnem carnem* (Rom. 3, 20.); atqui his infirmis elementis, his operibus legis accensenda est primo loco circumcisio, quae primum erat ex illis elementis et introductio ad opera legis. Ergo neque circumcisio ad iustificationem ex propria virtute impertiendam valet; nulla enim ratio apparet, propter quam ipsa a ceteris ritibus sub hoc respectu excipiatur.

32. *Praeterea* Apostolus hanc eandem doctrinam etiam de circumcisione nominatim expresse statuit, cum dicit Abrahamum, prototypum iustificandorum non esse iustificatum per circumcisionem, sed hanc in ipso fuisse signaculum iustitiae, quae ex fide est: *„Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum . . . Dicimus enim quia reputata est Abrahae fides ad iustitiam. Quomodo ergo reputata est? In circumcisione an in praeputio? Non in circumcisione, sed in praeputio. Et signum accepit circumcisionis signaculum iustitiae fidei, quae est in praeputio“* (Rom. 4, 2. 9. 10. 11.). — Neque contra hoc argumentum opponi potest, Scripturam loqui de sacramentis V. L., ut erant post promulgatum evangelium. Etenim S. Paulus locis citatis de sacramentis V. L. simpliciter et universaliter loquitur, vel prout etiam in V. L. erant. Quod *primo* ex contextu constat: nam quaerens: *Quae utilitas circumcisionis?* respondet: *Multum per omnem modum* etc.; hoc autem de circumcisione in N. L. spectata verum non est. *Praeterea* de sacramentis V. L. loquitur, quatenus erant umbrae et figurae N. L.: iamvero tales ante adventum Christi sive in V. L. non vero post adventum Christi sive in N. L. erant.

33. 2) *Ex SS. Patrum doctrina.* — Revera assertio posita tum a Patribus graecis tum latinis clare docetur.

a) Ex *Patribus graecis* eam iam non obscure innuit *Iustinus M.*: „Abraham cum nondum esset circumcisus, propter fidem, qua Deo credidit, iustificatus est, et benedic-

tionem a Deo accepit; circumcisionem vero non accepit ad iustificationem, sed tantumodo in signum" (Dial. cum Tryphone n. 44.). Et ibidem paulo prius circumcisionem V. L. ut carnalem circumcisioni spirituali N. L. i. e. baptismo opponit. — Similiter *Irenaeus:* „Quoniam autem et circumcisionem non quasi consummationem iustitiae, sed in signo eam dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahae, ex ipsa Scriptura discimus . . . Et quia non per haec iustificabatur homo, sed in signo data sunt populo, ostendit, quod ipse Abraham sine circumcisione et sine observatione sabbatorum credidit Deo, et reputatum est illi ad iustitiam, et amicus Dei vocatus est" (Cont. haer. l. 4. c. 14.). — Item *Epiphanius* idem significat circumcisionem baptismo opponens: „Illic circumcisio fuit carnalis, quae deservit usque ad magnam circumcisionem, hoc est baptismum, quae circumcidit nos a peccatis" (Haer. 8.) — Deinde *Chrysostomus* imprimis hanc doctrinam luculenter proponit: „Attende, quomodo postea tempore procedente voluerit (Deus) circumcisionem pro lege statui, non quod ad animae salutem perficere haec possit aliquid, sed ut grati animi iudicium, quasi signum et sigillum circumferrent Iudaei, et ne liceret eis commisceri gentium congressibus. Hinc beatus Paulus signum hoc vocat dicens: *Et signum dedit circumcisionis sigillum* (Rom. 4, 11.). Nam quod ad iustitiam nihil conducat, ecce et hic iustus, nondum statuta circumcisione, ad eandem pervenit virtutem" (In Gen. Hom. 27.). Et alibi: „Nulla alia ex circumcisione fuit utilitas, quam haec sola, quod ex hoc signo essent cognoscibiles et ab aliis gentibus sequestrarentur: nostra autem circumcisio, vel baptismatis, inquam gratia medicinam habet citra dolorem, innumeraque nobis bona affert. Spiritus Sancti gratia nos implet" (Hom. 40. in Genes.; cf. Hom. 39. in eandem Genes.). Et iterum alibi: „*Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Quid est, *nihil ad perfectum adduxit?* Neminem fecit perfectum cum ei non obediretur: quamquam nec si audita esset, perfectum redidisset et virtute praeditum. Interim autem non hoc dicit, sed quod vim non habuerit: et merito: ita enim sitae erant litterae: hoc fac et

illud non fac: solum proponentes, non etiam vim et potestatem afferentes . . . Nihil ergo lex profuit? Profuit quidem et valde profuit, sed ad reddendum perfectos nihil profuit. Lex enim nihil reddidit perfectum. Ideo dicit, nihil lex profuit: omnia enim erant typi, omnia umbra, circumcisio, sacrificium, sabbatum, quae non potuerunt ad animam pervadere propterea cedunt et abscedunt" (In ep. ad Heb. Hom. 13. n. 2.; cf. in eand. ep. hom. 16. n. 2., hom. 17. n. 3., hom. 19. n. 1. — Denique *Basilius* quoque clare suam hac de re mentem prodit: „Quid confers lavacra cum lavacris, quae solam nominis appellationem habent communem, rerum vero tanta est differentia, quanta est inter somnia et veritatem, inter umbras et imagines, et ea, quae revera sunt" (De Spiritu Sancto c. 14. n. 32.). Conferri etiam possunt *Origenes* l. 2. contra Celsum; *S. Cyrillus Al.* cont. Iulianum l. 10.; *S. Ioannes Damascenus* de fide orthod. l. 4. cc. 10. 14. 26.

34 b) E *Patribus latinis* quoque plures eandem fidem produnt. Ita *Tertullianus:* Acceperat (Abraham) circumcisionem, sed quae esset in signum temporis illius, non in salutis praerogativam" (Adv. Iudaeos c. 3.). — Item *Hilarius:* „Post legis tempora et cognitionem veritatis, convenit corpus ipsum potius, quam umbram corporis contueri. Lex enim eorum quae in Domino nostro Iesu Christo implenda erant, speciem complectitur. Non ipsa veritas, sed in ea meditatio veritatis, utilis fide potius, quam effectu, imitatione quam genere. Ea enim, quae observari praecepta sunt, non virtute efficientiae ipsius utilia erant, sed observantium fide salutaria, ut sacrificiorum diversitates, et holocautomatum religiones, et circumcisionis cura, et sabbati otium. Haec enim omnia et praetermissa culpam habebant, et gesta sub futurorum fide proderant, sicut ait beatus Apostolus: *„Prius autem, quam veniret fides, sub lege conclusi custodiebamur in ea fide, quae incipiebat revelari* . . . Ergo quotiescunque aliquid ex lege relegitur in opere praesentium mandatorum, speculum futurorum est contuendum. Et erat quidem congruum de singulis superius comprehensis afferre

rationem, ut secundum Apostoli doctrinam universa intelligerentur fide futurorum potius quam virtute ipsius efficientiae profuisse" (Tract. de titulo B. 91. n. 1.).

Item *S. Ambrosius* eandem fidem prodit, cum anti- 35
qui foederis imperfectionem et inefficaciam respectu gratiae exponit: „Sed occurrit adhuc ei, qui poterat etiam Iudaeus dicere: Et ego haeres sum, quoniam sub lege sum, lex autem vetus dicitur testamentum; ubi autem testamentum, ibi haereditas. Et licet ad Hebraeos ipse dixerit (Hebr. 9, 16—17.), quia testamentum non valet . . . quamdiu vivit testator, sed eius morte firmatur; tamen quia in Ieremia dominus locutus est de Iudaeis, et ait: ‚*Facta est haereditas mihi sicut leo*' (Ierem. 12, 8), haeredes eos negare noluit. Sed sunt haeredes sine re, sunt et cum re et dicuntur haeredes testatore vivente, qui scripti sunt, sed sine re. Sunt etiam haeredes parvuli, qui nihil differunt a seculo, quoniam sub curatoribus sunt et actoribus . . . Ergo dedit illis (Iudaeis) speciem haereditatis, possessionem negavit. Habent nomen haeredis, usum non habent; quia sicut parvuli haeredes nomen nudum haereditatis, non auctoritatem usurpant, iubendi ius et utendi non habent; quia plenitudinem suae aetatis exspectant, ut a curatoribus liberentur: sicut ergo parvuli, ita et Iudaei sub paedagogo sunt. Lex paedagogus est, paedagogus ad magistrum ducit; magister noster solus est Christus . . . Paedagogus timetur, magister viam salutis ostendit. Timor ergo ad libertatem perducit, libertas ad fidem, fides ad caritatem, caritas acquirit adoptionem, adoptio haereditatem . . . Si igitur ubi fides ibi libertas; ubi libertas ibi gratia; ubi gratia ibi haereditas; Iudaeus autem littera, non Spiritu, in servitute est; qui non habet fidem, non habet spiritus libertatem. Ubi autem nulla libertas, nulla gratia; ubi nulla gratia, nulla adoptio; ubi nulla adoptio, nulla successio" (Ep. 75 ad Clementianum nn. 3—6.). Denique eandem cum Patribus modo relatis fidem profitetur *Augustinus*. Imprimis huc spectant eius verba iam supra relata: „Sacramenta non eadem (in utraque lege), quia alia sunt dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta N. T. dant salutem.

sacramenta V. T. promittunt Salvatorem . . . Mutata sunt sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora" (In Ps. 73. n. 2.). Et alibi dicit: „Si per se attenduntur (sacramenta V. L.) nullo pacto possunt mederi: si autem res ipsae, quarum haec sacramenta sunt, inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum" (In lib. Num. q. 25.). Et iterum alibi: „Cur autem non dicam, praecepta illa veterum sacramentorum nec bona esse, quia non eis homines iustificantur, umbrae enim sunt praenuntiantes gratiam, qua iustificamur; nec tamen mala, quia divinitus praecepta sunt, tempori personisque congruentia; cum me adiuvet etiam prophetica sententia, qua dicit Deus se illi populo dedisse praecepta non bona, id est non talia, ut illis homines boni fiant, aut sine illis boni non fiant" (Ep. 82, ad Hieronym. n. 14.; cf. ep. 196 ad Asellicum Ep. et ep. 140 ad Honoratum.).

36. *3) Ex communi theologorum consensu.* — Reipsa doctrina, quae asserta est, iam pridem communis inter theologos evasit: verum etiam iam medio aevo communiter docebatur paucis exceptis, scilicet iis, quos *S. Thomas* refert (cf. supra n. 21.) necnon Scotistis quibusdam, inter quos *Mastrius* (de sacramentis disp. 1. q. 2. a. 2.) invenitur. Verumtamen rationes, quibus contra doctrinam propositam pugnant infirmae sunt vel nullae, ut statim magis explicabitur.

37. *4) Ex Conciliorum decretis.* — Scilicet huc pertinent decreta *Concilii Florentini* et *Tridentini* iam superius (th. 1. n. 8.) allata; quibus ea concilia manifeste doctrinam propositam urgent, et nulla facta exceptione omnibus V. L. sacramentis, ergo etiam circumcisioni, virtutem iustificativam prorsus denegant. Scilicet a Concilio Florentino in decreto pro Armenis sacramenta N. L. iis V. L. opponuntur praecise ideo, quia haec non continebant nec conferebant gratiam, sed eam solum per redemptionem Christi dandam esse figurabant, illa vero gratiam continent et digne suscipientibus conferunt. Concilium vero Tridentinum (sess. 7. can. 2.) eo ipso, quod docet, sacramenta N. L. non solum ritu externo ab iis V. L. differre, simul implicite docet, differentiam esse quoad virtutem et effectum; cum igitur concilium ibidem

(can. 6.) statuat, sacramenta N. L. gratiam in anima producere, simul significat, sacramenta V. L. hac virtute caruisse.

5) Ex ratione theologica. — In hoc statu naturae lapsae **38.** mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, causa gratiae meritoria est et ideo omnis influxus gratiae in homines est per Christum hominem; quare, quaecunque praeter Deum ad gratiam conferendam vel producendam efficienter concurrunt, a Christo homine suam virtutem accipiunt atque moventur. Iamvero Christus homo suam virtutem in sacramenta V. L. influere iisque ut instrumentis uti non potuit; nam causa efficiens principalis suis instrumentis eorumque influxu ordine durationis et temporis posterior esse nequit. Ergo sacramenta V. L. instrumenta Christi hominis non erant, neque igitur virtutem ullam ad gratiam producendam habebant.

Principium huius argumenti paulo aliter explicat *S. Tho-* **39.** *mas:* „Sacramentum operatur ad gratiam causandam per modum instrumenti. Est autem duplex instrumentum: unum quidem separatum, ut baculus, aliud autem coniunctum, ut manus. Per instrumentum autem coniunctum movetur instrumentum separatum, sicut baculus per manum. Principalis autem causa efficiens gratiae est ipse Deus, ad quem comparatur humanitas Christi ut instrumentum coniunctum; sacramentum autem sicut instrumentum separatum. Et ideo oportet quod virtus salutifera a divinitate Christi per eius humanitatem in ipsa sacramenta derivetur" (S. th. 3. p. q. 62. a. 5.). Ex quo principio facile idem argumentum ac supra derivatur (cf. ib. a. 6.).

2. In circumcisione gratia conferebatur ex **40.** ***fide significata in futurum Redemptorem.*** — Quae assertio primo positive explicanda est; secundo vero falsa rei declaratio reiicitur.

1) Vera explicatio proponitur. — Nemo etiam ante Christum iustificari potuit nisi intuitu meritorum Christi vel nisi Christo capiti et redemptori insereretur. Haec autem insertio quoad adultos quidem per proprios eorum actus fidei, (saltem implicitae in Christum) spei et caritatis fiebat, qui actus sunt meritum de congruo iustificationis. Quoad infantes

vero haec insertio fieri debuit actu fidei externo nomine infantium a parentibus vel aliis adultis posito, quorum curae commissi erant. Hic actus fidei externus nullatenus erat causa iustificationis illorum parvulorum neque physica neque moralis; verum iustificationem Deus infundebat intuitu meritorum Christi, quae, quamvis adhuc futura, ex misericordi promissione Deus acceptabat. Hac igitur ratione Deus est causa efficiens iustificationis, Christus, obiectum illius fidei, causa meritoria, fides pro infante professa dispositio vel potius conditio praerequisita. Iam quoad infantes Iudaeos externa haec fidei professio praecise consistebat in circumcisione, utpote quae erat signum et causa aggregationis ad populum Dei et propterea etiam signum prognosticum futuri Redemptoris atque iustificationis per eum obtinendae. Ipsa igitur circumcisio non erat nisi conditio praerequisita ad iustificationem nec ad iustificationem concurrebat, nisi quatenus erat externa fidei professio. Hinc intelligitur, quod ex doctrina S. Pauli illorum infantium iustificatio non erat ex opere, sed ex fide, non ex lege, sed ex promissione (Rom. 4; Gal. 3, 18); atque intelligitur etiam, quod Innocentius III. docet: nimirum, quamvis inefficacia sint illa sacramenta, per mysterium eorum, per rem sacramenti i. e. per rem significatam iisdem, et in susceptione eorum deletum esse peccatum et collatam gratiam.

41. *Hac ratione SS. PP. quoque intelligendi sunt* atque sic oppositio disparet, quae in eorum testimoniis apparere posset, quia scilicet ex una parte docent, in circumcisione iustificationem impertitam esse, ex altera vero parte tamen circumcisioni ipsi virtutem iustificativam denegant. Imo satis clare et expresse hanc ipsam explicationem proponunt. Audiatur *Augustinus*: „Infantes in vetere testamento liberabantur secundum gratiam Dei per Dominum N. Iesum Christum, quem profecto inter cetera vetera sacramenta etiam ipsa praeputii circumcisio prophetavit . . . Mutatis proinde sacramentis, posteaquam venit, qui eis significabatur venturus, non tamen mutato mediatoris auxilio, qui etiam priusquam venisset in carne, antiqua sua membra liberabat suae incarnationis fide, et nos . . . convivificati sumus Christo, in quo circumcisi sumus, circum-

cisione non manu facta, quam figurabat circumcisio manu facta" (De pecc. orig. contr. Pelag. l. 2. c. 36.). Item *alibi* similiter docet: Si per se attendantur (sacramenta vetera) nullo pacto possunt mederi: si autem res ipsae, quarum haec sacramenta sunt, inquirantur, in iis inveniri poterit purgatio peccatorum" (In l. Num. q. 25.). Et *iterum*: „Eadem fides Mediatoris salvos iustos faciebat antiquos, pusillos cum magnis; non vetus testamentum, quod in servitutem generat, non lex, quae non sic est data, ut possit vivificare, sed gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum" (De nupt. et conc. l. 2. c. 11. n. 24.). *Denique* huc pertinet etiam, quod antiquos Patres ratione legis ad vetus Testamentum, ratione vero fidei ad Novum Testamentum pertinuisse docet (Ep. 140. ad Honorat.).

42. *2) Falsa rei declaratio repellitur.* — Quidam theologi praesentem quaestionem resolventes statuerunt, circumcisionem gratiae vel iustificationis causam exstitisse non quidem physicam, sed moralem; atque hac ratione SS. Patrum testimonia diversa et secundum speciem opposita invicem conciliari posse putaverunt. Ita opinati sunt *Toletus* in 3. p. q. 70. a. 4. atque *Gonetus* tom. 5. disp. 3. a. 4. § 1. n. 182. — Atvero haec opinio improbabilis, imo falsa est. Etenim *primo* supra ostensum est, circumcisionem gratiae causam non fuisse; atqui causa moralis verae et proprie dictae causae rationem habet. *Praeterea* eadem opinatio in fundamento nititur, quod saltem valde infirmum et labile est; scilicet supponit causalitatem sacramentorum N. L. physicam esse; secus enim in opinione, de qua agitur, essentiale discrimen inter sacramenta N. L. et V. L. nullum maneret. Ipse *Suarez*, qui ceteroquin physicam sacramentorum N. L. causalitatem strenue defendit, nihilominus de hac doctrina sobrie ta iudicat: „Opinio illa de causalitate physica est valde incerta et ad hominum sanctificationem non multum referens. Unde non videbitur credibile ex ea pendere doctrinam de inefficacia sacramentorum veteris legis ad causandam gratiam" (Disp. 10. s. 2. n. 7.). *Denique* intrinsecus impossibile apparet, ut sacramenta V. L. vel etiam moraliter gratiam

causaverint. Nam cum causalitate morali quoque sacramentorum necessario connectitur, quod vel ipsa sacramenta vel eorum administratio moraliter actio Christi sunt, ut est Deus-homo, quemadmodum iam supradictum est. Atqui sacramenta V. L. nullatenus erant moraliter actio Christi, ut est Deus-homo; ratio evidens est: Christus enim ut Deus-homo tunc nondum existebat; nemo autem agit neque moraliter, priusquam existit, quia nulla actio reputari potest moraliter actio alicuius personae, nisi haec persona ad eandem actionem delegaverit vel eam quacunque ratione moraliter causaverit; ita v. g. actio legati non reputatur actio regis, nisi legatus a rege mandatum ad eandem ponendam acceperit. Actio igitur, quam legatus aliquis posuit, priusquam rex existeret, nulla ratione moraliter actio regis esse potest. A pari igitur neque sacramenta V. L. neque eorum administratio moraliter actio Christi sunt; quare iustificationis causae morales nequaquam erant.

Scholion.

43. ***1. Difficultates quaedam reliquae solvuntur.*** — Cum pleraeque difficultates iam in ipsa demonstratione praeoccupatae sint, paucae solum restant expediendae:

1) Ab ipsa Scriptura tum circumcisioni tum aliis caeremoniis Mosaïcis remissio peccatorum adscribitur; atqui in hoc ordine remissio peccati nulla est sine infusione gratiae sanctificantis; immo peccata saltem gravia formaliter per infusionem gratiae delentur; ergo etiam sacramenta V. L. virtutem ad gratiam producendam habebant. — *R.* Remissio peccati et sanctitas, quam sacramenta V. L. conferebant, non interna, sed externa solum et legalis erat; scilicet *primo* caeremoniae illae efficiebant, ut peccatum non puniretur poena temporali lege sancita; *praeterea*, quia etiam immunditiae quaedam corporis, etsi inculpabiles, peccata legalia erant, quibus Iudaei ut inhabiles a cultu divino legali arcebantur, sacramenta antiqua a talibus quoque peccatis vel irregularitatibus mundabant. Eadem vero sacramenta sua virtute non valuisse ad remissionem peccatorum internorum, iam inde

patet, quod caeremoniae expiatoriae non pro omnibus, sed pro quibusdam tantum peccatis valebant et praeceptae erant; si enim ad interna peccata delenda valuissent, omnia sine discrimine expiassent. Concedi autem potest, dignam illorum sacramentorum administrationem et susceptionem adiuvare et promovere potuisse actus internos, quibus homines se ad iustificationem ex opere operantis accipiendam disponebant.

2) S. Paulus de manna in deserto dato atque de aqua 44.
scaturiente ex petra agens declarat: Eandem escam spiritalem manducaverunt et eundem potum spiritalem biberunt" (1. Cor. 10, 3. 4.). *Iamvero his verbis Apostolus de nostris et antiquis sacramentis agere atque inter ea paritatem statuere videtur; ergo. — R.* Apostolus comparationem instituit non inter nos et nostra sacramenta ex una parte et Iudaeos eorumque sacramenta ex altera parte, sed Iudaeos inter se comparat, qui eandem escam et eundem potum participarunt. Escam autem illam et potum spiritalem dicit non ratione gratiae internae spiritualis productae, sed potius ratione significationis, quia manna coeleste ss. Eucharistiam, aqua vero ex rupe percussa defluens baptismum ex Christi latere quasi promanantem praefiguravit.

3) Opponuntur SS. Patres, quorum testimonia supra 45.
allata sunt. — R. Haec testimonia nullam difficultatem facere iam intelliguntur. Etenim eo modo loquendi utuntur, quo alicui effectus tribuitur, quamvis non quidem proprie causa, sed conditio solum eiusdem sit.

2. Quaestiones quaedam expediuntur. — 46.
Ex iis, quae exposita sunt, quaedam dubia oriri possunt; quae breviter solvenda sunt.

1) Quaeritur, num in statu legis naturae etiam alia sacramenta praeter illud supra relatum exstiterint. — R. S. Thomas affirmativam sententiam tenuit, ut patet ex S. th. 3. p. q. 65 a. 1, ad 7. et in 4. d. 1. q. 1. a. 2. sol. 3. in corp. et ad 2.; alii vero theologi, ut *Suarez, de Lugo* negant; ratio eorum est, quia tunc nonnisi ea sacramenta, quae ad salutem necessaria sunt, hominibus dabantur; ad salutem autem tantum pro infantibus sacramentum requirebatur; pro

adultis caritas vel contritio perfecta vel si peccatis gravibus personalibus carebant probabiliter etiam sola fides sufficiebat. cf. *Suarez*, l. c. s. 4.; *Lugo* d. 3. s. 2. n. 60. ss.

47. *2) Quaeritur, cur in S. Scriptura nihil expressum inveniatur de illo sacramento legis naturae? — R.* Explicatio aliqua desumi potest ex doctrina *S. Thomae* aliorumque iam supra (th. 3. n. 15. ss.) relata de habitudine inter sacramenta V. L. et legis naturae. Etenim sacramenta V. L. „comparantur ad sacramenta, quae fuerunt ante legem, sicut determinatum ad indeterminatum. quia scilicet ante legem non fuit determinate praefixum homini, quibus sacramentis uteretur, sicut fuit per legem" (S. th. 3. p. q. 61. a. 3. ad 2.). Iamvero si etiam sacramentum illud legis naturae ita indeterminatum erat, mirandum non est, quod nullibi in S. Scriptura accurata eius descriptio referatur. Quod autem sacramentum legis naturae indeterminatum erat, cum indole illius status apprime convenit: etenim ipsa ecclesiae Christi constitutio durante illo statu in primo stadio inchoationis et ideo minus perfecta quoad membrorum connexionem et cultum Dei publicum erat; vel sicuti ipsa fides in Christum, futurum Salvatorem, minus perfecta et magis obscura erat, ita etiam professio eiusdem fidei ad clarum et determinatum signum alligata esse non debebat.

48. *3) Quaeritur, quodnam remedium contra peccatum originale puellis Iudaeorum et pueris ante diem octavum morientibus praesto fuerit. — R.* Pro iisdem sacramentum legis naturae perseverasse theologi declarant. Ita v. g. *Hugo Victorinus:* „Porro foeminae in populo circumcisionis sola fide salvabantur, et oblationibus aliisque caeremoniis purificatae ipsam quoque circumcisionem fide suscipientes, et in eis, qui carnem illam susceperunt, venerant participantes. Masculi, qui morte praeventi ad octavum diem pervenire non potuerunt, et ob hoc sine circumcisionis sacramento ab hac vita recesserunt, sola fide parentum cum oblationibus et sacrificiis intervenientibus non improbabiliter salvari existimantur" (l. c. l. 11. p. 11. c. 6.).

4) Quaeritur, cur peculiare sacramentum pro pueris **49.**
Iudaeorum solis, non vero pro puellis institutum sit. — R. S. Thomas: „Dicendum, quod circumcisio instituta est ut signum fidei Abrahae, qui credidit se patrem futurum Christi sibi repromissi; et ideo convenienter solis maribus competebat. Peccatum etiam originale, contra quod specialiter circumcisio ordinabatur, a patre trahitur, non a matre, ut in secunda parte dictum est, 1. 2. q. 81. a. 5. in corp. et ad 2". (S. th. 3. p. q. 70. a. 2. ad 4.). Et *iterum*: „Similiter etiam nec quantum ad hoc, quod distinctivum est signum populi fidelis ab infideli (eadem causa mulieribus cum vivis erat): quia principaliter populi distinctio est ex parte virorum, quia mulieres viris subiectae sunt; et ideo etiam apud Hebraeos non computabantur genealogiae ex parte mulierum, sed ex parte virorum" (ibid. a. 2. ad 2.).

Articulus tertius.

De interna sacramentorum N. L. constitutione vel compositione.

Thesis 4. Sacramenta N. L. spectato subiecto significante rebus tamquam materia et verbis tamquam forma componuntur.

Declaratio.

1. Duplex genus signorum. — Sacramenta, ut **1.**
supra iam dictum est, in ordine signorum sensibilium sunt; duplex autem horum signorum sensibilium genus est: quaedam ut verba, quaedam vero ut res significant. Porro verba signa sunt conceptuum mentis, conceptus autem rerum similitudines intentionales sunt; quare verba ad res significandas mediante conceptione intellectus referuntur. Verborum autem significatio tota quanta ex positiva hominum institutione provenit, qui ad suos conceptus aliis significandos voces componunt. Hinc verba ad placitum hominum significant vel eorum significatio non naturalis sed positiva est, quamvis in verbis

aliqua similitudo cum rebus naturalibus ideoque nonnullorum vocabulorum specialis aptitudo ad certas res vel actiones significandas esse possit.

2. Alia autem eorum ratio est, quae ut res significant. Per vocabulum vero *res* hic non solum elementa naturalia, ut oleum, aqua, sed actiones quoque sensibiles intelliguntur, ut ablutio, immersio, manuum impositio, circumcisio et alia plura huiusmodi, quia in his eadem ratio significandi ac in rebus est. Iamvero res non significant immediate conceptum intellectus atque mediante tali conceptu obiecta, quae per ipsum in mente repraesentantur; sed in rebus, quae rationem signi habent, immediate rei significatae significatio est; quare rerum significatio non est plane positiva vel arbitraria. Nimirum signa, quae res sunt, innatam quandam aptitudinem vel congruentiam ad significandum habent, quae aptitudo vel congruentia in naturali convenientia vel similitudine cum re significata fundatur. Et ideo non quodlibet signum reale cuiuslibet esse potest. Duplex autem similitudo discerni potest: altera habetur, cum duo vel plura in eadem qualitate vel figura vel etiam natura conveniunt, ut Petrus atque statua eius, Paulus et imago eiusdem, duo homines et alia eiusdem rationis; altera autem similitudo solum in aliqua analogia proportionis consistit atque haec in sacramentis attenditur: sicut v. g. aqua corpus ab immunditiis abluit, ita baptismus animam a peccatis mundat; atque sicut inunctio corpus iuvat atque confortat, ita confirmatio animam confortat atque ad pugnandum contra hostes salutis roborat; et quemadmodum cibus corpus reficit, ita SS. Eucharistia animam reficit et instaurat. Et haec quidem similitudo sola in sacramentis invenitur; altera enim prior corporalium cum spiritualibus esse nequit.

3. *2. Sacramentorum compositio physica.* — Supposita declaratione praemissa diversorum signorum, sensus thesis facile intelligitur. Scilicet statuitur, sacramenta N. L. perfici rebus et verbis, i. e. in unoquoque sacramento esse rem, quae rationem signi habeat, et esse verba, quibus item rationem signi conveniat. Utrumque autem signum in unum adaequatum signum sacramentale componitur; quare sacra-

menta ex rebus et verbis componuntur. Considerandum vero est, terminos *res* et *verbum* non ita stricte sumendos esse; quia enim res in ratione significandi perfectae non sunt atque in hac ipsa ratione per verba complentur, ideo res etiam omne id dicitur, quod in ratione significandi imperfectum est et determinabile, et verbum omne id vocatur, quod in ratione significandi determinat et quasi actuat. Iam haec signorum sacramentalium compositio a theologis sacramentorum compositio physica vocatur.

3. Sacramentorum compositio metaphysica. 4. — A compositione physica modo declarata oppido discernenda est compositio sacramentorum metaphysica. Etenim distingui potest totum id, quod est signum ab ipsa significatione, per quam rationem signi induit; qua distinctione facta ipsum signum sensibile ad modum subiecti, significatio autem ad modum formae abstractae se habet. Ita v. g. in verbis sonus vocabulorum elementum materiale est; significatio vero imposita elementum formale constituit, per quod verba signa idearum sunt. Qua ratione si spectantur sacramenta, totum signum sensibile per se spectatum pars determinabilis est et subiectum significationis; ipsa vero significatio a Deo imposita pars determinans et in ratione sacramenti constituens est. Haec compositio a theologis metaphysica vocatur; de ipsa autem hic non agitur, sed de ea solum sermo est, quae physica vel quasi-physica nominatur.

Iam *duplici thesis parte distincta* in prima illa compositio physica sacramentorum probatur; in altera autem parte demonstratur, usum loquendi ecclesiasticum prorsus legitimum et aptum esse, secundum quem per analogiam quandam cum corporum constitutione in eadem compositione res *materia* et verba *forma* dici solent.

Demonstratio.

I. p. Sacramenta N. L. ex rebus et verbis componuntur.

1. Probatur ex SS. Patrum doctrina. — 5 SS. Patres tum graeci tum latini saepe res et verba in sacra-

mentis commemorant atque eadem ad essentiam sacramentorum pertinere significant. Ita v. g. *ex Graecis Cyrillus Hierosolymitanus* de confirmatione agens: „Ceterum vide, ne nudum et vile suspiceris unguentum hoc esse. Nam sicut panis Eucharistiae, post invocationem Sancti Spiritus, non est communis panis, sed corpus Christi: ita et sanctum istud unguentum, non amplius nudum, neque si quis ita apellare malit, commune unguentum est post invocationem, sed Christi donarium et Spiritus Sancti, praesentia divinitatis eius, efficiens factum. Quod quidem symbolice fronti aliisque sensibus tuis illinitur. Ac dum unguento visibili inungitur corpus, sancto et vivifico Spiritu anima sanctificatur" (Catech. 3. n. 3.). — Et *Gregorius Nyssenus*: „Panis item, panis est initio communis, sed ubi eum mysterium sacrificaverit, corpus Christi fit et dicitur. Sic mysticum oleum, sic vinum, cum sint res exigui pretii ante benedictionem, post sanctificationem, quae a Spiritu procedit, utrumque eorum excellenter operatur. Eadem item verbi vis etiam sacerdotem augustum et honorandum facit, novitate benedictionis a communitate vulgi segregatum. Cum enim heri ac tempore superiore unus e multitudine ac plebe esset, repente redditur praeceptor, praeses, doctor pietatis, mysteriorum latentium praesul: eaque contingunt ei, cum nihil vel corpore vel forma mutatus; sed quod ad speciem externam attinet, ille sit qui erat, invisibili quadam vi ac gratia invisibilem animam in melius transformatam gerens" (In baptism. Christi oratio.).

6. Similiter *Latini*, v. g. *Tertullianus:* „Nihil adeo est, quod tam obduret mentes hominum quam simplicitas divinorum operum, quae in actu videntur, et magnificentia, quae in effectu repromittitur; ut hic quoque, quoniam tanta simplicitate, sine pompa, sine apparatu novo aliquo, denique sine sumptu, homo in aqua demissus, et inter pauca verba tinctus, non multo vel nihil mundior, resurgit, eo incredibilis existimetur consecutio aeternitatis . . . Igitur omnes aquae . . . sacramentum sanctificationis consequuntur invocato Deo" (De baptismo c. 2.). Pariter *Ambrosius:* „Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret; quid dicimus de

ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tamen valuit sermo Eliae, ut ignem de coelo deponeret: non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: *Quia ipse dixit et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt* (Ps. 148, 5.); sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quae sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas" (De mysteriis c. 9. n. 50 ss.). — Denique valde clare eam doctrinam proponit *Augustinus:* „Quare non ait, mundi estis propter baptismum, quo loti estis; sed ait *propter verbum quod locutus sum vobis;* nisi quia et in aqua verbum mundat? Detrahe verbum, et quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum, etiam ipsum tamquam visibile verbum . . . Unde tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo? . . . Mundatio igitur nequaquam fluxo et labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo" (Tract. 80 in Ioan. n. 3.).

2. Ex communi theologorum consensu. — 7. Quamvis theologi in assignandis determinate rebus et verbis quorundam sacramentorum dissentiant, omnes tamen unanimiter docent, omnia N. L. sacramenta rebus tamquam materia et verbis tamquam forma componi; atque huius compositionis etiam rationes congruas assignant. Testis huius consensus est *Suarez*, qui declarat: „Haec assertio satis probatur communi consensu theologorum omnium" (Disp. 2. s. 1. n. 3.). Et *Dominicus Soto* asserit: „Fidei esse catholicae, sacramenta constare rebus et verbis, quod sine manifesta haeresi negari non posset" (In 4. d. 1. q. 1. a. 6.).

3. Ex conciliorum decretis. — *Eugenius IV.* in 8 concilio Florentino, postquam septem N. L. sacramenta enumeravit, sic declarat: „Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma et persona ministri conficientis sacramentum cum intentione faciendi quod facit ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum." Item *Martinus V.* in Concilio

Constantiensi hanc doctrinam commemorat et supponit; nam eum, qui errorum Wiclefi et Hussi suspectus esset, interrogandum esse declarat „utrum credat, quod malus sacerdos cum debita materia et forma et cum intentione faciendi, quod facit ecclesia, vere conficiat, vere absolvat, vere baptizet, vere conferat alia sacramenta“ (Inter artic. 39. a. 22.). Denique *Concilium Tridentinum* quoque eandem doctrinam supponit vel etiam aperte statuit; etenim de differentia agens, quae inter Baptismum et Poenitentiam intercedit, hoc sacramentum ab illo inter alia eo differre docet, quod „materia et forma, quibus sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet“ (Sess. 14. c. 2.). Item postea pluries de Poenitentiae materia et forma agit.

9. *Opportune hic notatur*, cum ecclesiae fide hac in re consentire doctrinam sectarum orientalium; quod patet v. g. ex responsione, quam *Ieremias*, Patriarcha Constantinopolitanus saec. 16. Protestantibus Tubingensibus dedit unionem cum Orientalibus sectantibus. Etenim enumeratis septem N. L. sacramentis declarat: „Quae quidem omnia sacramenta sacra sanciuntur Scriptura certamque et definitam materiam et formam habent.“

10. ***4. Confirmatur ex ratione theologica.*** — Theologi huius constitutionis vel compositionis sacramentorum varias rationes congruas assignarunt, quae ad momentum eiusdem melius intelligendum iuvant. Easdem rationes in unum colligit et exponit hunc in modum *S. Thomas*: „Sacramenta, sicut dictum est, adhibentur ad hominum sanctificationem, sicut quaedam signa. Tripliciter ergo considerari possunt, et quolibet modo congruit eis, quod verba rebus sensibilibus adiungantur. *Primo* enim possunt considerari ex parte causae sanctificantis, quae est Verbum Incarnatum, cui sacramentum quodammodo conformatur in hoc, quod rei sensibili verbum adhibetur, sicut in mysterio Incarnationis carni sensibili est Verbum Dei unitum. *Secundo* possunt considerari sacramenta ex parte hominis, qui sanctificatur, qui componitur ex anima et corpore, cui proportionatur sacramentalis medicina, quae per rem visibilem corpus tangit, et per verbum ab anima creditur. Unde Augustinus, super illud

Ioan. 15: *Iam vos mundi estis propter sermonem etc.*, dicit (Tract. 9. in Ioan.): ‚Unde tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?' *Tertio* possunt considerari ex parte ipsius significationis sacramentalis. Dicit autem Augustinus in 2. de doct. Christ. c. 3., quod ‚verba inter homines obtinuerunt principatum significandi', quia verba diversimode formari possunt ad significandos diversos conceptus mentis, et propter hoc per verba magis distincte possumus exprimere, quod mente concepimus. Et ideo ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit, ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur. Aqua enim significare potest et ablutionem propter suam humiditatem et refrigerium propter suam frigiditatem; sed cum dicitur: Ego te baptizo, manifestatur, quod aqua utimur in baptismo ad significandam emundationem spiritualem" (S. th. 3. p. q. 60. a. 6.).

11. ***5. Ostenditur inductione ex singulis sacramentis facta.*** — Compositio sacramentorum ex rebus et verbis hucusque magis generaliter demonstrata, quoad singula sacramenta et ad oculos quasi demonstratur inspiciendo ritum essentialem, quo unumquodque sacramentum in ecclesia administratur:

1) Baptismus administratur ablutione aqua vel immersione in aquam facta, quae est res, et pronuntiatione formae, quae in verbis continetur: „Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti." Hic enim ritus essentialis in ipsa Scriptura refertur: *„Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti"* (Matth. 28, 19.). Item alibi: *„Christus dilexit ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet sibi ipsi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata"* (Eph. 5, 25. 27.).

12. 2) *Confirmatio* administratur manuum impositione per modum unctionis facta, quae est res, et oratione, quae in verbis continetur: „Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti."

Hic saltem ritus in ecclesia latina observatur; in orientali vero ecclesia item res et verba aequivalentia adhibentur. Substantiam vero huius ritus rem et verba complectentis ipsa Scriptura refert: „*Cum autem audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem, qui, cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum*" (Act. 8, 14 ss.).

13. 3) In *ss. Eucharistiae* confectione occurrunt species panis et vini, atque his res continetur; item verba habentur: „Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus." Quae sacramenti eucharistici elementa item ab ipsa Scriptura exhibentur: „*Et accepto pane gratias egit . . . et dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam coenavit dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*" (Luc. 2, 19. 20.).

14. *4) Extrema unctio* quoque in ritu suo essentiali res et verba complectitur; res scilicet in unctione posita est, verba vero in oratione continentur; cuius orationis quidem diversae, sed aequivalentes formae pro diversa aetate et parte ecclesiae exstant. Utrumque elementum huius sacramenti, rem et verba S. Scriptura clare refert: „*Et orent* (presbyteri ecclesiae) *super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*" (Iacob. v. 14.).

15. 5) Item *sacramentum ordinis* re et verbis constituitur et res quidem manuum impositione, verba autem oratione continentur, quae pro diversis ordinis gradibus diversa modificatio verborum est: Accipe Spiritum Sanctum. Atque haec ex Traditione constant, sed in Scriptura quoque satis clare proponuntur; de presbyteratu enim haec referuntur: „*Et cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros, et orassent cum ieiunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt*" (Act. 14, 22.). Ordinatio vero diaconorum

his verbis refertur: „*Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum; et orantes imposuerunt eis manus*“ (Act. 6, 6.).

Quod duo reliqua sacramenta attinet, non adeo perspicue apparet compositio ex re et verbis; imo magna difficultas in eo cerni potest, quod in sacramento poenitentiae nulla res, in sacramento vero matrimonii insuper nonnunquam neque verba inveniantur. Verum etiam in his sacramentis illam compositionem inveniri, propter argumenta supra adducta retinendum est, utpote quae de omnibus sacramentis indiscriminatim valeant. Restat igitur solum, ut paucis explicetur, qua ratione in his duobus sacramentis illa compositio inveniatur.

6) Sacramentum poenitentiae quod attinet, in ea expli- **16.**
catione non consentiunt theologi; probabilior autem haec explicatio fuerit: Ut iam supra dictum est, in hac quaestione *res* et *verba* non stricte sumenda sunt, sed res ut id quod in significatione est imperfectum et determinabile, verba autem ut id quod determinans est, recte intelligi possunt. Quo principio considerato etiam sacramentum poenitentiae ex re et verbis componi, commode intelligitur. Etenim cum hoc sacramentum ad modum iudicii institutum sit, in eodem accusatio vel poenitens submissio sub iudicio sacramentali habetur, quae in significatione sacramentali imperfecta ideoque determinabilis et determinanda est; quare in hac submissione res continetur; insuper ad idem sacramentum absolutio pertinet, quae significationem sacramentalem perficit et determinat atque ideo ad instar verborum est.

7) Matrimonii compositio ex re et verbis difficilius ex- **17.**
plicatur; plures tamen exstant explicationes plus minusve probabiles. A principio autem in hac quaestione considerandum est, ipsum contractum matrimonialem esse sacramentum, atque hunc contractum vel hoc sacramentum immediate unionem Christi cum ecclesia, gratiam autem sanctificantem mediate significare. Illud igitur quod est minus determinatum ad hanc significationem et proinde determinatione indiget res est; et quod sub eodem respectu determinat verba sunt. Primo igitur, quando contractus matrimonialis initur simul per actionem aliquam externam v. g. manuum porrectionem

et compressionem atque simul per verba, nulla est difficultas, quia in tali casu res et verba adesse perspicue intelliguntur. Quando autem matrimonium solis verbis sive pronuntiatis sive scriptis vel solis nutibus initur, magna difficultas exstare videtur, quia vel res vel verba deficiunt. Cuius difficultatis plures, ut dictum est, solutiones a theologis traditae sunt.

18. *Prima sententia* est, verba vel nutus, quatenus ius matrimoniale efficiunt rationem rei, quatenus vero obligationem imponunt, rationem verborum habere. *Secunda paulo diversa solutio Cardinalis Franzelin* est, qui dicere videtur, rem esse ipsum consensum internum mediate sensibilem, quo corpora traduntur, verba esse vel verba proprie dicta vel aequivalentia, ut nutus, quibus consensus internus extrinsecus exprimitur. *Tertia sententia* ponit, verba vel nutus in contractu matrimoniali dicere tum traditionem iuris matrimonialis et sub hoc respectu habere rationem rei; tum dicere acceptationem iuris matrimonialis et sub ea ratione rationem habere verborum.

19. *Denique quarta solutio et verior* ita explicatur: Quemadmodum contractus emptionis perficitur per traditionem rei ipsius vel symboli eiusdem, ut clavium domus, et simul per verba, ita etiam matrimonium per traditionem corporum et simul per verba perficitur, ubi sane traditio corporum ad instar rei est. Potest autem fieri et saepissime fit, ut contractus v. g. emptionis solis verbis fiat absque reali traditione; in quo casu verba utramque vim habent i. e. simul verba et simul virtualis traditio rei sunt; traditio igitur rei et verba tunc solum virtualiter distincta sunt. „Habent ergo, ita *Cardinalis de Lugo*, verba illa, quibus matrimonium perficitur, utramque vim, scilicet obligationis et traditionis, quae possent separari, et fieri singulae per signa diversa: quare quando eadem verba gerunt utrumque munus, ibi possumus distinguere virtualiter traditionem, et obligationem personalem, et dicere, quod verba illa, ut sunt traditio corporum, sint materia, ut vero sunt verba inducentia obligationem personalem, sicut alia verba, sint forma, eo quod habeant in re simul illa duo, quae in contractu

emptionis inveniuntur regulariter in verbis simul et in traditione rei venditae; et habeant etiam in se simul totam rationem signi . . .; quare significare possunt et per modum materiae et per modum formae" (De sacram. in genere disp. 2. s. 1. n. 29.).

Neque contra hanc explicationem opponi potest, eandem cum decreto *Eugenii IV.* supra adducto satis componi non posse, utpote qui sacramentum ex re et verbis realiter distinctis compositum intelligere videatur. Etenim Pontifex de matrimonio tractans (D. n. 597.) ipse notat, in hoc sacramento non semper, sed regulariter solum verba intervenire; unde docere intelligitur, decretum illud de sacramentorum compositione ex rebus et verbis non de rebus et verbis formaliter, sed de iisdem vel formaliter vel aequivalenter accipiendum esse. **20.**

2. p. In hac sacramentorum compositione res termino *materiae,* verba vero termino *formae* recte prorsus nuncupantur.

1. Probatur ex aptitudine huius formulae loquendi ad rem intentam designandam. — Formula loquendi, secundum quam sacramenta ex materia et forma constare dicuntur, aptissime sacramentorum constitutionem menti sistit. Etenim hac formula indicatur, res et verba tamquam partes essentiales ad sacramentum constituendum concurrere modo analogo, quo in ordine physico materia et forma proprie dictae ad unum ens physicum et substantiale componendum concurrunt; atqui haec analogia perfecte subsistit. Ergo reipsa illa formula aptissime adhibetur. *Minor manifesta evadit* tribus momentis consideratis: *primo* res in sacramentis rationem habent eius, quod indeterminatum, potentiale, indifferens est ad hanc vel illam significationem, verba vero rationem habent eius, quod determinat et actuat; simili modo in ordine physico materia indifferens et indeterminata a forma determinatur et actuatur. *Secundo* verba ad rem accedentia hanc in ordine sacramentali perficiunt et absolvunt, sicut forma ad materiam accedens hanc complet et **21.**

perficit. Denique *tertio* verba cum rebus unum sacramentum vel signum sacramentale constituunt, quod tum a rebus tum a verbis seorsum sumptis distinctum est, sicut in ordine physico materia et forma unum corpus constituunt quod tum a materia tum a forma sola distinctum est. Cf. S. th. 3. p. q. 60. a. 6. ad 2. et a. 7. in corp.

22. *Considerandum tamen hic est*, hanc analogiam inter constitutionem sacramentorum et corporum compositionem nimis urgendam non esse. Etenim cum corpus sit unum per se physicum, sacramentum solum unum morale est: atque hinc sponte consequitur, non eandem propinquitatem vel simultaneitatem inter partes sacramenti urgeri posse, quae inter partes corporis necessario requiritur et invenitur; scilicet inter partes sacramenti ea unio sufficit, qua pro indole cuiusque sacramenti utraque pars ad eandem significationem concurrere possit; unde iterum non eadem in omnibus, sed diversa in diversis sacramentis unio requiritur, quod in tractatione de singulis sacramentis accuratius explicatur.

23. ***2. Ex diuturno eiusdem formulae usu.*** — Iam diuturno saeculorum usu haec formula in ecclesia comprobata est; etenim inde a saeculo 13. tum a theologis tum ab ipso magisterio ecclesiastico sive in conciliorum sollemnibus decretis sive in ordinaria praedicatione adhibita est, ut ex documentis supra iam allatis patet et hac quoque *Catechismi Tridentini* propositione confirmatur: „Duo enim sunt, ex quibus quodlibet sacramentum conficitur, quorum alterum materiae rationem habet, atque elementum dicitur, alterum formae vim et verbum communi appellatione appellatur" (P. 2. c. 1. n. 15.). Iamvero hoc diuturno usu illam formulam loquendi tamquam rectam et aptam comprobatam esse manifestum est, etenim magisterium authenticum et theologorum communis consensus neque in formula loquendi, quae tam arcte cum ipsa fide cohaeret, a veritate aberrare possunt. Ergo.

24. *Notandum vero hic est primo* a materia, quam partem esse sacramenti sive ritus sacramentalis essentialis modo ostensum est, sedulo discernendam esse *materiam, circa quam* ritus sacramentalis vel ipsum sacramentum versatur seu ex

qua sacramentum conficitur qualis. v. g. est aqua in baptismo, oleum in confirmatione et extrema unctione. Dum haec *materia remota* sive *ex qua* sive *circa quam* vocatur, illa potius *materiae quae* vel *proximae* nomen habet. Unde sedulo semper discernendum est, quo sensu terminus materiae adhibeatur, quando hac in re apud theologos occurrit vel etiam in documentis ecclesiasticis adhibetur. In hoc ipso autem difficultas aliqua invenitur, quia nec semper nec ab omnibus accurate inter utramquam materiam discernitur. Qui defectus praesertim apud eos apparet, qui primi hanc formulam loquendi adhibuisse videntur, scilicet *B. Alanus Magnus*, qui panem Eucharistiae materiam, verba formam appellat (in regulis de sacra theologia; cf. Tournely, de sacram. in genere a. 4. not. 1.) necnon *Gulielmus Antisiodorensis* (vel qui alius est auctor summae theologiae, quae eius nomine inscribitur) ita scribens: „Dicimus, quod sicut de essentia baptismi dicuntur esse tria, scilicet materia et forma verborum et intentio baptizandi; similiter de essentia Eucharistiae dicuntur esse tria, scilicet ordo sacerdotalis et forma verborum et materia, scilicet panis et vinum: eodem modo de essentia huius sacramenti (extremae unctionis) dicuntur esse tria, scilicet ordo sacerdotalis et oratio fidei et materia, scilicet oleum consecratum ab episcopo: non est autem ipsa oratio ipsa unctio, vel pars eius, sed hoc modo dicitur esse de essentia, quia per ipsam habet unctio, quod sit sacramentum, h. e. quod similitudinem eius gerat, quod figurat" (Summa theologiae l. 4. fol. 283. col. 4.).

Notandum est secundo item terminum *formae* a SS. Pa- **24.**
tribus adhibitum fuisse in sensu latiori ad totum ritum administrationis sacramentorum significandum. Ita *S. Augustinus* contra Pelagianos ostendens in parvulis nondum baptismo renatis diabolum per peccatum quasi inhabitare, ex caeremoniis, quae ante baptismum adhibentur argumentatur atque totum administrationis ritum nomine *formae* designat: „Quid de ipsa forma sacramenti loquor? Vellem aliquis istorum, qui contraria sapiunt, mihi baptizandum puerum offerret. Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non

tenetur? Ipse certe mihi fuerat responsurus pro eodem parvulo quem gestaret, quia pro se ille respondere non posset. Quomodo ergo dicturus erat, eum renuntiare diabolo, cuius in eo nihil esset? Quomodo converti ad Deum, a quo non esset aversus, credere inter cetera remissionem peccatorum, quae illi nulla tribueretur?" (De peccat. merit. et remiss. c. 34.). Similiter eandem vocem adhibent Patres *Concilii Milevitani* (can. 2. cf. D. n. 65) necnon Patres *Concilii Tridentini* canonem illum Conc. Mil. transcribentes (sess. 5. decret. de pecc. orig.) atque denique *Innocentius IV.* in commentariis super caput *Presbyter*, de sacramentis non iterandis. Quae cum ita sint, eiusmodi testimonia absurde certe afferrentur ad 2. thesis huius partem demonstrandam.

Corollarium.

26. ***1. Sacramenta V. L. ex materia et forma non constabant.*** — Ita v. g. ritus circumcisionis (Gen. 17.) solam actionem, nulla verba complectebatur: idem dicendum est de esu agni paschalis (Ex. 7.), de ordinatione sacerdotum (Lev. 8.) aliisque V. L. sacramentis: si vero quandoque verba quoque adhibebantur, ad essentiam non pertinebant et humanae potius institutionis erant. Et ratio quidem huius rei est, quia status V. L. magis imperfectus atque fides in eo magis obscura erat; quare instituta V. L. solum rationem typorum habebant atque futurorum adumbrationes, non autem plena et historica descriptio erant. Apposite *S. Thomas:* „Alia debent esse sacramenta rei praesentis et alia rei futurae. Sacramenta autem V. L. praenuntia erant Christi venturi et ideo non ita expresse significabant Christum, sicut sacramenta N. L., quae ab ipso Christo effluunt et quandam similitudinem ipsius in se habent" (S. th. 3. p. q. 60. a. 6.).

27. ***2. Materia et forma tamquam partes essentiales sacramenta intrinsecus constituunt, etiam sacramentum Poenitentiam.*** — *Scoti* multorumque eorum qui eum sequuntur, sententia fuit, in omnibus vel aliquibus sacramentis, nominatim in Poenitentia, solam formam

sacramentum constituere, materiam vero vel non inveniri vel si inveniatur, non aliam rationem habere, quam conditionis praerequisitae. Verum multo probabilior opposita sententia est, secundum quam etiam materia sicuti alia sacramenta ita etiam Poenitentiam intrinsecus constituit; quod paucis hic ostendendum est, cum fusior rei explicatio ad tractationem de singulis sacramentis pertineat.

1) Probatur ex communi acceptione terminorum, ‚materia' et ‚forma'. — Etenim ex usu loquendi communiter recepto termini *materia* et *forma* sane partes essentiam ad modum potentiae et actus constituentes significant. Ergo etiam in praesenti quaestione his terminis nativus ille valor tribuendus est, nisi graves rationes oppositum evincant. Atqui eiusmodi rationes nullae esse videntur. Ergo materia et forma in omnibus sacramentis etiam in Poenitentia tamquam partes essentiales intrinsecus constitutivae considerandae sunt.

2) Ex interna sacramenti ratione. — Cum sacramenta **28.** ex essentia sua sint signa visibilia et symbolica gratiae internae, omne illud ad essentiam sacramenti tamquam constitutivum pertinet, quod sacramentum in ratione signi visibilis et symbolici gratiae internae constituit; atqui non solum forma, sed materia quoque sacramenta formaliter signa visibilia et symbolica gratiae internae constituit, ut v. g. de ablutione in baptismo evidens esse videtur: ergo etiam materia pars est sacramenta essentialiter constituens.

3) Ex auctoritate. — *Primo* enim haec doctrina magis **29.** consona est modo loquendi *conciliorum Florentini et Tridentini,* quorum decreta iam supra allata sunt. Imprimis huc pertinet, quod *Tridentinum,* de discrimine inter baptismum et poenitentiam agens, materiam et formam generatim ad essentiam sacramentorum pertinere dicit: „materia et forma quibus sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet." *Praeterea S. Thomas* diversis locis hanc doctrinam manifesto docet et urget, ut v. g. 3. p. q. 99. a. 1.: „Partes essentiae sunt naturaliter quidem forma et materia, logice autem genus et differentia. Hoc autem modo quodlibet sacramentum distinguitur in materiam et formam, sicut in partes essentiae."

Denique idem inculcat *catechismus Tridentinus:* „Haec igitur (materia et forma) sunt partes, quae ad naturam et substantiam sacramentorum pertinent, et ex quibus unumquodque sacramentum necessario constituitur (P. 2. c. 1. n. 17.).

30. *Opponunt primo:* In decreto pro Armenis sacramenta tribus perfici dicuntur, scilicet rebus, verbis et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit ecclesia. Ergo concludendum est, aut etiam ministrum vel intentionem eius esse partem essentialem sacramenti aut vi huius decreti neque materiam et formam tamquam essentiales partes considerandas esse; iamvero hoc alterum potius dicendum esse ipso termino perfici et inde etiam patere videtur, quod intentio improbabiliter tamquam pars sacramenti constitutiva consideraretur, ut inferius constabit. — *R.* Cum decretum dicat sacramentum perfici rebus tamquam materia et verbis tamquam forma, satis indicatur tum materiam et formam esse partes essentiales sacramentorum tum praeterea nullam aliam eiusmodi partem esse; quia generatim materia et forma essentiam complete constituunt. Quare quia S. Pontifex illo decreto complecti voluit omnia ea, quae ad valorem sacramentorum necessario requiruntur, recte usus est verbo *perfici* potius, quam alio v. g. *constitui*: quia illud verbum ad causas tum internas tum externas apte refertur, hoc vero solum causas internas constituentes significat.

31. *Secundo opponunt*: In sacramento poenitentiae materiam non haberi tamquam partem constitutivam vel actus poenitentis eiusmodi partem materialem constitutivam non esse, ab ipsis Conciliis Florentino et Tridentino significatur, utpote quae hos actus *quasi-materiam* vocant. — *R.* Concilia illa adhibendo particulam ‚*quasi*' nullo modo negare voluerunt actus poenitentis esse materiam sacramenti poenitentiae tamquam partem constitutivam. Etenim *primo* Concilia illa ratione loquendi secuti sunt S. Thomam, ex cuius opusculo *de articulis fidei et septem sacramentis ecclesiae* verba Concilii Florentini de poenitentia agentia ad verbum fere expressa sunt. S. Thomas autem actus poenitentis tamquam partem constitutivam sacramento poenitentiae aperte considerat. Etenim

proposita sibi hac difficultate: „Videtur quod poenitentia non sit sacramentum. In omni enim sacramento N. L. est aliquod materiale, quod est causa gratiae . . . Sed nihil tale est in poenitentia. Ergo . . .", respondet: „In illis sacramentis, quae sine actu nostro complentur est materia, quae constat et significat quasi medicina externe apposita. In illis autem sacramentis, quae actum nostrum requirunt, non est talis materia; sed ipsi actus externi apparentes hoc idem faciunt, quod materia in aliis sacramentis" (In 4. d. 14. q. 1. a. 1.). Quibus verbis sensus termini *quasi-materia* satis clare declaratur. Cf. S. th. 3. p. q. 90. a. 1. *Secundo Catechismus Tridentinus* eadem ratione rem declarat: „Jam quoniam nihil fideli populo notius esse debet, quam huius sacramenti (poenitentiae) materia, docendum est, in eo maxime hoc sacramentum ab aliis differre, quod aliorum sacramentorum materia est res aliqua naturalis, vel arte effecta: sacramenti vero poenitentiae *quasi materia* sunt actus poenitentis, nempe contritio, confessio et satisfactio, ut a Tridentina Synodo declaratum est . . . Neque vero hi actus *quasi materia* a sancta Synodo appellantur, quia vere materiae rationem non habeant; sed quia eius generis materia non sint, quae extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo et chrisma in Confirmatione" (P. 2. n. 17.). *Tertio* denique eandem explicationem egregie confirmat vel ipse *Vega Scotista*, utpote qui, cum in concilio Tridentino in persona praesens esset, aperte concedit, nostram doctrinam „magis consonam apparere conciliorum Florentini et Tridentini definitionibus"; imo addit: „cum materia vel quasi-materia sacramenti debeat pars ipsius censeri, videtur profecto necessarium esse concedere, ex his partibus constare hoc sacramentum" (Defens. Conc. Trid. l. 13. c. 15). Ceterum accuratior huius quaestionis de poenitentiae constitutione inquisitio ad tractatum de poenitentia pertinet.

32. ***3. Spectata significatione sacramentorum materia et forma eorum ab ipso Christo Deo-homine necessario determinatae sunt.*** — Cum specialis huius quaestionis tractatio ad quaestionem de institu-

tore sacramentorum pertineat, hoc loco quaedam generalia notanda sunt, quae sponte ex superioribus declarationibus consequuntur.

1) Cum actualis sacramentorum significatio tota positiva sit, materia et forma quoque sacramentorum positive determinari debuerunt. — Ut iam supra dictum est, sacramenta non sunt signa mere naturalia, sed ex institutione significant. Nimirum sacramentorum significatio non quidem plane arbitraria est, quia tum in re seu materia quaedam naturalis aptitudo ad eandem significationem praerequiritur, tum in verbis humana eorum institutio ad significandum praesupponitur. Verum hac aptitudine ad significandum sacramentaliter ritus sacramentalis in se consideratus solum in actu primo, nondum autem in actu secundo sacramentalem significationem habet. Ut igitur sacramenta in actu secundo atque practice significent, institutio positiva accedere debet. Quod breviter et egregie expressit *Hugo Victorinus*: „Sacramentum est materiale elementum foris sensibiliter propositum ex similitudine repraesentans, ex institutione significans“ (De sacram. l. 1. p. 9. c. 3.). Quod autem illi ritus sensibiles ex se nondum actu secundo et efficaciter significent id ex duplici ratione provenit: *prima* est, quia ille ritus in aliquibus sacramentis non est satis determinatus, ut v. g.: ego te baptizo i. e. in aquam immergo vel abluo; *altera* autem est, quia ille ritus, etsi satis determinatus sit, ut v. g.: ego te absolvo a peccatis tuis, vel: hoc est corpus meum, ex se non est efficax ideoque eam significationem actualem veram nondum habet, quae signis demonstrativis gratiae convenit. Ergo evidens est, ritus sensibiles rationem signorum sacramentalium nisi ex positiva institutione habere non posse. Iamvero in N. L. signa sacramentalia ex materia et forma constant. Ergo etiam materia et forma positiva institutione determinari debuerunt.

33. *2) Materia et forma ab ipso Christo Deo-homine aliqua ratione determinari debuerunt.* — Quod patet sive sacramentorum significationem speculativam sive praesertim practicam consideres. Et quidem considerata significatione speculativa

sacramentorum conveniens apparet, ut qui causa est gratiae efficiens et meritoria eius signa quoque instituat. Neque tamen id prorsus necessarium fuerit; nam repugnare non videtur, quin ipsi homines signa gratiae speculativa determinent. Considerata vero significatione practica sacramentorum institutio eorumdem et consequenter determinatio materiae et formae necessario a Deo seu Christo Deo-homine processit; nam ille solum potest ritus sensibiles in signa practica et vera gratiae instituere, qui iisdem hanc suam veritatem practicam vel efficaciam supernaturalem largiri potest; quod quidem nulla creatura valet. Ergo. Apposite *S. Thomas*: „In usu sacramentorum duo possunt considerari: scilicet cultus divinus et sanctificatio hominis; quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum: secundum autem pertinet ad Deum per comparationem ad hominem. Non pertinet autem ad aliquem determinare illud, quod est in potestate alterius, sed solum id, quod est in sua potestate. Quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res, quibus sanctificetur: sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Et ideo in sacramentis N. L., quibus homines sanctificantur secundum illud 1. Cor. 6, 11.: *abluti estis, sanctificati estis*, oportet uti rebus ex divina institutione determinatis" (S. th. 3. p. q. 60. a. 5; cf. ib. ad 1. et 2.).

34. *3) Haec materiae et formae determinatio per se variis modis a Christo fieri potuit.* — Et quidem ex natura rei nihil obstat, quominus triplici modo fieri posset. Scilicet *primo* potuit ipse Deus tamquam auctor gratiae vel Christus voluntate sua divina sola, nulla interveniente voluntate humana, signum sacramentale in specie et in individuo determinare. *Secundo* sacramentorum institutio ita fieri potuit, ut Christus Deus-homo voluntate sua humana signum sacramentale ex suis meritis efficax determinaret ita, ut a Deo vel antecedenter vel consequenter approbaretur. *Tertio* fieri etiam potuit, ut merus homo potestate a Deo vel Christo accepta signum sacramentale determinaret ita, ut ratum habendum

esset a Deo et Christo homine. Et quidem determinatio signi sacramentalis ita potuit mero homini relinqui, ut cum approbatione divina determinaret solam formam, materia iam a Deo determinata vel vice versa, vel etiam ut utrumque determinaret. Atque etiam ita eadem signi sacramentalis determinatio ab homine fieri potuit, ut vel tota determinatio materiae et formae ab homine fieret vel determinatis genere et specie sola determinatio in individuo homini relinqueretur. In his enim omnibus casibus sub numero tertio comprehensis, homo signum sacramentale determinaret solum potestate a Deo accepta; quare sacramentorum institutor non principalis sed ministerialis esset. In omni igitur casu signum sacramentale ultimo a Deo determinatum esse intelligitur.

35. *Ex his omnibus iam manifestum est*, ex libera Christi Deihominis sacramentorum institutoris voluntate pendere, cuius rationis determinatio materiae et formae in sacramentis fuerit. De concreto igitur determinationis modo ex iisdem fontibus statuendum erit, qui notam institutoris voluntatem reddunt. Haec autem non aliunde innotescit, nisi ex Scriptura et Traditione tum theoretica tum maxime practica seu ex constanti et universali ecclesiae usu. In hac enim re ecclesia sane a Spiritu Sancto regitur atque infallibilis prorsus est.

Quaestio secunda.

De sacramentorum causalitate.

Articulus primus.

Doctrina catholica statuitur.

Thesis 5. **Dogma revelatum est, sacramenta N. L. esse veras causas instrumentales gratiae, quam significant.**

Declaratio.

1. Quaestionis argumentum et divisio. — 1. Explicatis quantum satis est, essentia, existentia, constitutione sacramentorum exponenda venit gravissima quaestio de sacramentorum causalitate, in qua duplex gravis controversia expedienda est: *prima* est cum Protestantibus, contra quos verus sacramentorum influxus causalis in iustificationem seu gratiam sanctificantem statuendus est; *altera* inter catholicos theologos agitatur de modo, quo sacramenta gratiam causent. Ut utraque controversia clare et accurate tractetur, tota quaestio in tres articulos dividitur:

Articulus primus: Doctrina catholica statuitur.
Articulus secundus: Doctrina Protestantium reiicitur.
Articulus tertius: Controversia scholastica de modo quo sacramenta causent gratiam agitatur.

2. Notio causae et causalitatis. — Causa in genere 2. definitur principium influens in existentiam alicuius rei. Varia autem causarum genera discernuntur: *Causa efficiens* dicitur, quae sua operatione principium alicuius rei est; *finalis* illud est, cuius gratia aliquid fit vel quod sua bonitate causam efficientem ad effectum producendum movet; *materialis* vocatur illud, ex quo aliquid fit; *formalis* illud est, quod se communicando aliquid ad certam speciem determinat; *exemplaris* denique illud est, secundum quod tamquam normam dirigentem vel ad cuius imitationem aliquid fit.

3. Causa efficiens vero, de qua hic agitur, in causam principalem et instrumentalem dividitur. *Causa principalis* est, quae virtute propriae formae vel naturae agit et effectui proportionata est; *causa instrumentalis* relative dicitur ad causam principalem eique subordinata est, quatenus haec illa utitur ad effectum producendum. Hinc causa instrumentalis effectum, relate ad quem instrumentum est, non attingit propria virtute, sed virtute agit a causa principali derivata. „Duplex est causa agens, inquit *S. Thomas,* principalis et instrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutem suae formae, cui assimilatur effectus, sicut ignis suo calore calefacit . . . causa vero instrumentalis non agit per virtutem suae formae, sed solum per motum, quo movetur a principali agente, sicut lectus non assimilatur securi, sed arti, quae est in mente artificis“ (S. th. 1. p. q. 105. a. 5.). Motus vero, de quo *S. Thomas* loquitur, sane non solum motus localis intelligendus est, sed omnis motus virtuosus, quo instrumentum a causa principali ad effectum movetur.

4. Distinctio in causam principalem et instrumentalem sedulo discernenda est ab altera divisione in causam primam et secundam. *Causa prima* enim omnino independens est in sua existentia et operatione neque unquam rationem causae instrumentalis habere potest; *causa secunda* vero a prima dependet tum in existentia tum in operatione atque in principalem et instrumentalem subdividitur, prout vel propria virtute vel virute communicata ab alia effectum suum producit.

5. ***2. Doctrina catholica.*** — Contra Protestantes, quorum doctrina est, sacramenta ad gratiam efficiendam nihil conferre nisi per modum concionis excitando et nutriendo fidem iustificantem, a *Concilio Tridentino* dogma catholicum distincte propositum est et per plures canones vindicatum: „Si quis dixerit, sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit“ (Sess. 7. can. 5.). „Si quis dixerit, sacramenta N. L. non continere gratiam, quam significant aut gratiam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel iustitiae et notae quaedam christianae professionis, quibus

apud homines discernuntur fideles ab infidelibus a. s." (ib. c. 6.). „Si quis dixerit non dari gratiam per huiusmodi sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus, a. s" (can. 7.). Denique: „Si quis dixerit per ipsa N. L. sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere: a. s." (can. 8.). Itaque his decretis:

1) Sacramenta dicuntur gratiam conferre *ex opere operato*. Qua loquendi formula *primo* positive affirmatur, ipsum opus obiectivum, signum scilicet sensibile a Deo institutum et in ordinem supernaturalem elevatum tamquam veram causam gratiam efficere. *Secundo* negative ponitur, hanc sacramentorum virtutem iisdem non convenire ex opere operantis i. e. ex actibus sive ministrantis sive suscipientis sacramenta, prout meritorii sunt. *Tertio* nullo modo eadem formula significatur, actus liberos bonos sive ministrantis sive praesertim suscipientis in sacramentis simpliciter excludi; scilicet excluduntur eiusmodi actus solum a ratione causae efficientis gratiam sacramentalem: nullo autem pacto a ratione dispositionis necessariae excluduntur, sed sub hoc respectu in adultis potius postulantur, cum dispositio ad causam materialem reducatur et eo spectet, ut omne, quod sacramentorum efficaciae obstet, impedimentum removeatur. **6.**

2) Sacramenta a concilio dicuntur *non ponentibus obicem* gratiam conferre. Obex autem est mala animi dispositio seu melius defectus bonae dispositionis vel absolute vel secundum praesentem Dei providentiam gratiae infusionem impediens. Quae indispositio etiam *fictio* vocatur, quatenus quod foris ostenditur, rei veritati non respondet (cf. S. Thomam. in d. 4. q. 3. a. 2. q. 2. ad 1.). Porro in infantibus eiusmodi obex nullus esse potest; in adultis vero eiusmodi obex est prae sacramentis mortuorum defectus fidei, spei, poenitentiae; prae sacramentis vivorum conscientia status peccati gravis. Obex autem talis removetur quoad sacramenta mortuorum per actus contrarios, in quibus dispositio ad sacramentum consistit; quoad sacramenta vivorum per gratiae infusionem **7.**

removetur. Iam remoto obice sacramentum cum obice susceptum plerumque saltem reviviscit i. e. suum effectum, gratiam sanctificantem, consequitur. Quae de obice gratiae vel necessaria dispositione ad sacramenta rite suscipienda doctrina tum ex natura et fine singulorum sacramentorum, tum ex distributione eorumdem in sacramenta vivorum et mortuorum, tum ex omnibus fontibus theologicis constat atque in tractatu de singulis sacramentis vel etiam in theologia morali fuse demonstratur.

8. Ab obice sacramenti sedulo discernenda est *ineptitudo* ad sacramentum suscipiendum; haec enim valorem sacramenti impedit, cum ille solummodo efficaciae eiusdem opponatur Eiusmodi ineptitudo v. g. est carentia characteris baptismalis relate ad cetera sacramenta, sexus femineus quoad sacramentum ordinis, sanitas quoad extremam unctionem, impedimenta dirimentia quoad matrimonium. Quod discrimen inter obicem gratiae et defectum valori sacramentorum oppositum iam SS. Patres in controversia cum Donatistis, imprimis *Augustinus* inculcarunt: „De ipso corpore et sanguine Domini, unico sacrificio pro salute nostra, quamvis ipse Dominus dicat, nisi quis manducaverit carnem meam et biberit meum sanguinem, non habebit in se vitam, nonne Apostolus docet, etiam hoc perniciosum male utentibus fieri? Ait enim (1. Cor. 11, 27.): *Quicunque manducaverit panem et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* — Ecce quemadmodum obsunt divina et sancta male utentibus; cur non hoc modo et baptismus? . . . cur non ita et baptismus, quamvis bonus et legitimus, non tamen omnibus habentibus prodest? . . Non attendebas, posse nos dicere, esse ibi (in parte Donati) quidem baptismum Christi iustum, sanctum et bonum; sed poenalem, contrarium, perniciosum inimicis corporis Christi, quod est Ecclesia?“ (Aug cont. Crescon. l. 1. n. 30. 31.).

9. ***3. Thesis accuratius circumscribitur.*** — Ex praecedentibus sensus thesis intelligitur: Sacramenta gratiam conferunt iis, qui ea sine ineptitudine et obice suscipiunt; et quidem eam conferunt non sane ex naturali sua et insita

virtute, sed tamquam Dei et Christi instrumenta. *Notandum vero est*, Deum sane non ex indigentia creaturis tamquam instrumentis uti, sed ex congruentia et conniventia quadam cum natura humana eidem media sanctificationis adaptat atque sensibilibus signis virtutem suam sanctificatricem communicat; quare non Deus a sacramentis, sed sacramenta tota quanta a Deo pendere intelliguntur. *Porro* gratia sacramentalis non rependitur actibus suscipientium tamquam meritoriis seu non ex opere operantis confertur; sed per sacramenta tamquam per causas seu ex opere operato, suscipientibus, in quibus nullus obex impedit, gratia confertur. Actus boni quidem necessario praerequiruntur; verum non ad instar causae, sed ad instar dispositionis vel conditionis praerequisitae se habent. *Denique* considerandum est, per se intelligi, sacramenta solum causarum instrumentalium rationem habere; in eo igitur potissimum scopus demonstrationis versatur, sacramentis rationem causae convenire; alterum vero, scilicet sacramenta solum instrumenta esse, breviter simul expediri potest.

Demonstratio.

1. Probatur ex S. Scriptura. — Doctrina Scrip- 10.
turae hac in re luculentissima est. Iuverit prius diversa testimonia in unum collecta hic proponere: „*Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*“ (*Marc. 16, 16.*) „*Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*“ (*Ioh. 3, 5.*). „*Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo*“ (*Ioh. 6, 55—59.*). „*Petrus vero ad illos: Poenitentiam, inquit, agite et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum et accipietis donum Spiritus Sancti*“ (*Act. 2, 38.*). „*Imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum*“ (*Act. 8, 17.* Confirm.) „*Et cum impo-*

suisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos" (*ib. 19, 6.* Confirm.). „*Exurge et baptizare et ablue peccata tua, invocato nomine eius*" (*Ib. 22, 16.*). „*Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi et in Spiritu Dei nostri*" (*1. Cor. 6, 11.*). „*Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum* (μετὰ) *impositione manuum presbyterii*" (*1. Tim. 4, 14.*). „*Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum*" (*2. Tim. 1. 6.* Ordo.). „*Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata*" (*Eph. 5, 25. 26.*). „*Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum*" (*Tit. 3, 5. 6.*). „*Quod et vos nunc similis formae salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi*" (*1. Pet. 3, 21*).

11. Comparationis gratia addenda sunt haec de baptismo Ioannis testimonia: „*Veni ego in aqua baptizans . . .; qui misit me baptizare in aqua . . . hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto*" (*Ioan. 1, 31—33*). „*Ioannes praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum*" (*Marc. 1, 4*; *Luc. 3. 3*). „*Praedicante Ioanne ante faciem adventus eius baptismum poenitentiae omni populo Israël*" (*Act. 13, 24*).

Iamvero in his Scripturae testimoniis doctrina catholica sine ullo dubio continetur; quod ut evidenter pateat, demonstratio ex iisdem instituenda ad quaedam capita revocatur. Itaque:

12. *1) Testimoniis adductis sacramentis vera efficientia gratiae sanctificantis attribuitur.* — Quae assertio quadruplici ratione facile evincitur:

a) Immediata coniunctio exhibetur sacramentorum et gratiae sanctificantis; atque hominum ablutio, renovatio, regeneratio, salus, unio cum Spiritu Sancto, vita aeterna, remissio peccatorum, verbo: gratia sanctificans tamquam finis sacramentorum expressis verbis exhibetur, ut v. g.: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* — *Imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum.* — *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum et accipietis donum Spiritus Sancti.* Atqui talis sacramentorum cum gratia coniunctio atque talis sacramentorum destinatio intelligi nequeunt, nisi sacramenta verae causae gratiae esse asserantur. Etenim quod ad actionem aliquam regulariter consequi dicitur, recte ut eiusdem actionis effectus consideratur tunc saltem, si nulla alia ratio effectus exhibetur; atque quod solum aliis non commemoratis tamquam actionis finis immediatus exhibetur, non potest esse nisi effectus eiusdem: omnis enim actio immediate in effectum suum tendit. Ergo.

b) Directe et expressis verbis Scriptura sacramentis effi- **13.**
cientiam gratiae tribuit, adhibendo praepositiones causales atque ablativum causae: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* — *Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam, quae in te est per impositionem manuum mearum.* — *Christus dilexit ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae.* — *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.* – Illas vero praepositiones causales in vero et proprio sensu sumendas esse necnon ablativum adhibitum ablativum causae esse tum per se patet tum eo manifestum est, quod una eademque praepositio ad sacramentum et Spiritum Sanctum refertur, qui certe iustificationis causa est; secus enim sacramenta inepte cum Spiritu Sancto sub eadem praepositione connumerarentur.

c) Disertis verbis activa constructione sacramenta ut **14.**
causae gratiae exhibentur vel ipsa actio sanctificatrix sacramentis adscribitur: *Quod et vos nunc similis formae salvos facit baptisma.*

d) Denique veluti identitas ponitur inter actionem sacramentalem et effectum eius, gratiam sanctificantem, qua ratione maxime expresse sacramenta tamquam causae gratiae exhibentur: *Ablue peccata tua. — Sed abluti estis, sed sanctificati estis. — Lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.*

15. 2) *Gratia sanctificans ita effectus immediatus sacramentorum est, ut non prius per sacramenta fides vel poenitentia excitentur atque per fidem deinde iustificatio obtineatur.* — Hoc alterum quoque doctrinae catholicae caput contra Protestantes facile ex Scriptura demonstratur. Revera enim:

a) In testimoniis adductis, quae directe de sacramentorum efficacia agunt, nunquam fides vel poenitentia, sed sola gratia tamquam effectus sacramentorum assignatur: imo in plerisque textibus de fide vel poenitentia neque sermo est. Ergo plane arbitrarie et absone illa sententia a Protestantibus statuitur. Imo vero ratio loquendi Scripturae inintelligibilis esset atque in errorem necessario induceret, si doctrina catholica falsa, Protestantium doctrina vera esset. Haec igitur Scripturam violenter contorquet ideoque falsa est.

16. b) In testimoniis allatis immediata sacramentorum et gratiae coniunctio exhibetur atque fides et poenitentia ut dispositio necessaria ante sacramenta praerequiri declarantur: „*Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*" (Marc. 16, 16). „*Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*" (Act. 2, 38). Ergo gratia non fidei et poenitentiae, sed sacramentorum immediatus effectus est. Secus enim, cum fides et poenitentia ex opinione Protestantium iustificativae secundum Scripturam ipsa sacramenta praecedere debeant, horum sacramentorum usus iam nulla ratio vel saltem nulla unquam necessitas esset; quod cum aperta Scripturae doctrina prorsus pugnat.

17. c) Idem manifesto patet ex comparatione baptismi Christi cum baptismo Ioannis praecursoris. Etenim a Scriptura ipsa baptismus Ioannis ut inefficax gratiae baptismo Christi tamquam gratiae efficaci opponitur: „*Veni ego in aqua baptizare . . . qui misit me baptizare in aqua . . . hic est, qui bap-*

tizat in Spiritu Sancto" (Ioan. 1. 31—35). Atqui baptismus Ioannis quoque causa gratiae dici posset, quatenus ad fidem et poenitentiam excitabat, quibus iustificatio obtineatur; nam *baptismus poenitentiae,* imo *baptismus poenitentiae in remissionem peccatorum* vocatur (Marc. 1, 4.; Luc. 3, 3). Ergo ut inter utrumque baptismum tamquam inefficacem et efficacem sit oppositio, dicendum est, baptismum Christi non excitando fidem et poenitentiam, sed immediate conferre gratiam.

d) Denique falsum est, fidem et poenitentiam iustificare, nisi cum perfecta caritate vel statu gratiae coniuncta sint, quod alibi demonstratur.

3) Denique sacramenta causae gratiae non principales **18.** *sed instrumentales sunt.* — Haec assertio tum ex natura rei intelligitur, tum ex subordinatione patet, quam ipsa Scriptura sacramentis prae Spiritu Sancto vel Christo tamquam causae principali tribuit: „*Christus dilexit ecclesiam et semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae*" (Eph. 5, 25.). „*Christus salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti*" (Tit. 3, 5. 6.).

2. Ex traditione practica. — Cum s. Scriptura **19** imprimis conspirat praxis ecclesiae. Huc *primo* spectat professio fidei in symbolis proposita: *Credo unum baptisma in remissionem peccatorum* (conc. Constantinop.): hunc enim articulum de immediato baptismi, ut causae instrumentalis, effectu intelligendum esse, tum ex obvio verborum sensu tum ex Scripturae verbis, ex quibus desumptus est, manifesto patet. *Secundo* huc spectat illa perpetua ecclesiae etiam antiquae praxis, quae ab adultis baptizandis ante baptismi receptionem fidei professionem emittendam et poenitentiam agendam exegit. *Tertio* huc referri potest usus paedobaptismi: in infantibus enim, cum ad usum rationis nondum pervenerint, baptismus tamquam effectum immediatum non fidem, sed solum gratiam habere potest. *Quarto* denique huc faciunt diversae caeremoniae, quibus antiquitus iam baptismi administratio sollemnis reddebatur; scilicet in orationibus adiunctis hae baptismi appellationes similesve occurrunt:

Illuminatio, perfectio, purgatio ab antiquo impuroque fermento, adoptionis gratiaeque adeptio, peccatorum remissio, lavacrum, quo mors diluitur et exempto reatu eximitur et poena. Etenim in his cum Protestantium doctrinae vestigium nullum sit, eadem cum doctrina catholica perfecte concordant.

20. ***3. Ex SS. Patrum doctrina.*** - Fidem de sacramentorum efficacia perpetuam et unanimem in ecclesia viguisse, manifesto constat ex SS. Patrum doctrina, quae ad haec capita revocari potest:

1) SS. Patres clare et sine ulla ambiguitate enuntiant, sacramentorum effectum et finem nihil aliud esse quam gratiam vel sanctitatem hominibus conferendam. — Ita *Origenes:* „Per baptismi sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur et parvuli" (Hom. 14. in Luc. 2.). Et *Tertullianus*: „Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur: caro signatur, ut anima Spiritu illuminetur; caro corpore Christi et sanguine vescitur, ut anima de Deo saginetur" (De resurrect. carn. c. 8). Iterum idem alibi: „Carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit, quomodo et ipsius baptismi carnalis actus, quod aqua mergimur, spiritualis effectus, quod delictis liberamur" (De baptismo c. 7.). *Optatus Milevit:* „Baptisma Christianorum Trinitate confectum confert gratiam" (De schism. l. 5. c. 1) cf. *Chrysostomum*, hom. 39. in Genes.; *Augustinum*, cont. duas epistolas Pelag. l. 1. c. 3.

21. 2) *Hanc supernaturalem elementis visibilibus communicatam virtutem admirantur atque extollunt.* Sic *Tertullianus:* „Proh misera incredulitas, quae Deo denegas proprietates suas simplicitatem et potestatem. Quid ergo? Nonne mirandum est lavacro dilui mortem? Atqui eo magis credendum, si, quia mirandum est, idcirco non creditur. Qualia enim esse decet opera divina, nisi super omnem admirationem? Nos quoque ipsi miramur, sed quia credimus" (De bapt. c. 2.). Et *S. Cyrillus Hieros.*: „Sicut enim Salvator noster tres dies et noctes tres in ventre terrae agit: sic et vos in prima emersione (baptismali) primam, quam in terra Christus exegit

diem et immersione noctem imitati estis . . . eodemque momento et mortui et nati estis, illaque unda salutaris et sepulchrum vobis et mater effecta est . . . O novum inauditumque rerum genus! Non sumus vere mortui nec vere sepulti, nec vere crucifixi resurreximus: verum earum rerum per imaginem imitatio expressa est, at veritate hinc parta salus" (Catech. 20. mystag. 2. c. 4.).

3) Hanc sacramentorum virtutem ex Spiritu Sancto elementa fecundante et sanctificante repetunt. — Ita v. g. iterum *Tertullianus:* „Igitur omnes aquae . . . sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo. Supervenit enim statim Spiritus de coelis, et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt" (De baptismo c. 4.). Et *auctor ll. de sacramentis:* „Non aqua omnis sanat, sed aqua sanat; quae habeat gratiam Christi. Aliud est elementum, aliud consecratio; aliud opus, aliud operatio. Aqua opus est, operatio Spiritus Sanctus est. Non sanat aqua, nisi Spiritus descenderit et aquam illam consecraverit" (De sacram. l. 1. c. 5.). Et *S. Basilius M.:* „Si qua est gratia in aqua, non est ex ipsius aquae natura, sed ex Spiritus praesentia" (De Spiritu Sancto n. 35.). Denique *S. Ephraem.*: „Divini Spiritus in igne figuram agnoscito: permiscetur aquis, ut eas ad expiationem elevet, pani se infundit, ut in hostiam sacrificii transferat" (Adv. scrutat. serm. 40.). 22.

4) Denique eandem sacramentorum efficientiam variis comparationibus explicant atque illustrant. — Et *primo* quidem ex natura inanimata similitudines repetunt, ut v. g. *Cyrillus Alexandrinus:* „Quemadmodum viribus ignis intensius aqua calefacta non aliter urit, quam ipse ignis, sic Spiritus Sancti operatione aqua, quo baptizati corpus aspergitur, reformatur ad divinam virtutem et potentiam" (In Ioh. l. 2. n. 42.). Et inferius ibidem: „Quemadmodum infusa lebetibus aqua si admoveatur igni vehementi, vim eius accipit, ita Spiritus operatione sensibilis aqua ad divinam quandam et ineffabilem vim transformatur, omnesque, in quibus fuerit, sanctificat" (l. 3. n. 5.). — *Secundo* aquam baptismi cum utero 23.

materno et regenerationem spiritualem cum generatione naturali conferunt. Ita v. g. *Chrysostomus:* „Quod est uterus embryoni, hoc est fideli aqua, si quidem in aqua fingitur et formatur. Primum dicebatur: Producant aquae reptile animae viventis. Ex quo autem Iordanis fluenta ingressus est Dominus, non amplius reptilia animarum viventium, sed animas rationales Spiritum Sanctum ferentes aqua producit" (In Ioan. hom. 26.). Eandem comparationem urget *Gregorius Nyssenus*: „Quod si quis mihi dubitando et ambigendo negotium exhibeat interrogans et sciscitans qua ratione aqua, ea quae per illam peragitur initiatione, regeneret, dicam optimo iure ad eum: ostende mihi modum nativitatis, quae sit secundum carnem, et ego tibi vim regenerationis, quae secundum animam fit, exponam. Dices fortasse, quasi quandam rationem reddens: semen causa est effectrix hominis: audi igitur contra a nobis, quod aqua, quae benedicitur, purgat et illuminat hominem: quod si mihi rursus subiicias, quomodo? Clamabo contra te vehementius: quomodo humida atque informis natura homo fit? Atque de omni creatura ita oratio progrediens, in unaquaque se exercebitur. Qui coelum, qui terra, qui mare, qui res singulares? Ubique divina vis et efficacitas incomprehensibilis est" (Orat. in baptism. Christi).

24. *Tertio* sublimius etiam sacramentorum virtutem a Spiritu Sancto acceptam comparant cum obumbratione B. Virginis ab eodem Spiritu Sancto facta, qua fecunda evasit ad generandum hominum Salvatorem. Ita *Leo M.*: „Factus est (Filius Dei) homo nostri generis, ut nos divinae naturae possimus esse consortes. Originem quam sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte baptismatis; dedit aquae, quod dedit matri; virtus enim Altissimi et obumbratio Spiritus Sancti, quae fecit, ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit, ut regeneret unda credentem. Quid autem sanandis aegris, illuminandis coecis, vivificandis mortuis aptius fuit, quam ut superbiae vulnera humilitatis remediis curarentur" (Serm. 5. in nativit. Dom.). Et alibi: „Omni homini renascenti baptismus instar est uteris virginalis, eodem Spiritu Sancto replente fontem, qui replevit

et Virginem, ut peccatum, quod ibi evacuavit sacra conceptio, hic solvat ablutio" (Serm. 4. in nativit.). Denique *quarto* virtutem aquae communicatam ad animas regenerandas cum foecunditate comparant in principio rerum aquae per Spiritum data, qui super aquas ferebatur (Gen. 1. 20.). Ita *Chrysostomus* supra (n. 23.) et *Tertullianus*: „Primis aquis praeceptum est animas proferre. Primus liquor quod viveret edidit, ne mirum sit in baptismo, si aquae animare noverunt . . ., in quibus et ratio baptismi recognoscitur prima illa, qua iam tunc ipso habitu praenotabatur ad baptipsmi figuram, Dei Spiritum, qui ab initio supervectabatur super aquas, intinctos reformaturum" (De baptismo c. 3. 4.). Similiter *Isidorus Hispalensis*: „Ut ad nutum praecipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa coelorum, . . . ita parem potentiam in spiritualibus sacramentis verbis praebet virtus, et rei servit effectus" (Homilia de Paschate sive de corpore et sanguine Domini). Cf. *Rupertum Tuitiensem*, de operibus Spiritus Sancti l. 1. c. 12.

Huc pertinent etiam testimonia plura iam in praecedenti thesi allata necnon alia plura, ut v. g. *Clemens Al.*, paedag. l. 1. n. 6.; *Cyrillus Hieros.* in praef. catech.; *Hieronymus*, ep. 83 ad Ocean.; *Ambrosius*, de poenit. l. 2. c. 2; *Augustinus*, c. Faust. l. 19. c. 11. et tract. 80. in Ioan.

Confirmatur utrumque argumentum ex traditione adductum ex consensu ecclesiae orientalis schismaticae. — Etenim consensus ecclesiae schismaticae orientalis cum ecclesia catholica sane signum certum est, iam antiquitus ante separationem obiectum consensus in communi omnium fide positum fuisse et proinde ex ipsa traditione Apostolorum seu ex divina revelatione derivari; secus enim nulla talis consensus ratio sufficiens esset. Iamvero ecclesia orientalis schismatica, quantumvis a Protestantibus sollicitata nunquam eorundem de sacramentis errores approbavit, sed non semel hac in re doctrinam catholicam sollemniter professa est. Ita synodus in urbe Iassy a. 1642. habita declaravit sacramentum esse „caeremoniam sacram, quae sub forma visibili producit Dei gratiam invisibilem eandemque in animam fidelem infundit." **25.**

26. ***4. Ratione theologica quoque demonstratur vel confirmatur.*** — Doctrina Protestantium etiam cum aliis capitibus doctrinae pugnat supra iam propositis: quare hinc quoque doctrina catholica confirmatur; et quidem:

1) Ex divina sacramentorum institutione. — Sacramenta enim ab hominibus propria auctoritate institui non possunt, sed ex divina institutione necessario procedunt. Quod tum ex thesi praecedenti manifestum est, tum ab Apostolo diserte affirmatur, quando dicit, se sacramentorum quidem dispensatorem, non vero institutorem esse: *„Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei“* (1 Cor. 4, 1.). Atqui si sacramenta tantum iustificarent, quatenus fidem iustificativam excitarent, ab hominibus quoque institui possent; homo enim, sicuti concionem habere eaque fidem promovere potest, ita etiam signa instituere valet, per quae fidei veritates proponantur et ipsa fides subiectiva excitetur. Ergo.

27. *2) Ex necessaria sacramentorum ad singula subiecta applicatione.* Etenim sacramenta suum effectum i. e. gratiam vel sanctificationem solum in iis producunt, quibus applicantur vel qui eadem suscipiunt, etsi multi alii praesentes sint et, quae geruntur, coram se videant et audiant. Ergo non excitando fidem iustificant, sed immediate gratiam conferunt; fidem enim in adstantibus quoque, qui sacramenta non suscipiunt, saepe excitare possunt.

Confirmatur ex sacramentis V. L., utpote quae item signa fidei erant eamque excitare atque sic iustificare poterant; haec autem a sacramentis N. L. essentialiter quoad suam efficaciam differunt; ergo sacramenta N. L. non mediate excitando fidem sed immediate iustificant.

28. *3) Ex ipsa definitione sacramentorum.* — Etenim ut supra ostensum est, sacramentum definitur signum sacrum sanctificans homines. Atqui effectus mediatus in causae definitione exprimi non solet. Ergo iterum sacramenta non mediate solum, sed immediate gratiam producunt.

Scholion.

De sacramentis vivorum et mortuorum. — 29. Sacramenta N. L. in sacramenta vivorum et mortuorum dividi solent. *Sacramenta mortuorum* ea sunt, quae primo et principaliter ad vitam supernaturalem instaurandam vel primam iustificationem seu gratiam conferendam instituta sunt: gratia prima scilicet ea est, qua quis primo e statu mortis spiritualis seu peccati in statum iustitiae transfertur. Quare haec sacramenta mortuorum statum gratiae in suscipientibus non supponunt, sed eandem omnibus, qui recte dispositi sunt, praecise largiuntur. *Sacramenta vero vivorum* ea sunt, quae primo et primario ad vitam supernaturalem sive gratiam augendam sive ad gratiam secundam largiendam instituta sunt: gratia enim secunda in augmento seu intensione gratiae iam possessae consistit. Quare haec sacramenta regulariter subiectum iam aliunde iustificatum praesupponunt et statum gratiae tamquam dispositionem necessariam exigunt; atque hinc sub poena sacrilegii praeceptum est, ne quis cum conscientia peccati gravis ad sacramenta vivorum suscipienda accedat. Ad sacramenta mortuorum baptismus et poenitentia pertinent; cetera sacramenta vivorum sunt.

Quae cum ita sint, *duplex quaestio hic oritur*: *prima* 30. est, num sacramenta mortuorum gratiam etiam in iustis seu gratiam secundam causent. Atque ad hanc quaestionem certissime respondendum est affirmative. Etenim omnia sacramenta, ut ostensum est, gratiam non ponentibus obicem ponunt. Atqui qui iam iustificatus ad sacramentum mortuorum v. g. baptismum accedit, iustitia sua sacramento obicem non ponit, immo vero melius quam alius homo non iustificatus dispositus est. Ergo gratiam sacramenti consequitur; atque haec in ipso non est prima, quia iam iustificatus accedere supponitur; ergo augmentum gratiae sive gratiam secundam consequitur.

Altera quaestio est, utrum sacramenta vivorum in pec- 31. catoribus gratiam primam causent, quando iidem attriti bona

fide accedunt. Haec vero quaestio paulo difficilior atque inter theologos controversa est. Porro cum quaedam, quae ad solvendam hanc quaestionem conducunt, ex sequentibus magis patescant, eadem quaestio opportunius infera explicabitur.

Thesis 6. Cum formula dogmatica, sacramenta gratiam conferre ex opere operato, revelatae doctrinae de efficacia sacramentorum sincera expressio sit, absurde et iniuste a Protestantibus impugnatur et in alienos sensus detorquetur.

Declaratio.

1. ***1. De ortu et usu huius formulae.*** — Distinctionem inter opus operans seu operantis et opus operatum primus adhibuisse videtur *Petrus Pictaviensis*, Magistri sententiarum in magisterio successor: ex ipso enim eius modo loquendi satis apparet, istos terminos ea aetate in re sacramentaria saltem in communi usu nondum fuisse. Mox vero alii doctores eosdem terminos adoptarunt atque brevi tempore scilicet aetate Guilielmi Antisiodorensis factum est, ut formula *sacramenta ex opere operato gratiam conferre* in theologicis scholis invalesceret; atque aetate *S. Thomae* communis evasit. Porro *opus operatum* a theologis intelligebatur ipsum sacramentum obiectivum seu ipsum signum sacramentale sensibile externum ut est principium gratiae, *opus operans* vero iisdem erat actus subiectivus sive administrantis sive suscipientis sacramenta, ut est meritorius gratiae. Unde sensus formulae ille esse intelligitur, qui iam in praecedenti thesi explicatus est. *Bellarminus* eundem hoc modo declarat: „Id quod active et proxime et instrumentaliter efficit gratiam iustificationis, est sola actio illa externa, quae sacramentum dicitur, et haec vocatur opus operatum, accipiendo passive, ita ut idem sit, sacramentum conferre gratiam ex opere operato, quod conferre ex vi ipsius actionis sacramentalis a Deo ad hoc institutae, non ex merito agentis vel suscipientis; quod *S. Augustinus* expressit illis verbis l. 4. de bapt. c. 24.: ‚Ipsum per

seipsum sacramentum multum valet' (De iustific. l. 2. c. 4.). *Concilium Tridentinum* tandem hanc formulam, utpote qua aptissime simul et brevissime doctrina catholica de sacramentorum efficacia exprimitur, sollemni declaratione sancivit eamque tesseram catholicae veritatis contra haereticos statuit, sicuti in antiquitate alii termini, ut ὁμοούσιος, ἕνωσις ὑποστατική constituti sunt.

Quod formam grammaticalem termini *ex opere operato* 2.
attinet, ea sine dubio passiva est vel vox ‚*operato*' passiva significatione adhibetur, quamvis hoc verbum ad deponentia pertineat. Neque hic usus plane novus est; etenim idem terminus *operatus* passive accipitur a *Lactantio*, de institut. div. l. 7. c. 27.: „susceptis operatisque virtutibus", ab *Augustino* de unit. eccl. c. 25.: „a femina nobili Lucilla operata corruptio", et *Ambrosio inoperatum* idem est ac *non factum* (De incarn. c. 9.). Ceterum alia quoque deponentia nonnunquam in sensu passivo adhibentur. Sic in Vulgata vox *promeretur* passive sumitur: *Talibus enim hostiis promeretur Deus* (Heb. 13, 16.), et similiter ab eadem Vulgata *exhortari, consolari, interpretari* quandoque in sensu passivo usurpantur. Immo vero apud ipsos classicos hic usus deponentium nonnunquam occurrit. Sic vel ipse *Cicero* sensu passivo usurpavit vocem *dominor*: „O domus Anci, heu quam dispari domino dominaris!" (De offic. l. 1. c. 39.); et *Sallustius* vocem *ulciscor* passive adhibuit: „Quidquid sine sanguine civium ulcisci nequitur, iure factum sit" (In Iugurth. c. 31.). Quare absurdi sunt, qui contra usum passivum vocis *operor* pertinaciter recalcitrant.

2. Thesis divisio. — Protestantes non solum ipsum 3.
dogma hac formula expressum negarunt, verum etiam hanc formulam loquendi vehementer impugnarunt, in alienos sensus detorserunt et multipliciter calumniati sunt. Iamvero ad defendendam formulam contra Protestantium impugnationes et vesanas calumnias duo praestare sufficit: *primo* ostendendum est, eum reipsa esse sensum formulae, qui supra expositus est; *secundo* demonstrandum est, Protestantium huius formulae expositiones a catholica doctrina alienas atque absurdas ca-

lumnias esse. Quare thesis demonstratio in duplicem partem dispescitur.

Demonstratio.

I. p. Verus formulae sensus demonstratur.

4. ***Ex theologorum testimoniis probatur.*** — Ut demonstretur, verum sensum formulae eum esse, atque semper fuisse, qui statutus est, testimonia theologorum antetridentinorum afferre sufficit, quibus eandem formulam explicarunt; de theologorum enim posttridentinorum sententia nulla nec levissima esse potest dubitatio.

Petrus Pictaviensis: „Similiter (minister) meretur baptizatione, ut baptizatio dicitur actio illius, qui baptizat, quae est aliud opus, quam baptismus, quia est opus operans, sed baptismus est opus operatum, ut ita liceat loqui" (Sent. l. 5. p. 5. c. 6.). Distinctio inter opus operans et opus operatum satis clara est; in contextu vero operi operato effectum baptismi adscribit. Paulo prius in eodem opere (l. 5. p. 1. c. 16) eandem distinctionem inter opus operans et operatum in alia materia, scilicet passione Christi, adhibet.

5. *Innocentius III:* „Quapropter in sacramento corporis Christi nihil a bono magis, nihil a malo minus perficitur sacerdote, dummodo sacerdos cum ceteris in arca consistat et formam observet traditam a columba. Quia non in merito sacerdotis, sed in verbo conficitur creatoris. Non ergo sacerdotis iniquitas impedit effectum sacramenti, sicut nec infirmitas medici virtutem medicinae corrumpit. Quamvis igitur opus operans aliquando sit immundum, semper tamen opus operatum est mundum."

6. *Guilielmus Antisiodorensis:* „Distinguendum est duplex opus, videlicet opus operans et opus operatum. Opus operans est ipsa actio: scilicet ipsa oblatio vituli vel agni, quae iustificabat, cum ex caritate fiebat . . . Cum ergo quaeritur, utrum sacramenta V. L. iustificarent, concedimus, quod quantum ad opus operans iustificabant, sed quantum ad opus operatum non iustificabant" (Summa aurea l. 4. a. 2.).

Alexander Halensis: „Sanguis hircorum, vel cinis vitulae, 7.
sicut dicit Apostolus, valebat ad emundationem carnis: quia mundabat ab aliqua irregularitate, vel liberabat a debito: sed non propter hoc ipsum opus operatum sanctificabat animam; nec est ita sanctificatio descendens mediante anima in corpus, sicut est cum dicitur: *Nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti.* Ibi enim mediante anima sanctitas templi transfertur ad corpus . . . hostia erat acceptabilis ad expiationem non propter efficaciam sanctitatis, quam in se haberet, sed quia erat terminus sanctificationis, ut mediante tali dato fieret devote offerentis reconciliatio . . . Non quaeritur de opere operante, sed de ipso operato, ut de agno paschali vel de ipso sacrificio seu holocausto et de aqua expiationis" (Summa theologica p. 4. q. 3. membr. 4. a. 1. ad 8. cf. ibid. ad 9.).

Albertus Magnus: „Bona vita ex opere operante ope- 8.
ratur salutem et non ex opere operato, sacramentum autem ex opere operato" (In 4. d. 1. a. 5.). „Ad id, quod tertio quaeritur (sc. num sacrificia V. L. iustificarent), dicendum, quod est opus operans, et hoc est actus, qui pro tempore bonus erat, et hoc poterat informari caritate; et est opus operatum, ut hircus immolatus, et hoc nihil contulit, quod intus adiuvaret supra meritum actus. Unde dictum Bedae intelligitur de primo modo non de secundo" (Ib. a. 8.).

S. Thomas: „In sacramento est duo considerare, scilicet 9
ipsum sacramentum et usum sacramenti. Ipsum sacramentum dicitur a quibusdam opus operatum; usus autem sacramenti est ipsa operatio, quae a quibusdam opus operans dicitur. Cum ergo dicitur sacramentum per se loquendo gratiam conferre vel non conferre, iustificare vel non iustificare, referendum est ad opus operatum" (In 4. d. 1. q. 1. a. 5.). „De usu sacramentorum, qui opus operans a quibusdam dicitur, est etiam duplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod usus ipse (sacramentorum V. L.) non erat meritorius etiamsi in fide et caritate fieret, et hoc videtur Magister in littera dicere . . . Aliqui tamen excusant Magistrum dicentes, quod ipse intellexerit ipsa opera operata non iustificare quan-

tumcunque in caritate fierent, quamvis ipsa operatio ex caritate facta possit esse meritoria in eo, qui est in statu merendi" (ib. sol. 2.).

10. *S. Bonaventura*: „Utraeque loquuntur de his in quantum sunt sacramenta: et constat quod opus operans non est sacramentum, sed opus operatum; ergo utraque intellexit de operato et illud verum est; et de illo opere operato dixit Magister, quod solum significabat, non iustificabat, sicut aspersio aquae vel sanguinis. Nunquam enim iustificabat sanguis hircorum aspersus, etiamsi in fide et caritate fieret" (In 4. d. 1. p. 1. a. 1. q. 5.). „Opus operans est fides, sed operatum exterius est sacramentum" (Ib.). „In sacramentis N. L. quantum ad opera operata est iustificatio non tantum per accidens, sed etiam per se" (Ib.).

11. *Scotus:* „Et de istis concedo, quod non causabant gratiam tamquam signa efficacia respectu gratiae, eo modo, quo expositum est in definitione sacramenti: sed tamen in illis conferebatur gratia per modum meriti, licet aliqui negare videantur, quod in talibus e caritate factis conferretur gratia. Hoc enim videtur nimis durum, scilicet quod aliquis ex caritate et obedientia sit servans Dei praeceptum et non mereatur. Hoc etiam videtur irrationabile dictum, quod Deus alicui dederit praeceptum, nolens observantem praeceptum mereri, quantumcunque ex caritate, et obedientia observaret: nunc autem de istis caeremoniis, tam purgationibus quam oblationibus, praecepta data erant in illa lege . . .: ergo Iudaei ex caritate observantes sacramenta improprie dicta meruerunt gratiam vel augmentum eius, si eam iam haberent; sed non propter hoc illa erant proprie sacramenta. Sacramentum enim ex virtute operis operati confert gratiam, ita quod non requiritur ibi bonus motus interior, qui mereatur gratiam: sed sufficit, quod suscipiens non ponat obicem. Sed in illis actibus non conferebatur ex hoc solo, quod offerens non poneret obicem, sed tantum conferebatur ex virtute boni motus interioris, tamquam meriti" (In 4. d. 1. q. 6. n. 10.).

12. *Gabriel Biel*: „Uno modo ex ipso signo seu sacramento, vel ut alii dicunt ex opere operato: ita quod ex ipso, quod

opus illud puta signum aut sacramentum exhibetur, nisi impediat obex peccati mortalis, gratia confertur: sic quod praeter exhibitionem signi foris exhibiti non requiritur bonus motus interior in suscipiente: quo de condigno vel de congruo gratiam meretur: sed sufficit, quod suscipiens non ponat obicem" (In 4. d. 1. q. 3. a. 1. nota 2.).

Quibus testimoniis accurate consideratis plane evidens **13.** est, nihil in iisdem contineri, quod cum explicatione proposita formulae pugnet; verum etiam satis patet, apud theologos medii aevi quoque sensum formulae *ex opere operato gratiam conferre* eundem fuisse, quem subsequenti aetate theologi catholici contra Protestantes statuerunt et defenderunt, quamvis hic sensus paulatim solum ad perfectam claritatem pervenerit; id enim cum progressu theologiae optime consonat. Aetate vero Concilii Tridentini theologi catholici clarissime et accuratissime eam significationem illi formulae adscripserunt. Ita *Bellarminus*: „Igitur, ut intelligamus, quid sit opus operatum, notandum est, in iustificatione, quam recipit aliquis, dum percipit sacramenta, multa concurrere, nimirum e parte Dei: voluntatem utendi illa re sensibili; e parte Christi: passionem eius; e parte ministri: potestatem, voluntatem, probitatem: e parte suscipientis: voluntatem, fidem et poenitentiam; denique e parte sacramenti: ipsam actionem externam, quae consurgit ex debita applicatione formae et materiae . . . Ceterum ex his omnibus id, quod active et proxime et instrumentaliter efficit gratiam iustificationis, est sola actio illa externa, quae sacramentum dicitur, et haec vocatur opus operatum, accipiendo passive operatum, ita ut idem sit sacramentum conferre gratiam ex opere operato, quod conferre gratiam ex vi ipsius actionis sacramentalis a Deo ad hoc institutae, non ex merito agentis vel suscipientis" (De sacram. II, 1, n. 14). „Secundo dico, opus operatum non solum excludere dignitatem ministri, sed etiam fidem et motum internum ab efficientia gratiae sacramentalis . . . Etiamsi ista requiruntur in adultis, tamen non sunt ista, quae efficiunt gratiam, sed ipsum sacramentum ut instrumentum Dei . . . Voluntas, fides et poenitentia in suscipiente adulto

necessario requiruntur ut dispositiones ex parte subiecti, non ut causae activae, non enim fides et poenitentia efficiunt gratiam sacramentalem neque dant efficaciam sacramentis, sed solum tollunt obstacula, quae impedirent, ne sacramenta suam efficaciam exercere possent" (Ib. n. 22.).

2 p. Protestantium falsae et calumniosae interpretationes reiiciuntur.

14. Mirum est, quot et quantis ineptiis, criminationibus, calumniis formula dogmatica *sacramenta gratiam conferre ex opere operato* a Protestantibus impetita sit. Sed declarata doctrina catholica et vero sensu illius formulae iam exposito fere sufficit, criminationes illas solum referre, ut illico appareat, quam falsae, absurdae, calumniosae sint. Nihilominus expositioni harum criminationum brevis refutatio subnectetur.

1. Criminationes Protestantium exponuntur. Falsas Reformatorum et Protestantium saeculi 16. contra formulam catholicam accusationes hoc modo refert *Stapleton*: „Aiunt, docent, scribunt, nos dicere, quod sacramenta N. L. conferunt gratiam sine ullo bono motu suscipientis: quia sane docemus ea conferre ex opere operato: id est gratiam, quae confertur non per dispositionem suscipientis quasi causam eius vel meritoriam vel aliquo modo efficientem, sed per signum sacramentale divinitus institutum rite disposito conferri. Aiunt, docent, scribunt, nos ponere efficaciam in sacramentis tamquam in causis partialibus, quae adiuvent divinam virtutem: quia docemus per sacramenta Deum operari, quae ipsemet instituit. Aiunt, nos excludere fidem ex toto usu sacramentorum: quia videlicet eam supponimus, nec expressam eius semper mentionem facimus. Aiunt, docent, scribunt, nos dicere, quod prosunt sacramenta iis, qui sunt in peccatis mortalibus: quia docemus, ea prodesse non ponentibus obicem id est (aiunt illi) non habentibus propositum de novo peccandi" (Opera ed. Paris. 1626. t. II. p. 412.). Revera his aliisque similibus criminationibus Reformatores tum theologorum catholicorum tum ipsius Concilii Tridentini doctrinam aggressi sunt atque ea in re Protestantes subsequentis temporis ad

nostram usque aetatem plerosque sequaces habuerunt; saltem theologorum catholicorum doctrinam calumniare hucusque non desierunt.

1) Dicunt, sacramenta ex operato iustificationem operari **15.** secundum doctrinam catholicam idem esse *ac, non Deum propria et interna virtute, sed eius loco sacramenta iustificationem operari.* Ita v. g. *Calvinus* declarat, secundum catholicam doctrinam „Spiritum Sanctum vices suas resignasse externis symbolis" (Instit. l. 4. c. 14. n. 17.).

2) Calumniant, *ex doctrina catholica sacramentis vim magicam inesse.* Ita iterum *Calvinus*: „Fingunt (catholici), subesse vim magicam sacramentis, quae sit extra fidem efficax" (Antid. Conc. Trid. ad sess. 7. can. 5.). Ita etiam Harnack (Dogmengeschichte III². S. 463. 482.).

3) Item dicunt, catholicos docentes sacramenta gratiam **16.** conferre ex opere operato, *hoc opus operatum intelligere opus externum per se meritorium*, quatenus externus actus ab internis actibus distinctus est. Ita *Chemnitius* (exam. decret. Concil. Trid.) necnon iterum *Calvinus* (Antid. Conc. Trid. sess. 7. can. 8.), qui doctrinam catholicam inde refellere absurde satagit, quia ex meritis hominum efficacia sacramentorum pendere nequit.

4) Denique maxime inculcant, secundum formulam catho- **17.** licam *sacramenta peccatori iustificationem conferre, etsi fide omnique bono motu interiore destitutus sit.* Ita *Lutherus* Scotum aliosque theologos catholicos docere asserit „non modo non esse necessariam fidem, qua credis te accepturum id, quod sacramentum promittit, sed quod sufficiat, ut non ponas obicem. Obicem autem vocant peccatum mortale vel propositum eiusdem, quale est homicidium, libido et similia, adeo ut satis sit suscepturo sacramentum, si desinat peccare et propositum deponat, etiamsi nullum bonum propositum formet" (Assert. artic. damnat. a Leone X. art. 1.). Item *Calvinus* sic catholicam doctrinam sugiliat: „Plane diabolica est, nam dum iustitiam citra fidem pollicetur, animas in exitium praecipites agit" (Instit. l. c.). Similiter *apologia confessionis Augustanae* damnat „totum populum scholasticorum doctorum,

qui docent, quod sacramenta non ponenti obicem conferunt gratiam ex opere operato sine bono motu interiori. Haec simpliciter iudaica opinio est, sentire, quod per caeremoniam iustificemur sine bono motu cordis, h. e. sine fide. Et tamen haec impia et perniciosa opinio magna auctoritate docetur in toto regno pontificio" (ad art. 13.). Denique *recentiores Protestantes* hanc accusationem saltem contra antiquiores theologos catholicos, nominatim Scotum et Gabrielem Biel ferre consueverunt; ita v. g. *Baur*, Gegensatz des Protestantismus und Katholicismus pp. 362 et 430 ss., necnon *Real-encyclopädie* für protestantische Theologie, 13^2, 277 ss. Artikel: Sakrament.

18. ***2. Eaedem criminationes repelluntur.*** — Revera hisce criminationibus doctrinam catholicam calumniari atque formulam eam exprimentem violenter in falsos et absurdos sensus detorqueri in aperto positum est.

1) Absurda calumnia est, secundum doctrinam catholicam *Spiritum Sanctum vices suas externis symbolis resignasse.* Etenim nemini unquam catholicorum in mentem venit, signa sensibilia propria sua virtute hominem sanctificare posse, sed omnibus semper persuasum fuit, ipsum Spiritum Sanctum per sacramenta tamquam instrumenta gratiam producere. Absurdum autem esset dicere, causam principalem instrumento suo vices suas resignare.

19. 2) Item absurde calumniant haeretici, cum ex doctrina catholica *sacramentis vim magicam convenire* proclamant. Etenim magiae scelus in eo est, quod signo aliquo ex natura ad certos effectus producendos inepto posito opera daemonis ad illos effectus producendos vel explicite vel implicite expetitur. Vis igitur magica nihil aliud est, nisi ipsa virtus daemonis signo conventionis ex pacto explicito vel implicito provocata et ad certum effectum producendum applicata. Ex qua vis magicae declaratione evidens est, quam stulta et blasphema haec haereticorum calumnia sit. Etenim alia prorsus et opposita ratio est signorum sacramentalium. Cum scilicet illa signa magica neque ex se neque a malo daemone ullam virtutem ad effectum producendum habeant,

effectus enim magicus posito eiusmodi signo ex parte ab ipso malo daemone producitur; ex opposito sacramenta tamquam instrumenta Dei et Christi ipsam gratiam sanctificantem producendam efficienter attingunt. Ergo.

3) Iterum absurde calumniant haeretici, cum dicunt ex **20.** doctrina catholica *opus operatum intelligi actum externum sive ministri sive subiecti sacramenti per se meritorium*, quatenus externus et ab actu interno distinctus est. Etenim primo nullus theologus catholicus unquam docuit, actum externum per se seu, ut est externus et ab interno distinctus, meritorium esse. Praeterea omnes theologi catholici actum quemvis meritorium tamquam opus operans operi operato i. e. ipsi signo visibili posito opponunt atque huic effectum sacramentalem adscribunt.

4) Denique mera calumnia est, cum Protestantes asserunt, **21.** ex doctrina catholica sacramenta *gratiam conferre ex opere operato idem esse ac gratiam per sacramenta ita conferri, ut nulla fides aut bonus motus interior in suscipiente requiratur.* Nominatim neque Scotus neque Biel neque praesertim Concilium Tridentinum ullo modo hanc doctrinam proposuerunt.

a) Et primo *Scotus* hanc quidem sententiam habet: „Sacramentum N. T. ex virtute operis operati confert gratiam: non requiritur bonus motus, qui mereatur gratiam" (In 4. d. 1. q. 6.): quam sententiam obiiciunt et urgent adversarii: verum prorsus immerito et falso his verbis confidunt. Etenim Scotus ita scribens cum ceteris theologis negat, necessarium esse bonum motum, qui meritorius gratiae sacramentalis sit, nullo autem pacto negat, bonum motum tamquam dispositionem seu obicis remotionem requiri. Quod vel manifestum est ex contextu sententiae allatae: etenim Scotus effectum gratiae in sacramentis N. L. et V. L. comparans post verba allata immediate subdit: „sed sufficit, quod suscipiens non ponat obicem. Sed in illis actibus (sacramentis V. L.) non conferebatur ex hoc solum, quod offerens non poneret obicem, sed tantum conferebatur ex virtute boni motus interioris tamquam meriti" (l. c.). Scilicet *non ponere obicem*

secundum Scotum actus bonos interiores tamquam dispositionem ad gratiam sacramentalem complectitur; quod ex aliis locis prorsus manifestum est. Ita v. g. proposita obiectione. sacerdotis absolutionem in poenitente vitam gratiae supponere, sicut Lazarus prius a mortuis suscitatus, quam ex monumento eductus est, sic respondet: „Concedo, quod ante perceptionem dignam poenitentiae oportet suscitari vel simpliciter, et tunc per poenitentiae sacramentum non deletur peccatum, sed gratia, quae infuit, augetur; vel suscitari secundum quid, scil. ut habeat aliqualem displicentiam de peccatis et propositum cavendi de cetero et velit suscipere sacramentum poenitentiae. in quo attritio fit contritio (per habitum caritatis infusum) et tunc suscitatur simpliciter per sacramentum" (In 4. d. 14. q. 4.). Iterum alibi quaerens, num adultus fictus effectum baptismi recipiat, sic respondet: „Dicitur fictus, qui aliud praetendit exterius, aliud habet interius; potest ergo aliquis in suscipiendo baptismum esse fictus dupliciter. *Uno modo*, quod ostendat se velle recipere illam ablutionem eo modo, quo Ecclesia intendit eam conferre, et tamen oppositum habet in animo: et ille non suscipit sacramentum . . .: *alio modo* potest aliquis esse fictus, ostendendo se esse dispositum ad recipiendum sacramentum, et tamen non est dispositus interius, vel quia non habet rectam fidem, vel quia habet aliquod peccatum mortale vel in actu vel praeteritum, de quo nullo modo atteritur vel conteritur. Et isto secundo modo communiter loquuntur Sancti et Doctores de ficte baptizato.[1]) Dico nunc quia nolentem Deus non iustificat . . .; iste qui

[1]) Cum hic terminus: *fictus, fictio* saepissime apud theologos medii aevi occurrat, eius significatio accurate notanda est; quare hic *S. Thomae* quoque explicatio subiicitur: „Fictio proprie est, cum aliquis aliquid ostendit dicto vel facto, quod non est in rei veritate. Hoc autem contingit dupliciter. *Uno modo*, quando ex hac intentione aliquid dicitur vel fit, ut aliud ostendatur, quam rei veritas habet, et tunc fictio est speciale peccatum, et sic non accipitur hic. *Alio modo*, quando aliquid ostenditur quod rei veritas non habet, dicto vel facto, etsiamsi non propter hoc dicatur vel fiat et sic accipitur hic fictio. Quicunque enim ad baptismum accedit, ostendit se veteri vitae renuntiare, et novam inchoare; unde

habet actualiter obicem contra gratiam, puta infidelitatem vel aliquod peccatum, quod tunc actu voluntatis committit, vel quod prius commisit et nullo modo sibi displicet, nullo modo recipit gratiam" (In 4. d. 4. q. 5.) Ergo de mente Scoti nulla potest esse rationabilis dubitatio.

b) Item *Gabriel Biel* falso accusatur. Etenim verba **22.** huius theologi a Protestantibus ad accusationem fulciendam adducta: „Praeter exhibitionem signi foris exhibiti non requiritur bonus motus interior in suscipiente" (In 4. d. 1. q. 3. a. 1. nota 2.) malitiose truncata sunt; immediate enim subsequitur: „quo de condigno vel de congruo gratiam mereatur, sed sufficit, quod suscipiens non ponat obicem". Hoc autem ipsum *non ponere obicem* Gabrieli idem est ac bonis actibus se ad effectum sacramenti disponere. Etenim alibi expresse docet, hominem aliquando non recipere gratiam sacramentalem in baptismo „aut quia non habet rectam fidem aut quia habet peccatum mortale in actu vel in proposito vel complacentiam vel nullam displicentiam de peccato" (In 4. d. 4. q. 2. nota 1.). Et alibi iterum: „Sine gemitu interiori nemo adultus renovatur. Ratione arguitur: ad iustificationem impii requiritur motus liberi arbitrii ut dispositio praevia; sed per sacramentum poenitentiae iustificatur impius: ergo . . . Consequentia nota cum minori. Maior est Alexandri. B. Thomae, S. Bonaventurae. Richardi, Durandi, Paludani . . .; et probatur ratione post Durandum et Paludanum, quia iustificatio impii est remissio peccati, sed peccatum non remittitur, quando voluntas eius, quod prius volebat, manet in eo; voluntatem autem recedere ab eo, quod prius volebat, est displicere ei, quod prius placebat, in qua displicentia consistit contritionis dolor et hic est motus liberi arbitrii. Ideo requiritur hic motus liberi arbitrii, ut discedat prior vo-

---

si voluntas eius adhuc in vitae vetustate remaneat, aliud ostendit, quam sit in rei veritate et ideo est fictio" (in 4. d. 4. q. 3. a. 2. q. 2. ad 1.). Notandum insuper est, fictionem secundo modo acceptam posse esse vel formalem vel materialem, prout fictus eiusdem conscientiam habet vel non habet.

luntas, sine cuius discessu non iustificatur impius" (In 4. d. 14. q. 2.). Neque igitur Gabrielis doctrina illa labe ullo modo infecta est, immo vero hic theologus perfectionem dispositionis ad sacramentum poenitentiae requisitae cum aliis theologis potius exaggerasse forte dicendus sit, eo quod attritione non contentus contritionem postulasse videri potest.

23. c) Denique *Concilii Tridentini* doctrina hac in re manifestior est, quam ut cum ulla specie veritatis in dubitationem vocari possit. Etenim *primo* in sess. 6. cap. 5. 6. 7. accurata et distincta descriptio exhibetur dispositionis quae ad iustificationem per sacramenta nominatim baptismum recipiendam praerequiritur; haec autem dispositio tum fidem tum poenitentiam vel odium et detestationem peccati et propositum novae vitae complectitur. Item can. 9. ibidem statuitur, praeter fidem aliud ad iustificationem praerequiri, scilicet necessario „hominem suae voluntatis motu ad eam praeparari atque disponi". *Deinde* in sess. 14. cap. 1. 4. iterum multiplices dispositiones necessarias exhibet ad iustificationem per sacramenta baptismi et poenitentiae acquirendam, et nominatim poenitentia declaratur „universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et iustitiam assequendam necessaria, etiam illis, qui baptismi sacramento ablui petivissent" (c. 1.). *Denique* his prae oculis habitis, nulla difficultas est in decretis sess. 7. scilic. can. 6. 7. 8., quos Protestantes maxime opponunt, immo his ipsis eorum calumnia exclusa esse intelligitur. *Praetermittendum vero hoc loco non est,* quod Concilium Tridentinum in fine capitis 4. sess. 14. catholicos theologos a Protestantium criminationibus vindicat. „Quam ob rem falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint sacramentum poenitentiae absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit nec sensit."

24. Recte *Cardinalis Franzelin* huius Reformatorum calumniae refutationem sic concludit: „Sine bono motu igitur adultum iustificari posse, nemo catholicus unquam docuit. Docebant tamen id certissime illi ipsi Reformatores, qui hoc crimen

calumniose catholicis impingunt. Tria enim haec erant principia ipsius Lutheri: hominem iustificari sola fide, quae sit certa fiducia, sibi propter merita Christi peccata esse remissa, seu potius non imputari; iustitiam hominis non esse aliud, quam externam imputationem, qua Deus eum, licet peccatorem, respiciat velut iustum; hanc iustitiam nullis peccatis aliis, quam sola incredulitate impediri aut destrui. Atqui talis fiducia peccatoris evidenter non est bonus motus, sed persuasio stulta simul et impia. Revera ergo, licet id non faterentur, docebant duces Reformationis iustificationem, quae possit esse sine bono motu; continetur enim haec doctrina in ipso eorum fundamentali principio de sola fide iustificante" (De sacram. in genere th. 7. n. 2.).

Corollarium.

25. ***1. Falsa est explicatio formulae ‚ex opere operato' a Möhler aliisque tradita.*** — Insignis hic theologus aliique recentiores, ne grammaticae leges illa formula violatas vel neglectas esse concedere deberent, opus operatum intelligendum esse contenderunt opus Christi, quod in cruce nostram salutem operatum est. — Atvero haec explicatio praeter rem vel falsa est. Etenim verum quidem est, sacramenta totam suam efficaciam habere ex opere Christi, quod in cruce nostram salutem operatum est; attamen id *primo* scopum illius formulae non attingit seu propriam sacramentorum efficaciam non explicat, quia omnes quaecunque gratiae etiam eae, quae in sacramentis antechristianis tribuebantur, ex meritis Christi procedunt; *secundo* explicandum est, quid theologi necnon ipsa ecclesia illa formula enuntiare voluerint, quod quidem non hac explicatione sed ea, quae supra tradita est, fieri intelligitur.

26. ***2. Falsa est assertio quaedam circa opus operatum a Protestante Baur proposita.*** — Hic theologus protestans contendit, collationem gratiae per sacramentum bonum motum internum supponere dici non posse,

quin simul obiectiva sacramenti efficacia necnon differentia inter opus operatum et opus operans in discrimen adducantur. — Atvero haec mera imaginatione innituntur. Etenim *primo* boni motus ex doctrina catholica nec gratiam sacramentalem causant nec sacramentis propriam ipsorum efficaciam largiuntur: sed solum subiectum praeparant et aptum reddunt, in quod sacramenta efficaciam suam exserant. Ergo manifesto manet sacramentis sua efficacia obiectiva. *Secundo* per illam doctrinam catholicam nullo modo differentia inter opus operatum et opus operans e medio tollitur, immo vero potius explicatur et confirmatur: etenim gratia sacramentalis tota quanta ex opere operato, non vero ex dispositione tamquam causa efficiente est; quod etiam tum valet, quando dispositio actus gratiae meritorios complectitur; etenim in hoc casu alia est gratia ex opere operato collata et alia, quae actibus recipientis tamquam meritoriis rependitur.

27. ***3. Ex doctrina statuta quaedam Concilii Tridentini assertio facile intelligitur.*** – Sacrum hoc concilium enumeratis causis iustificationis atque mentione etiam facta baptismi tamquam causae instrumentalis, ita pergit: „Iustitiam in nobis recipientes, unusquisque secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam uniuscuiusque dispositionem“ (sess. 6. cap. 7.). Hoc autem loco sermo est de iustificatione in communi, sive ex opere operantis sive ex opere operato in sacramentis fiat. In utroque igitur casu mensura gratiae dispositioni suscipientis respondet, aliter tamen atque aliter: etenim quando iustificatio ex opere operantis fit, eadem actibus subiectivis tamquam merito retribuitur; quando vero ex opere operato per sacramenta iustificatio confertur, eadem actibus subiectivis tamquam dispositioni adaptatur, quia dispositio animum efficaciae sacramenti applicat et adaptat. Porro quod concilium mensuram gratiae acceptae ex una parte attribuat arbitrio Spiritus Sancti dividentis prout vult, ex altera autem parte maiorem gratiam pro meliore dispositione communicari asserat, contradictionem nullam infert. Etenim dispositio uniuscuiusque recipientis sacramentum consideranda est ut

ratio proxima mensurae gratiae, Spiritus autem Sanctus eiusdem mensurae causa ultima est, quia tum ipsa dispositio est gratia ipsius, tum absolute aliter quam pro mensura dispositionis gratiam distribuere posset. Iam doctrina concilii Tridentini sic intellecta

1) Ex superioribus consequitur. — Etenim ex una parte, 28.
quia sacramenta omnem suam efficaciam ex passione et morte seu infinitis meritis Christi habent, virtus eorundem sanctificatrix ex se ad certum limitem terminata non est, sed ad gradus gratiae magis magisque intensos in indefinitum extenditur atque de se aequaliter respicit omnes. Ex altera autem parte non omnes aequalem ad gratiam sacramentalem respectum dicunt, quia non omnes aequali dispositione se sacramentorum virtuti subiiciunt. Consequens igitur est, ut limes gratiae non ponatur, nisi per limitatam subiecti dispositionem; quare, qui cum meliore dispositione accedit, maiorem gratiam recipit; passiva enim, quantum ad effectus, qui plus et minus suscipiunt, secundum suam capacitatem perficiuntur. Ergo hoc doctrinae caput cum altero de sacramentorum efficacia ex opere operato nulla ratione pugnat, quia melior dispositio ad maiorem gratiam nullatenus se habet ut causa meritoria, sed simpliciter tamquam maior capacitas vel aptitudo subiecti relate ad causam, quae de se efficaciae indefinitae est. Vel paulo aliter idem negative sic exprimi potest: Sicut defectus dispositionis absolute necessariae obstat infusioni gratiae simpliciter, ita defectus melioris dispositionis obstat infusioni maioris gratiae et vocatur obex relativus seu secundum quid. Atque haec valent, etiamsi dispositio progrediatur usque ad actum perfectae caritatis vel contritionis, qui iustificationem de congruo mereatur. Scilicet tunc quoque dispositio relate ad gratiam sacramentalem nonnisi capacitas quaedam est: verum simul causa alterius gratiae est, quae gratiae sacramentali superadditur eique i. e. dispositioni tamquam merito merces respondet.

2) Eadem doctrina theologorum communis est. — Au- 29.
diatur *S. Thomas* eam ad baptismi sacramentum applicans: „Effectus baptismi est id, ad quod baptismus est institutus,

scilicet ad generandum homines in spiritualem vitam. Unde quia omnes pueri aequaliter se habent ad baptismum, quia non in fide propria, sed in fide ecclesiae baptizantur, omnes aequalem effectum percipiunt in baptismo. Adulti vero, quia per propriam fidem ad baptismum accedunt, non aequaliter se habent ad baptismum; quidam enim cum maiore, quidam cum minore devotione ad baptismum accedunt; et ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt, sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat; licet ignis, quantum est de se, aequaliter ad omnes suum calorem effundat" (S. th. 3. p. q. 69. a. 8.). Quibus addendum est, quod alibi dicit: „Devotio baptizati non additur quasi concausa, ut efficienter agat ad gratiae receptionem, sed additur quasi dispositio materialis: et ideo secundum diversitatem ipsius participatur baptismi effectus" (In 4. d. 4. q. 2. a. 3. q. 2. ad 1.).

30. *3) Denique eadem SS. Patrum sententia est.* — Cyrillus Hierosolymitanus v. g. catechumenos tempore Paschali baptizandos sic exhortatur: „Tot annorum circulo mundo incassum laborans transegisti nec quadraginta diebus vacabis orationi pro anima tua? . . . Omitte plura inutilia loqui, neque tu detrahe neque detrahentem libenter audi. Munda vas tuum, ut gratiam capiat abundantiorem: remissio enim peccatorum ex aequo datur omnibus, communicatio vero Spiritus Sancti secundum proportionem uniuscuiusque fidei conceditur. Si parum laboraveris parum accipies . . . Tibi ipsi curris, tibi convenienter prospice" (Catech. 1. n. 5.). Et I. Damascenus: „Quamvis autem, inquit peccatorum remissio omnibus per aquae baptismum detur, Spiritus tamen gratia pro fidei ac praeviae purgationis modo conceditur" (De Fide orthod. l. 4. c. 9.).

31. ***4. In Circumcisione et in sacramento legis naturae iustificatio neque ex opere operato neque ex opere operantis conferebatur.*** — Gratia non conferebatur ex opere operantis, quia, sive adulti conferentes sive infantes recipientes considerantur, obiectum meriti non erat. Neque conferebatur ex opere operato, quia illa sacramenta

causae iustificationis non erant. Potest autem dici in illis sacramentis gratiam collatam esse *quasi* ex opere operato, quia similitudo cum collatione gratiae ex opere operato in eo apparet, quod *primo* ad rectam illorum sacramentorum applicationem gratia infallibiliter conferebatur et *secundo* non ex opere operantis conferebatur seu meritis vel administrantium vel recipientium non rependebatur. Hinc evidens est praeter collationem gratiae ex opere operato atque alteram ex opere operante haberi etiam tertiam, quae neque ex opere operato neque ex opere operante, sed *quasi* ex opere operato est.

Articulus secundus.

Protestantium doctrina reiicitur.

Thesis 7. Protestantium doctrina, secundum quam sacramentis N. L. haec una virtus convenit, ut fidem, quae sola iustificet, in hominibus excitent et confirment, cum Scripturae testimoniis evidenter pugnat.

Declaratio.

1. Doctrina Reformatorum atque Protestantium. — Etsi *Lutherus*, sicuti in aliis doctrinae capitibus, ita etiam in doctrina de sacramentorum efficacia sibi constans non fuerit, nihilominus summa eius doctrinae in hoc contineri recte dicitur, quod sacramentorum virtus eo spectet, ut per ipsa velut signa externa divinitus instituta fides in Christum excitetur, promissiones divinae de remissione peccatorum repraesententur eaeque nobis applicari a nobis firmiter credantur (cf. serm. de sacram.; sermon. de baptismo et de sacram. corp. Christi; serm. de N. T.: serm. cont. coelestes prophetas.). Cum Luthero generatim consentit *Calvinus*, in eo autem differt, quod sacramenta omni effectu in reprobatis carere addat (Instit. l. 4. c. 14.). Ab utroque *Zwinglius* dissentit, qui nihil in sacramentis nisi momentum sociale agnoscit; scilicet ponit, sacramenta non esse nisi meras cae- 1.

remonias. quibus homo se ecclesiae membrum atque militem Christi comprobet (De vera et falsa religione). Ad Zwinglium magis recentiores quidam Protestantes accedunt, qui in sacramentis nihil aliud vident, nisi mutui inter Deum et homines foederis tesseram (cf. Hase, Dogmatik § 185.). Alii ex recentioribus sacramentis mysticam quandam virtutem attribuunt corpus et animam immutandi eaque cum Christi humanitate uniendi: alii iterum ad catholicam doctrinam satis accedunt (cf. Herzog, Realencyclopädie 13^2, 297 ss.).

2. ***2. Nexus huius doctrinae cum Protestantium theoria de iustificatione.*** — Iam hoc loco potissimum veterum Protestantium Lutheranorum et Calvinianorum doctrinam spectamus, quam nunc quoque plures e theologis Protestantibus sectari videntur. Haec autem doctrina non solum utcunque cohaeret cum Protestantium theoria de iustificatione, sed ex ea necessaria consequentia fluit. Etenim ad quatuor capita haec theoria reduci potest, quae accurate recenset *Cardinalis Franzelin*: „1) Docent. iustitiam christianam, qua coram Deo acceptamur et qua, ut Paulus ait, *non apud homines sed apud Deum habemus gloriam* (Rom. 4, 2.), non esse quidpiam ontologicum inhaerens animae, nec ethicam mutationem, nec theologicum supernaturale donum; sed esse ipsam iustitiam Christi, quam Deus nobis imputat, et propter quam nos, licet manentes in nostris peccatis, reputat et acceptat velut iustos ac filios. 2) Ut iustitia Christi hoc modo nobis imputetur et nos iusti reputemur, unice fit per fidem. 3) Hanc fidem iustificantem, aiunt, non esse fidem dogmatum, qua propter auctoritatem Dei credimus omnia divinitus revelata, et quam ipsi appellant fidem historicam; sed esse fidem specialem, qua singuli certissime credant, sibi singillatim imputari merita Christi, et ideo sibi non imputari sua peccata, sed haberi se coram Deo tamquam iustos; hanc itaque fidem specialem ubique intelligendam esse, ubi in Scripturis sermo est de iustificatione ex fide et per fidem. Neque vero in ipsa hac fide, aiunt, esse aliquod meritum; sed eam esse tantummodo manum, qua apprehendimus merita Christi et ea nobis reddamus propria. Hinc 4) praeter fidem nec esse

nec requiri ullam aliam internam dispositionem, quae quidquam conferat ad iustificationem. Nam antecedenter ad iustificationem, quidquid est actuum humanorum, totum est peccatum; consequenter ad iustificationem, si caritas et virtutes aliae adsint (disputant enim, utrum debeant adesse, an possint etiam abesse) illis nullatenus constituitur iustitia christiana, quae est ex sola fide: sed sunt fructus quidam connexi et manifestationes ac signa verae fidei" (De sacram. in genere, th. 8. p. 79). Ex hac vero theoria sane consequitur, etiam in sacramentorum susceptione solam fidem iustificare, atque ideo sacramentorum nec esse aliam virtutem nec alium scopum, quam ut fidem excitent ac foveant, quippe quae sola iustificet.

3. Scopus et divisio thesis. — In praesenti thesi 3.
agendum non est de ista iustificationis theoria in universum neque de fidei notione, quam Protestantes plane pervertunt: sed demonstratur neque fidem, de qua in Scriptura sermo est, solam iustificare neque igitur sacramenta eo solum spectare, ut fidem iustificantem excitent. In qua demonstratione ita proceditur, ut primo positive probetur, hanc haereticorum doctrinam manifesto cum Scriptura pugnare, secundo negative ostendatur, argumenta illorum, quae ex Scriptura petunt, nullius momenti esse; quare demonstratio in duas partes dispescitur.

Demonstratio.

I. p. Doctrina Protestantium ex Scriptura refutatur.

Scripturae doctrina, qua Reformatorum absurda opinatio 4.
exploditur, prorsus luculenta est: ad tria vero argumenta commode revocatur:

1. Argumentum primum. — Hoc argumentum iam supra (th. 6. n. 7.) indigitatum est. Scilicet Scripturae nunquam ne innuunt quidem, sacramenta ad fidem excitandam tota spectare; immo vero fidem sicuti poenitentiam ad sacramenta rite suscipienda prorsus necessarias esse aperte

ponunt: „*Qui crediderit et baptizatus fuerit, hic salvus erit*“ (Marc. 16, 16.). „*Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: si credis ex toto corde, licet*“ (Act. 8, 37.). „*Exsurge et baptizare et ablue peccata tua, invocato nomine ipsius* (ἐπικαλεσάμενος)“ (Act. 22, 16.). „*Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum*“ (Act. 2, 38.). Quibus testimoniis aperte sane docetur, fidem atque poenitentiam tamquam dispositionem necessariam ad baptismum rite suscipiendum praerequiri atque dein hoc ipso sacramento demum iustificationem impertiri. Ergo fides et poenitentia per se ad remissionem peccatorum seu iustificationem accipiendam nequaquam sufficiunt.

5. ***2. Argumentum secundum.*** — Scripturae expressis verbis docent, solam fidem ad iustificationem accipiendam non sufficere. Huc spectat imprimis egregium S. Iacobi testimonium: „*Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? . . . Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Sed dicet quis: Tu fidem habes et ego opera habeo; ostende mihi fidem tuam sine operibus; et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Tu credis, quoniam unus est Deus: Bene facis; et daemones credunt et contremiscunt. Vis autem scire, o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius: et ex operibus fides consummata est? Et suppleta est* (i. e. se ipsam supplevit vel explicavit) *Scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam, et amicus Dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo et non ex fide tantum? Similiter et Rahab meretrix, nonne ex operibus iustificata est suscipiens nuntios, et alia via eiiciens? Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est*“ (Iac. 2, 14—26). Cum hoc testimonium adeo clare totam Reformatorum heresin evertat. Lutherus epistolam S. Iacobi tamquam ***stramineam***

sprevit et reiecit. Accedit aliud praeclarum testimonium: „*Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia eiecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos; discedite a me, qui operamini iniquitatem*“ (Matth. 7, 21—23.). *S. Paulus* quoque manifesto eandem doctrinam proponit: „*Et si habuero prophetiam et noverim mysteria omnia et omnem scientiam: et habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum*“ (1. Cor. 13, 2). Et alibi haec supplet, cum dicit: „*nos enim spiritu ex fide* (in oppositione ad caeremonias Iudaeorum) *spem iustitiae exspectamus. Nam in Christo Iesu neque circircumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides, quae per caritatem operatur*“ (Gal. 5, 6.). Quibus testimoniis S. Pauli simul sumptis certe significatur: *primo* fidem separatam subsistere posse a caritate, *secundo* fidem solam nihil ad iustificationem vel salutem valere, *tertio* fidem eam, quae caritate informata est, ad iustificationem valere. Dixi *fidem, quae caritate informata est,* quia illud: *quae per caritatem operatur,* in sensu passivo sumendum esse videtur, cum in graeco textu habeatur: πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη. Qua vero ratione fides caritate informata esse dicatur, *S. Thomas* hoc modo explicat: „Non dicitur esse forma fidei caritas per modum, quo forma est pars essentiae, sic enim contra fidem dividi non posset, sed in quantum aliquam perfectionem fides a caritate consequitur; sicut in universo elementa superiora dicuntur esse ut forma inferiorum“ (De verit. q. 14. a. 5. ad 1.).

3. Argumentum tertium. — Ex doctrina Scripturae praeter fidem aliae quoque dispositiones seu actus alii ad iustificationem praerequiruntur vel concurrunt; ergo sola fides non iustificat. Antecedens constat, quia v. g. timor Dei, spes in eum, eleemosyna, poenitentia de peccatis, amor Dei tamquam dispositiones ad iustificationem vel necessariae vel **6.**

utiles his aliisque testimoniis exhibentur: „*Timor Domini expellit peccatum . . . timor Domini fons vitae*“ (Eccl. 1. 27; Prov. 14, 27.). „*Sanctum et terribile nomen eius; initium sapientiae timor Domini*“ (Ps. 110, 9. 10.). „*Omnis, qui habet hanc spem in eo. sanctificat se, sicut et ille sanctus est*“ (1. Ioan. 3, 3.). „*Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno*“ (Heb. 4, 16.) „*Eleemosyna a morte liberat. et ipsa est, quae purgat peccata*“ (Tob. 12. 9.). „*Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis . . . vita vivet et non morietur; omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor*“ (Ez. 18, 21.). „*Non. dico vobis: sed nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*“ (Luc. 13, 3. 5.). „*Poenitemini igitur, et convertimi, ut deleantur peccata vestra*“ (Act. 3, 19.) „*Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*“ (Luc. 7, 47.). „*Charitas operit multitudinem peccatorum*“ (1. Pet. 4, 8.).

2. p. Argumenta Protestantium examinantur.

7. ***1. Adversariorum argumenta exponuntur.*** — Protestantes multa, quae de fide agunt, Scripturae testimonia collegerunt, quibus haeresin suam propugnarent, catholicam doctrinam everterent. Ad quatuor vero classes illa testimonia revocari possunt:

1) Et *primo* quidem ex testimoniis argumentantur, quibus *iustificati, purificati, salvati ex fide dicimur atque iusti ex fide vivere exhibentur*: „*Iustificati ex fide pacem habeamus*“ (Rom. 5, 1.); „*Iustus ex fide vivit*“ (Rom. 1, 17.: Gal. 3, 11.: Heb. 10, 38.); „*Fide purificans corda eorum*“ (Act. 15, 9.): „*Notum vobis facio evangelium, quod praedicavi vobis . . . per quod et salvamini*“ (1. Cor. 15, 1. 2.).

2) *Deinde* ea testimonia urgent, quibus universalibus enuntiationibus docetur, *salutem omni credenti obvenire*: „*Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam*“ (Ioan. 3, 15.): „*Remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum*“ (Act. 10, 43.);

„in hoc omnis, qui credit, iustificatur“ (Act. 13, 39.): *„Finis enim legis Christus, ad iustitiam omni credenti“* (Rom. 10. 4.): *„Omnis, qui credit, quod Iesus est Christus, ex Deo natus est“* (1. Ioan. 5, 1.).

3) *Praeterea* in iis testimoniis insistunt, quibus *fidei exclusis operibus salus et iustificatio adscribatur: „Gratia enim estis salvati per fidem . . ., non ex operibus“* (Rom. 3, 28.): *„Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur“* (Eph. 2, 8.). 8.

4) *Denique* arguunt, quod quibusdam Scripturae testimoniis *solius fidei virtus celebretur, sacramentis vero qua talibus omnis virtus subtrahatur*: *„Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur“* (Marc. 16, 16.): *„Salvos nos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextera Dei deglutiens mortem“* (1. Pet. 3, 21.).

2. Eadem argumenta refelluntur. — Argumentis propositis non solum nihil omnino in favorem haereticae opinionis evincitur, sed Scripturae doctrina plane pervertitur: quod facile demonstratur. 9.

1) Et *primo* quidem *testimonia, quae in quarto argumento adhibentur,* in alienum et perversum sensum ab adversariis detorquentur. Revera enim:

a) Marc. 16, 16. duo ad salutem necessaria esse asseruntur: primo fides, secundo baptismus; si autem ex duobus necessariis vel unum deerit, effectus non obtinetur; ergo *primo* nullatenus dicitur fidem solam ad salutem consequendam sufficere; praesertim quia hoc cum aliis Scripturae testimoniis prorsus pugnaret: *„Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei“* (Ioan. 3, 5.). *Praeterea* fidei nullatenus efficientia iustificationis tribuitur, sed potius eadem tamquam dispositio ad baptismum iustificantem exhibetur. *Denique* inepte urgent alterum incisum, quippe in quo Christus dixerit: *„Qui non crediderit, condemnabitur“*, non autem: *Qui baptizatus non fuerit, condemnabitur*: falso

enim hinc concludunt, solam fidem a Christo necessariam declarari atque soli fidei iustificationem adscribi. Revera enim talis argumentatio perabsurda est; scilicet eadem ratione quis ita concluderet: Qui theologiam per quatuor annos audiverit et examina rigorosa feliciter subierit, doctoratus laurea coronabitur; qui vero theologiam per quatuor annos non audiverit, a doctoratu reiicietur; ergo examina rigorosa recte absolvere necesse non est, sed theologiam audire sufficit, atque in hoc sola causa doctoratus continetur. Sicuti haec ita et illa Protestantium conclusio perabsurda esse continuo perspicitur. Ex adverso enim potius sic concludendum est: Ergo neque solus baptismus sine fide neque sola fides sine baptismo sufficit; neque ullo modo necessarium fuit, ut adderetur: Qui baptizatus non fuerit, condemnabitur; nam baptismus fidem suscipientis supponit; quare qui non credit, eo ipso non baptizatur vel non recte baptizatur.

10. b) Neque magis favet haereticis alterum testimonium 1. Pet. 3, 21. Etenim disertis verbis baptismus iustificare declaratur; nullo autem modo fidei vis iustificativa adscribitur, cum verba: *sed conscientiae bonae interrogatio in Deum* immerito et falso in hunc sensum explicentur. Quinam autem verus horum verborum sensus sit, non omnino perspicuum est; duplex vero dari potest explicatio probabilis. *Secundum primam* S. Petrus illis verbis significat dispositionem ad baptismum recte et fructuose suscipiendum necessariam; cum enim incisium, de quo agitur, alteri inciso: *non carnis depositio sordium* opponatur, totum illud membrum duo haec incisa complectens significare videtur, baptismum non salvare, quatenus est naturalis lotio corporis, sed ut est bonae conscientiae petitio ad Deum directa seu quatenus cum bona intentione et dispositione suscipitur. Qua interpretatione supposita verba Apostoli forte dici possunt adsignificare interrogationem, quae baptizando ponitur, num scilicet in Christum credat et Satanae renuntiet; ad hanc enim interrogationem baptizandus bona conscientia seu ex animo sincero respondere debet, ut baptismi fructum plenum recipiat. *Secundum alteram* interpretationem Apostolus de salutari baptismi effectu

loquitur. ita ut sensus sit: baptismus nos salvos facit, non quatenus ablutio corporis est, sed quatenus tamquam peccatorum remissio omnem conscientiae stimulum eximit. Atque haec interpretatio per versiones arabicam et syriacam confirmatur; in hac enim propositionis membrum de quo agitur sic legitur: „Et vos servamini per baptismum, non abluentes corpus a sordibus, sed gratias agentes Deo cum bona conscientia"; in illa vero: „Cuius rei typus nunc est baptisma, salvans nos non amovendo sordes carnis tantum, sed exhilarando conscientiam bonam erga Deum". Quod deinde spectat verba addita: *per resurrectionem Iesu Christi*, dicendum est, iisdem explicari, unde baptismus efficaciam suam habeat: scilicet non quidem resurrectio seorsum spectata causa nostrae salutis dicitur, sed totius operis redemptionis complementum, absolutio, confirmatio est, ita ut terminus *per resurrectionem Iesu Christi* nihil aliud significet nisi *per Christum redivivum*, quemadmodum etiam v. 18. tamquam *vivificatus spiritu* causa nostrae salutis esse exhibetur. Ex omnibus vero hic notatis satis perspicuum est, de fide tamquam unica iustificationis causa in toto textu neque sermonem esse.

2) Quod attinet *cetera argumenta ex reliquis Scripturae testimoniis petita et supra sub num.* 1. 2. *3. comprehensa.* nonnulla momenta considerare opus est et sufficit: **11.**

a) *Fides duplici modo accipi potest*: primo pro obiecto fidei, secundo pro actu vel habitu fidei. Fides *priori modo* accepta seu *fides obiectiva* complexum dicit omnium illorum, quae Deus vel Christus Dominus in salutem hominum docuit. praecepit, instituit. egit. Fides *altero modo* accepta seu *fides subiectiva* iterum duplex discerni potest: scilicet aut intelligitur fides eam perfectionem assecuta, ad quam ex natura sua ordinatur atque voluntatem penitus ingressa totam vitam hominis disponit atque, ut Apostolus loquitur, per caritatem operatur; aut intelligitur fides formaliter, prout supernaturalem mentis assensum dicit, qui omnibus veritatibus revelatis propter auctoritatem Dei revelantis assensum super omnia firmum praestat. Illa *fides* (caritate) *formata*, haec,

si non solum mentis abstractione, sed reipsa a caritate separata est, *fides informis* vocatur.

12. b) *Porro per fidem obiectivam homines iustificationem et salutem adipisci*, sine ulla dubitatione affirmandum est. Profecto enim quicunque complexum illorum omnium, quae obiectum fidei seu fidem obiectivam constituunt, mente et voluntate et opere, ut par est, devote suscipit, necessario vel in statum gratiae transfertur vel continuis iustitiae augmentis ornatur. Iamvero hanc fidem obiectivam plura Scripturae testimonia spectant, quae Protestantes in suum errorem detorquent, v. g.: „*Notum vobis facio evangelium, quod praedicavi vobis . . . per quod et salvamini*“ (1. Cor. 15, 1. 2.); „*Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti, Iudaeo primum et Graeco, iustitia enim Dei* (actio Dei iustificans) *in eo revelatur ex fide in fidem* (i. e. a prima susceptione usque ad apicem sanctitatis)“ (Rom. 1, 16. 17.). Quadantenus huc ea quoque testimonia referenda esse videntur, quibus ex fide vel per fidem iustificati dicimur; scilicet iustificamur per id, quod fide subiectiva complectimur nobisque appropriamus i. e. per media et instituta salutis, quae obiectum fidei seu fidem obiectivam constituunt.

13. c) Item *per fidem subiectivam eam iustificamur, quae illam perfectionem attingit, ad quam ex natura sua ordinatur.* Haec enim fides ea est, quae per caritatem operatur seu caritate informata est ideoque fides formata dicitur. Tali enim fide peccatores iustificationem de congruo merentur, iusti vero augmentum gratiae de condigno merentur. Huc ea testimonia Scripturae pertinere videntur, quae universaliter ponunt, omnem credentem salvari, ut v. g.: „*omnis enim, qui credit, quod Iesus est Christus, ex Deo natus est.*“

14. d) *Denique fides subiectiva formaliter talis*, quae sive abstractione mentis sive reipsa a caritate separata est, *initium iustificationis, radix et fundamentum vitae supernaturalis est.* Fide enim hac Deus cognoscitur: „*Sine fide impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator est*“ (Heb. 11, 6.). Fide cognoscitur Christus redemptor, praeter

quem „*non aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*“ (Act. 4, 12.). Item fide bonitas, misericordia, iustitia divina, gravitas peccati, media salutis cognoscuntur. Quae cum ita sint, perspicuum est eam fidem ad principii practici instar peccatores quidem inclinare ad peccata delenda et iustificationem acquirendam, iustos vero ad gratiam iustificationis conservandam et perficiendam. Hinc nulla unquam adulti sine hac fide iustificatio contingere potest; quia iustificatio ex opere operantis ex tali fide progerminat; iustificatio vero ex opere operato illam supponit ut dispositionis radicem. Iamvero huic fidei, si opera opponuntur, ea intelliguntur opera, quae extra illam sunt vel quae ex eadem non progerminant vel ab eadem adaequate distincta sunt, sive opera legis sive opera ex meris naturae viribus posita sunt. Hinc vero ea Scripturae testimonia commode intelliguntur, quibus homo non ex operibus, sed ex fide iustificatus esse dicitur (Rom. 3, 28.). Scilicet homo iustificatur ex fide tamquam ex radice et initio dispositionum ad iustificationem; haec autem fides neque alias dispositiones neque sacramenta vel alias iustificationis causas excludit, sed potius ea omnia adsignificat, postulat, inducit. Non vero iustificatur ex operibus, si opera a fide separata intelliguntur; iustificatur autem ex operibus, si opera ex fide progerminantia seu etiam opera obiectiva sacramentorum intelliguntur.

Tandem ut omnis influxus fidei in iustificationem pateat, **15.** considerandum est, sicut alios virtutis actus ita etiam fidem subiectivam in homine iustificato esse meritoriam de condigno iustificationis et sic ad causam efficientem reduci, in homine peccatore vero ad dispositionem necessariam pertinere atque sic ad causam materialem revocari.

Ex omnibus manifestum est, tum fidem tum sacramenta iustificare, aliter tamen et aliter; quare fides et sacramenta sub hoc respectu se non excludunt, sed potius se supplent. Etenim sacramenta iustificationem operantur ex opere operato, fides (subiectiva) ad eam concurrit ex opere operantis; opus autem operatum non excludit opus operantis sed potius supplet. Recte igitur Cardinalis *Franzelin*: „Causalitas sacra-

mentorum ex opere operato et causalitas fidei ex opere operantis, quaecunque haec esse supponatur nec sibi opponuntur nec se invicem excludunt, quia sunt in diverso ordine, et quia alius est gradus gratiae conferendus ex opere operantis et alius conferendus ex opere operato" (Thesis 8. II. 2. a.).

16. *Denique* tota explicatio distinctionibus quibusdam comprehendi potest; scilicet ad obiectionem: *Scriptura fidei virtutem iustificativam tribuit*, sic respondetur: *D.* Virtutem iustificativam tribuit fidei exclusis aliis actibus et nominatim sacramentis *n.*; inter alia etiam fidei hanc virtutem tribuit *sbd.* fidei obiectivae *c.* fidei subiectivae *sbd.* fidei subiectivae, quae est formata *c.* fidei in se spectatae *sbd.* tribuitur fidei tamquam dispositioni vel causae materiali *c.* fidei tamquam causae efficienti vel meritoriae *sbd.* si agitur de augmento iustificationis vel de gratia secunda *c.* si agitur de gratia prima vel de adeptione iustificationis *n.*

Corollarium.

17. ***Falsa et haeretica est doctrina Protestantium, verba sacramentalia non consecratoria, sed concionatia solum esse.*** — Doctrina isthaec de verbis sacramentalibus cum eorundem opinatione de sacramentorum causalitate cohaeret vel fere identica est; etenim verba sacramentalia concionalia esse nihil aliud dicit nisi, verba sacramentalia esse adminiculum verbi Dei vel medium quoddam praedicationis evangelicarum promissionum eo pertinens, ut fides illa fiducialis in divinas promissiones concione iam propositas excitetur et confirmetur. Quamvis haec opinatio iam supra simul in duabus praecedentibus thesibus refutata esse videatur, nihilominus hoc loco specialis refutatio et simul ulterior quaedam rei explicatio addenda est. Ad tria vero puncta vel asserta omnia revocantur.

18. *1) Verba sacramentalia non solum concionalia sunt.* — Quam absona haec Protestantium opinatio sit, re paulo accuratius inspecta facile liquet.

a) *Primo* absonum est, opinari, fidem, quam clara et distincta propositio promissionum divinarum, quae concione continetur, firmam ac validam non reddidit, tum demum excitari et roborari, quando eaedem promissiones divinae ritu et verbis sacramentalibus magis obscuris et confusis proponuntur; etenim cum conciones et sacramenta ex doctrina Protestantium non aliter et aliter, sed proponendo doctrinam fidem excitent, illud necessario in excitando fide praestat, quod melius et clarius evangelicam doctrinam proponit; id autem profecto non sacramenta, sed conciones sunt: ergo. Quare *Zwinglius* non immerito sic Lutheranos et Calvinianos hanc doctrinam profitentes interpellat: „Si fides tua non aliter fuerit absoluta, quam ut signo sacramentali egeat, fides non est" (cf. Tüb. Quartalschrift 1855 S. 43 ff.).

b) *Deinde* si verba sacramentalia solum concionalia sint, sa- **19.**
cramentis iam nulla ratio existendi restat. Etenim eatenus solum sacramenta rationem existendi habent, quatenus iisdem aliquid obtinetur, quod sola praedicatione in animis hominum gigni nequeat. Atqui si verba sacramentalia concionalia solum sint, nihil efficiunt, quod non etiam et multo quidem melius praedicatio vel concio efficiunt. Ergo. Atque ideo illogice Protestantes orthodoxi, logice vero Rationalistae procedunt, utpote qui ipsius baptismi sacramenti necessitatem negant cum illi affirment.

c) *Praeterea* in theoria adversariorum efficacia sacramen- **20.**
torum a recta intelligentia verborum sacramentalium pendet, quae in suscipiente gignatur; pari enim ratione efficacia concionis quoque ad excitandam fidem rectam audientium intelligentiam supponit atque ex ea prodit. Atqui cum traditione tum theoretica tum practica prorsus pugnat, quod sacramentorum efficacia a recta intelligentia verborum sacramentalium pendeat, quam suscipiens habeat. Ergo. Minor manifesta est; quare solum aliquod *S. Augustini* testimonium in confirmationem adducere sufficit: „Si evangelicis, inquit, verbis: *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, Marcion baptismum consecrabat, integrum erat sacramentum, quamvis eius fides sub iisdem verbis aliud opinantis, quam catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus in-

quinata. Nam sub iisdem verbis non solum Marcion aut Valentinus aut Arius aut Eunomius, sed ipsi carnales parvuli ecclesiae, si possent singuli diligenter interrogari, tot diversitates opinionum fortassis, quot homines numerarentur . . . Numquid tamen non ideo sacramentum accipiunt?" (De bapt. l. 3. n. 20.)

21. d) *Denique* huc plures rationes pertinent iam supra (th. 5. n. 26.) adductae. Nimirum *primo* in opinatione Protestantium sacramenta necessario divinitus instituta esse non intelliguntur, quia homo sicuti concionem habere, ita etiam verba sacramentalia concionalia propria auctoritate determinare potest. *Secundo* eadem opinatio pugnat cum usu paedobaptismi; quod prorsus evidens est; quare Protestantes, si logice procedere velint, Anabaptistarum haeresin amplectantur necesse est. *Tertio* item pugnat cum necessaria sacramentorum ad singula subiecta applicatione. *Denique* pugnat cum essentiali inter sacramenta N. L. et V. L. differentia.

22. 2) *Verba sacramentalia primario consecratoria sunt* — Negant generatim hanc assertionem Protestantes; neque ii, qui eam verbis concedunt, eandem sensu pleno et catholico intelligunt. Scilicet aliqui Protestantes verba sacramentalia eatenus consecratoria esse concedunt, quatenus iisdem materia sacramentalis ab usu communi et profano ad usum sacrum transfertur. Veruntamen secundum rei veritatem et doctrinam catholicam verba sacramentalia duplici ratione consecratoria sunt.

a) Et *primo* quidem consecrant materiam sacramentalem eo, quod eandem per unionem suam cum ipsa ad esse sacramentale elevant atque simul cum ea unum signum sacramentale efficax gratiae constituunt. Huc pertinent notissima *S. Augustini* verba: „Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum . . .: hoc est enim verbum fidei, quod praedicamus, quo sine dubio, ut mundare possit, consecratur baptismus" (In Ioan. tract. 80. n. 3.). Item huc spectant haec *S. Cyrilli Hieros.*: „Aqua simplex, Spiritus Sancti et Christi et Patris invocationem percipiens vim sanctificationis aquirit" (Catech.

3. n. 3.). Atque haec *auctoris librorum de sacramentis*: „Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est et cuius sermonibus? Domini Iesu“ (l. 4. c. 4. n. 14.).

b) *Secundo* verba sacramentalia ut signa practica vel instrumenta Christi hominem ipsum consecrant et sanctificant, ut supra demonstratum est.

3) Secundario tamen sacramenta etiam rationem propositionis doctrinae habent. — Revera id a theologis catholicis nunquam negatum est, sed expressis verbis ita docent. Ita v. g. *S. Thomas* necnon *S. Bonaventura*, quorum declarationes huc spectantes iam supra allatae sunt (Thes. 2. n. 3. et 4.). Similiter *catechismus Tridentinus* enumerans causas institutionis sacramentorum: „Prima est humani ingenii imbecillitas; si quidem natura ita comparatum videmus, ut ad earum rerum notitiam, quae mente atque intelligentia comprehensae, nisi per ea, quae aliquo sensu percipiuntur, nemini aspirare liceat. Ut igitur, quae occulta Dei virtute efficiuntur facilius intelligere possemus, idem summus rerum omnium artifex sapientissime fecit, ut eam ipsam virtutem aliquibus signis, quae sub sensum cadunt, pro sua in nos benignitate declararet“ (P. 2. c. 1. n. 13.). **23.**

Scholion.

De SS. Patrum hac in re doctrina. — Cum Reformatores vel unice vel maxime ad Scripturam se receperint, hic pauca de traditione sufficiunt. **24.**

1) SS. Patrum doctrina haereticorum opinationi ita manifeste repugnat, ut ipsi Reformatores eosdem sibi adversari sua saltem agendi ratione confessi sint. Diversa scilicet sed aeque inepta ratione Lutherus et Calvinus catholicorum theologorum argumentum ex SS. Patrum doctrina petitum evertere conati sunt. Et *Lutherus* quidem ipsam SS. Patrum auctoritatem contempsit se iisdem superbe anteponens: „Quod si qui sunt ex Patribus, qui senserunt, sacramenta sua virtute iustificare, esto etiam Augustinus, ut Cochlaeus contendit,

nihil moror, hominum sunt dicta sibi ipsis saepius pugnantium pleraque humano sensu extra Scripturas dicentium“ (Lib. c. Cochlaeum); *Calvinus* autem SS. Patres hyperbolice esse locutos absurde contendit (Instit. l. 4. c. 14. §. ultim.).

25. *2) Recentiores tamen Protestantes ad quaedam SS. Patrum dicta quandoque provocant*, quibus suam doctrinam praeformatam esse contendunt. Et potissimum quidem appellant *Hilarium* in Matth. c. 8. n. 6.: *Ambrosiastrum* in Rom. c. 3.; *Chrysostomum*, hom. de fide n. 1.: *Augustinum* cont. duas epist. Pelag. c. 21. et de fid. et oper. c. 14.: *Basilium*, hom. de humil.; *Leonem M.*, de Epiph. serm. 4.: *Bernardum*, in cantic. serm. 22. Verumtamen haec testimonia omnia referre et discutere operae pretium non est. Qui enim textum et contextum contemplatur, et maxime consilii rationem habet, quod Patres in illis operibus prosequebantur, facile videt, eorundem doctrinam in ipsis illis locis esse prorsus catholicam. Scilicet SS. Patres cum soli fidei iustificationem adscribunt, vel fidem caritate formatam intelligunt vel fidem operibus legis necnon operibus naturalibus opponentes ex his tribus solam fidem ad iustificationem obtinendam utilem esse declarant; in quibus omnibus nihil sane est, quod Protestantium haeresin ullo modo iuvet. Cf. *Franzelin*, th. 8. in fine.

26. *3) Maxime vero Protestantes confidunt in expositione S. Augustini, quae legitur tract. 80. in Ioan. n. 3.*, et supra iam aliquoties partim adhibita est ad catholicam doctrinam confirmandam. Quare, ut aequum iudicium ferri possit, res accuratius examinanda et imprimis tota Augustini expositio afferenda est. Itaque *Augustinus* verba Christi Ioan. 13. exponens sic procedit: „Quare non ait: mundi estis propter baptismum, quo loti estis, sed ait: propter verbum, quod locutus sum vobis, nisi quia et in aqua verbum mundat? Detrahe verbum, et quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum, etiam ipsum tamquam visibile verbum . . . Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus

manens. Hoc est verbum fidei, quod praedicamus, ait Apostolus, *quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Iesus . . ., salvus eris* (Rom. 10, 8. ss.) . . . Unde in Actibus Apostolorum legitur: *Fide mundans corda eorum* (Act. 15, 9.) et in epistola sua B. Petrus, *sic et vos*, inquit, *baptisma salvos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio* (1. Pet. 3, 21.). Hoc est verbum fidei, quod praedicamus, quo sine dubio, ut mundare possit, consecratur et baptismus. Christus quippe nobiscum vitis, cum Patre agricola, *dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea.* Lege Apostolum et vide, quid adiungat: *ut eam sanctificaret*, inquit, *mundans eam lavacro in aqua* (Eph. 5. 25. 26.). Mundatio igitur nequaquam fluxo et labili tribueretur elemento, nisi adderetur: *in verbo*. Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad iustitiam et ore confiteri ad salutem." Iamvero in tota hac expositione Augustinus dicere videtur *primo*: illud, quod mundat in baptismo nihil aliud esse nisi verbum praedicationis: *secundo*: virtutem mundandi proxime et immediate solum fidei per verbum excitatae convenire; quae est ipsa Protestantium opinatio. — Verumtamen longe alia est mens Augustini; atque hac eiusdem expositione non solum opinatio Protestantium non confirmatur, sed potius diserte excluditur.

a) *Opinatio Protestantium non confirmatur.* Scopus enim 27.
doctrinae S. Doctoris in eo est, ut ostendat, aquam baptismi vim mundandi accipere a verbo (i. e. a. forma) non ratione soni materialis, sed ratione significationis, vel ut est formaliter verbum fidei. Quare *primo* generatim dicit, vim mundandi verbo fidei convenire non solum extra sacramentum, quatenus fidem reliquamque dispositionem necessariam excitat, sed etiam in sacramento, quatenus ad rem accedens simul cum ea sacramentum mundans constituit. Ita usque ad verba: „*tamquam visibile verbum*". *Secundo* dicit in ipso verbo discernendum esse sonum materialem, transeuntem: „*quia dicitur*", et significationem formalem vel obiectivam, cui fides

subiectiva respondet: „*quia creditur*". Verbo enim sive extra sacramentum, ubi ei fides respondet, sive in sacramento, ubi ad rem accedens, simul cum hac sacramentum constituit, efficacia non competit ratione soni materialis vel quia est vocabulum materiale, sed ratione significationis formalis vel obiectivae vel quia est verbum Dei sive fidei. Ita usque ad verba: *Conscientiae interrogatio.* — Atque his positis iam satis patet, nullum in expositione Augustini pro Protestantium opinione praesidium positum esse; nusquam enim in propositionibus hucusque consideratis, quibus illi confidunt, neque verbulo dicit, verba sacramentalia esse solum concionalia vel ad solam fidem excitandam spectare. Peior autem iis quae sequuntur res Protestantium redditur.

28. b) *Opinatio eorundem directe excluditur.* Etenim *primo* S. Augustinus tamquam verbum fidei in baptismo mundans manifesto intelligit ipsam formam sacramenti seu invocationem SS. Trinitatis; haec enim compendium quoddam totius fidei christianae est secundum eundem Augustinum (cf. de baptismo c. 3. n. 20.). Porro haec forma Augustino manifesto consecratoria est; etenim eadem tum baptismum i. e. aquam vel ablutionem consecrat eique vim sanctificatricem communicat tum simul cum hac sacramenti materia hominem consecrat et sanctificat. Ita usque ad verba: „*nisi adderetur in verbo*". *Secundo* virtutem sanctificatricem verbi sacramentalis extollit ostendens ipsos infantes eodem mundari et sanctificari; cum autem in infantibus nulla fides excitari possit, evidenter sacramento virtutem sanctificatricem immediatam attribuit. Neque obstat, quod S. Doctor dicit, verbum fidei per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem mundare infantem; his enim verbis Augustinus non significat, fidei ministri tamquam causae sanctificationem infantis tribuendam esse; sed declarat solum baptizationem infantis a fide offerentium et baptizantium pendere, qui, nisi crederent, regulariter ministerium suum non exhiberent. Quod patet tum speciatim ex iis quae Augustinus scribit in ep. 98. ad Bonifac. n. 2. 5., tum ex omnibus eius cum Donatistis de baptismo haereticorum disputationibus.

Denique tota haec expositionis Augustini declaratio cum Cardinali *Franzelin* quibusdam distinctionibus resumi potest. Scilicet: „Si obiicitur: iuxta Augustinum verbum in sacramento est verbum *praedicationis*, et illud dicitur efficax non in se *quatenus dicitur*, sed solum ratione fidei, *quatenus creditur*, respondendum est *ad primum*: considerat Augustinus verbum evangelicum, quod praedicatur, tum generatim ut *verbum Dei*, tum speciatim, quatenus compendium verbi fidei constituit *formam baptismi*, *c.*: considerat verbum praedicationis *in ipso baptismo*, *sbd.*; considerat verbum fidei ut *formam consecrantem* et una cum elemento constituentem sacramentum, quod mundat a peccato, *c.*; considerat verbum in baptismo ut propositionem doctrinae, *n.* — Respondeo ad secundum: *Verbum dicitur efficax non in se sed ratione fidei*, *d.*: dicitur efficax non ratione *soni materialis*, sed ratione *rei significatae* et quatenus est *verbum fidei obiectivae*, *c.*; dicitur efficax non ipsum verbum consecrans et cum elemento constituens sacramentum, sed efficacia tribuitur *fidei subiectivae*, *n.*“ (Thes. 9. in fine). **29.**

Articulus tertius.

Qua ratione sacramenta tamquam causae instrumentales gratiam attingant.

Thesis 8. Sacramenta non sunt causae instrumentales physicae gratiae seu non causant eam efficienter perfective, i. e. actione sua physica attingendo immediate ipsam gratiae substantiam.

Declaratio.

1. Argumentum huius articuli. — Sacramentorum causalitate ex fontibus revelationis positive stabilita, iam scholastica quaestio discutienda est, qua ratione sacramenta, signa haec corporalia, gratiam sanctificantem, rem prorsus spiritualem et supernaturalem, operatione sua attingant. Atque haec quaestio merito inter difficillimas totius **1.**

theologiae computatur. Apposite *Catechismus Tridentinus*: „Quo pacto tanta res et tam mirabilis per sacramentum efficiatur, ut, quemadmodum S. Augustini sententia celebratum est, aqua corpus tangat et cor abluat, id quidem humana ratione atque intelligentia comprehendi non potest. Constitutum enim esse debet, nullam rem sensibilem suapte natura ea vi praeditam esse, ut penetrare ad animam queat. At fidei lumine cognoscimus, omnipotentis Dei virtutem in sacramentis inesse, qua id efficiant, quod sua vi res ipsae naturales praestare non possunt" (P. 2. c. 1. n. 18.). Hinc in solvenda hac quaestione magnus dissensus theologorum invenitur. De quo dissensu *Melchior Canus*: „Id tantum abest, ut explicent, ut etiam opinionum varietate confundant. Res quippe nulla est, de qua tantopere non solum indocti, sed etiam docti dissentiant . . . Quorum opiniones, cum tam variae sint tamque inter se dissidentes, alterum profecto fieri potest, ut earum nulla, alterum certe non potest, ut plus una vera sit. Quod si pace vestra mihi dicere liceat (licebit autem quod modestissimum est) aut fallor ego, aut nulla earum opinionum vera est" (Relect. de sacram. p. 4.). Num autem verior ea opinio sit, quam ipse Canus proposuit, iure quaeritur et merito dubitatur. Porro etiam nunc haec controversia sopita non est. Recentiore aetate plures theologi non solum incidenter in libris dogmaticis scholaribus, sed etiam in specialibus tractatibus fuse hanc quaestionem tractaverunt. Ex his nominari merentur: *Bucceroni*, commentarius de sacramentorum causalitate; *Schätzler*, die Lehre von der Wirksamkeit der Sakramente ex opere operato; *Reinhold*, die Streitfrage über die physische oder moralische Wirksamkeit der Sakramente; *Arendt*, de sacramentalibus disquisitio scholastico-dogmatica. Ex illis refero Cardinalem *Franzelin* et *Billot*, qui uterque valde accurate hac de re egerunt. Hi quoque theologi in solvenda quaestione dissentiunt. Neque tamen res ita desperata esse videtur, ut, quid probabilius sit, nulla ratione definiri possit. Reipsa quidem, quod summam rei spectat, optime processisse videtur Billot, hac in re antiquorum theologorum, imprimis S. Thomae vestigia arcte pre-

mens. Iam in praesenti articulo quaestio proposita ita tractatur, ut prius exponantur et refutentur sententiae minus probabiles, deinde quae probabilior videatur, positive statuatur.

2. De causis atque varia earum ratione causandi. — Ab initio clara notio diversarum causarum et diversae causalitatis efformanda est. 2.

1) Causa in genere communiter definitur principium influens esse in aliud. — Principia autem, quae influunt esse in aliud, possunt esse vel interna constitutiva, quibus res aliqua constat, vel externa, a quibus dependet; quare causae dividuntur in internas et externas. *Causa interna* est vel subiectum, ex quo insito res efficitur, et habetur *causa materialis*; vel est id, quo res actuatur et in certa specie sive substantialis sive accidentalis perfectionis constituitur, et habetur *causa formalis*. Ad causam materialem *dispositiones* reducuntur, quibus subiectum ad formae susceptionem aptum fit. *Principia externa* influunt vel agendo et habetur causa *efficiens*, vel influunt per modum obiecti ut cognita et tunc iterum distinguendum est; nimirum aut influunt ut norma, cui agens intellectuale effectum conformat et habetur *causa exemplaris* vel influunt tamquam bonum movens voluntatem, ut sui gratia aliquid faciat; atque habetur *causa finalis.*

2. Causa efficiens varie dividitur et primo quidem pro eo, quod actione sua attingit effectum, qui in ordine physico sistat vel ad ordinem intentionalem vel moralem se extendat, dividitur in causam efficientem physicam, intentionalem, moralem. — Nimirum causa efficiens agendo aliquod esse communicat; potest autem aliqua causa efficiens, ut homo, communicare non tantum aliquam formam physicam, sed communicare etiam potest formam intentionalem, qua quis actu intelligit et formam volitionis, qua quis actu vult. Potest causa efficiens, ut homo, alteri communicare formam intentionalem, qua actu intelligit; etenim, quia „sentire, ut *S. Thomas* dicit, perficitur per actionem sensibilis in sensum“ (S. th. 1. p. q. 27. a. 5., possum in alio sensationem excitare efficienter producendo vel proponendo sensibile, quod 3.

actione sua agat in sensum alterius et eum ad sensationem determinet. Quia autem inter sensum et intellectum naturalis est connexio et dependentia, ad sensationem naturali necessitate consequitur intellectio, qua quis formaliter intelligit. Quare, cum homo possit communicare sensationem, communicare etiam potest intellectionem atque sic causa existit in ordine intentionali. Hac ratione homines multipliciter sibi invicem causae intentionales sunt, per verba scilicet vel alia signa sensibilia in sensus agentia sibi invicem communicando multiplices intellectiones. — Potest dein homo communicare etiam formam volitionis. Etenim communicando formam intentionalem voluntati alterius proponere possum obiectum tali bonitate resplendens atque proinde tali vi motiva donatum, ut salva libertate efficaciter in actum volitionis prodeat, quem secus non posuisset. Qua ratione imperans, consulens est causa moralis; atque sane, quod notandum est, causa est non solum actus voluntatis modo explicato excitati, sed etiam effectus externi, quem voluntas sic excitata ponit; sicut simili ratione causa intentionalis quoque potest esse causa operis externi, quatenus causae physicae formam intentionalem indidit, qua in operatione transeunte dirigitur. — *Apprime autem notandum est*, causam moralem modo descriptam nullatenus confundi posse cum causa finali. Etenim bonum propositum voluntatem quidem movet ad modum causae finalis, sed propositio boni fit non causalitate finali, sed causalitate efficiente i. e. vera actione. Bonum ergo propositum est causa finalis, is autem, qui proponit bonum vel applicat causam finalem, est causa efficiens. Quare ipse *S. Thomas* quoque causam consiliantem ponit inter causas efficientes: „Quadruplex est causa efficiens, scilicet perficiens, praeparans, adiuvans et consilians . . . consilians in his, quae agunt a proposito, est quod dat agenti formam, per quam agit. Nam agens a proposito agit per suam scientiam, quam consilians sibi tradit . . .“ (Phys. l. 2. l. 5.).

4. *3) Alia divisio causae efficientis est in causam perficientem et in causam disponentem.* — „*Perficiens* est, quod dat complementum motui vel mutationi, sicut quod introducit

formam substantialem in generatione. *Praeparans* autem seu *disponens* est, quod aptat materiam seu subiectum ad ultimum complementum" (ib.). Et alibi: „Sciendum est, quod causa efficiens dupliciter potest dividi. Uno modo ex parte effectus, scilicet *in disponentem*, quae causat dispositionem ad formam ultimam, *et perficientem*, quae inducit ultimam perfectionem" (in 4. d. 4. q. 1. a. 4. q. 1.). Cum igitur causa perficiens attingat immediate ultimam rei perfectionem, causa disponens eam solummodo mediate attingit, quia in subiecto inducit necessitatem ad susceptionem formae. Hac ratione homo generans est causa filii; actio enim generationis ipsam animam non attingit, quippe quae a Deo solo creatur, sed in materiam talem dispositionem inducit, quae infusionem animae omnino exigat. *Notandum autem est*, dispositionem debere esse talem quae non sit tantum capacitas, sed exigentia formae, quia sic solum, qui inducit dispositionem, causa efficiens non solum dispositionis, verum ipsius rei perfectae esse intelligitur.

Huc referri posse videtur atque a *S. Thoma* reipsa refertur causa meritoria, quippe quae se ipsam dignam praemio reddit, vel aliquid faciendo titulum in se ponit, qui retributionem vel mercedem exigat (cf. de verit. q. 29. a. 6.).

5. *4) Sequitur divisio in causam principalem et instrumentalem; atque hic imprimis notio causae instrumentalis accurate explicanda est.* — Nemo autem melius de hac re disserit quam *S. Thomas*: „Duplex est causa agens, principalis et instrumentalis. *Principalis* quidem operatur per virtutem suae formae, cui assimilatur effectus, sicut ignis suo calore calefacit . . . *Causa vero instrumentalis* non agit per virtutem suae formae, sed solum per motum, quo movetur a principali agente. Unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti, sicut lectus non assimilatur securi, sed arti, quae est in mente artificis . . . Hoc proprie dicitur instrumentum, per quod aliquis operatur" (S. th. 3. p. q. 62. a. 1. c.). Et paulo inferius addit: „Instrumentum habet duas actiones, unam instrumentalem, secundum quam operatur non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis; aliam autem habet actionem propriam, quae competit ei secundum propriam

formam, sicut securi competit scindere ratione suae acuitatis, facere autem lectum in quantum est instrumentum artis: non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam, scindendo enim facit lectum". Instrumentum igitur illa causa est, quae agendo actionem sibi propriam secundum insitam virtutem, ad effectum superiorem pertingit, in quantum est mota a causa principali. Quare instrumentum duplicem operationem habet, unam connaturalem, sicut securis est secare, aliam instrumentalem, sicut securis est facere formam lecti. Et sicut duplex est operatio instrumenti, duplex etiam eius virtus est, qua operatur: una propria ipsi atque completa atque permanens in eo, sicut acies in securi, altera virtus instrumentalis, transiens, a causa principali indita, quae non est nisi motus, quo movetur a principali agente et quo attingit ad effectum principalem, qualis v. g. est secatio ordinata vel artificiosa. „Instrumentum autem agit ut motum ab alio et ideo competit sibi virtus proportionata motui: motus autem non est ens completum, sed est via in ens, quasi medium quod inter potentiam puram et actum purum . . . Et ideo virtus instrumenti in quantum huiusmodi, secundum quod agit ad effectum ultra quod competit sibi secundum suam naturam, non est ens completum habens esse fixum in natura sed quoddam ens incompletum" (in 4. d. 1. q. 1. a. 4. q. 2.). Hic autem motus instrumentalis, quo instrumentum a causa intelligente movetur ad operandum ultra virtutem sibi propriam (ad opus v. g. artis) apprime sane distinguendus est a motu locali, quo movetur ad operandum secundum virtutem sibi propriam a causa naturali.

6. *Tria autem praeter dicta notanda sunt cum S. Thoma*, ut perfecta atque clara instrumenti notio habeatur. *Primum* est, quod *S. Thomas* his verbis exponit: „Causa secunda instrumentalis non participat actionem causae superioris, nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis agentis. Si igitur nihil ibi ageret secundum illud, quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum" (S. th. 1. p. q. 45. a. 5.). *Secundum* idem S.

Doctor ita notat: instrumentum „non perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam: scindendo enim facit lectum“ (p. 3. q. 62. a. 1. ad 2.). Et quidem per se coniuncta est utraque actio; non per accidens solum: ubi enim duplex actio per accidens solum est coniuncta, ut v. g. ambulatio et cantatio in eo, qui ambulat cantando et ambulando cantat, de instrumentali actione sermo esse manifesto non potest. Denique *tertio* animadvertendum est cum S. Thoma, quod „actio alicuius, etiamsi sit eius ut instrumenti, oportet, ut ab eius potentia egrediatur“. Iamvero actio instrumentalis non egrederetur ex potentia instrumenti, si ad actionem propriam eiusdem plus adderet, quam meram quandam modificationem vel merum ordinem. Virtus igitur instrumentalis certa tantum est modificatio et elevatio naturalis instrumenti operationis; atque elevatio quidem est, cuius propria instrumenti operatio est naturaliter capax, qualis v. g. est ordo a ratione directrice impressus, si sermo est de instrumento materiali. Ita extensio attramenti, quae est naturalis calami operatio, per virtutem instrumentalem ad ordinatam litterarum compositionem elevatur: atque extensio colorum, naturalis penicilli operatio, per virtutem instrumentalem, artificiosa imaginis effectio evadit.

5) Non autem solum causa physica perficiens, ad quam 7.
exempla adducta pertinent, in principalem et instrumentalem dividitur, sed *etiam causa disponens instrumentalis habetur*: „Actio instrumenti quandoque pertingit ad ultimam perfectionem, quam principale agens inducit, aliquando autem non: semper tamen pertingit ad aliquid ultra id, quod sibi competit secundum suam naturam, sive illud sit ultima forma, sive dispositio, sicut qualitates activae et passivae elementorum pertingunt instrumentaliter ad formas materiales educendas de materia, non autem ad productionem animae humanae, quae est ab extrinseco“ (in 4. d. 1. q. 1. a. 4. q. 1.).

6) Iam quaeritur, *utrum etiam in ordine intentionali* 8.
et consequenter in ordine morali causa instrumentalis inveniatur, causa, inquam, cuius virtus instrumentalis proxime et immediate attingat ens intentionale i. e. formam, qua intel-

lectus in actu constituitur. Respondendum est affirmative atque tale instrumentum intentionale est signum sensibile, conventionale. *Signum in genere definitur tamquam illud, quod praeter speciem, quam ingerit sensibus aliquid aliud facit in cognitionem venire.* Duplex autem signum accurate distinguendum est: signum naturale et signum conventionale. Signum naturale est, quod ex naturae instituto obiectum repraesentat; vel melius, quod talem speciem sensibus imprimit, cum qua ex natura rei certa idea intellectus connectitur, ut sunt suspiria et gemitus, quae naturaliter ideam doloris excitant eiusque proinde naturalia signa sunt. Signum conventionale est, quod ex libera hominum conventione obiectum repraesentat, vel quod talem speciem sensibus ingerit, cum qua non ex natura rei, sed ex hominum institutione certa intellectus idea coniuncta est; ad quae signa manifesto revocantur vocabula. Iamvero talia signa conventionalia certe instrumentis accensenda sunt; etenim ex propria et naturaliter insita virtute tantum speciem sensibus ingerunt: quod autem at certam et determinatam ideam intellectualem determinant, vel quod intellectui certum et determinatum hoc obiectum manifestant, solummodo eatenus habent, quatenus conventioni et institutioni humanae subsunt, per quam intellectus iis utitur ad certam speciem intellectualem excitandam vel ad certam cognitionem communicandam. Signa igitur talia praeter virtutem sibi naturaliter insitam aliam habent superadditam, quae vocari potest atque reipsa a *S. Thoma* vocatur vis spiritualis: „sicut et in ipsa voce sensibili est quaedam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit a conce tione mentis" (S. th. 3. p. q. 62. a. 4. ad 1.). Quae quidem vis nihil aliud esse intelligitur, nisi institutio ad significandum ab intellectu imposita. *Ex dictis tria de signo manifesto patent*: *Primo* est causa efficiens, agit enim in sensus; *secundo* est causa intentionalis, intellectum enim ad cognitionem certi obiecti determinat vel aliquid significat; denique *tertio* est causa instrumentalis, quia non virtute propria significat, sed virtute communicata a principali [illegible] intellectuali. Et haec quidem valent iam de signo

mere speculativo, cuius scilicet causalitas ultra ordinem intentionalem ad ordinem moralem et inde ad ordinem externum physicum se non extendit.

Verum *praeter signa mere speculativa signa etiam* prac- **9.**
tica habentur, quorum scilicet causalitas ad ordinem moralem et inde ad ordinem externum physicum extenditur.

a) Tale signum practicum est *primo* omne illud, quod significando causae intelligenti proponit aliquam rationem, qua efficaciter ad agendum determinatur, sive illa ratio est tantum bonum aliquod consequendum vel malum fugiendum sive necessitas aliqua ordinis moralis, ut est imperium vel lex, quae hominem ad agendum adstringit. Signum igitur tale practicum ad signum speculativum addit motivum agendi sive necessitatem manifestatam, et proinde tribus absolvitur: primo re vel actione sensibili, quae in sensus agit, secundo significatione, tertio motivo agendi vel necessitate manifestata. Tale signum practicum est concio vel etiam imago, quae repraesentando vel significando ad agendum instigat. Attamen signa practica signis modo descriptis non absolvuntur; verum etiam alterum genus est ab his differens.

b) Etenim *secundo* signis homo utitur non tantum ad **10.**
motiva agendi, ad obligationes, ad imperia aliorum cuidam manifestanda, sed iisdem etiam utitur ad proprias ordinationes atque imperia, ad iura, dignitates, titulos, munera, aliaque similia entia moralia vel relationes morales deferendas vel certum subiectum iisdem investiendum. Hac ratione verbis sive oralibus sive scriptis tamquam instrumentis officia tum civilia tum ecclesiastica, dignitates et tituli et iura utriusque ordinis civilis et ecclesiastici deferuntur et certis personis communicantur. Hac eadem ratione in contractibus iura dominii transferuntur atque in iudiciis ius declaratur, secundum quod accusatus vel insons dimittitur vel reus punitur. Atque haec adeo communi hominum sensui atque acceptioni respondent, ut in pluribus casibus scriptum, quo aliquod ius vel aliqua iurisdictio defertur, simpliciter instrumentum dicatur. — Dixi signa esse instrumenta, quibus ordinationes, imperia, iura ad certum, subiectum deferuntur atque iisdem hoc

subiectum investitur; nimirum etsi ponatur solum actum voluntatis esse causam efficientem iuris vel ordinationis passivae in alio, quod nunc non vacat inquirere, certum tamen est, signo externo deferri ius vel ordinationem ad certum subiectum atque eidem imponi. Ceterum non intelligitur, cur in efficientia ea iuris, quae quidem hominibus vel generatim creaturis convenit, signum externum libere positum non possit intervenire tamquam instrumentum vere efficiens (cf. *Th. Meyer*, ius naturale, tom. 1. n. 504.). — Porro etiam horum signorum, sicuti aliorum instrumentorum, duplex operatio distinguenda est: propria et naturalis, quae nihil aliud est, quam agere in sensus, et instrumentalis, quam habent, secundum quod subsunt atque deserviunt causae intelligenti ordinanti vel imperanti, atque sub hoc respectu non solum significant eius imperium vel ordinationem, sed etiam eam extrinsecus imponunt atque certum subiectum, cui applicantur, iisdem investiunt: Quare etiam haec signa tribus absolvuntur: primo actione sensibili, secundo significatione, tertio delatione imperii vel cuiusvis ordinationis causae intelligentis. — Denique sicuti signa practica primi generis causalitate sua non sistunt in ordine intentionali vel morali, ita etiam dicendum est de signis practicis secundi generis, de quibus nunc est sermo; scilicet causalitate sua ipsum ordinem externum physicum attingunt. Hoc autem duplici modo fieri potest. Aut enim ens intentionale vel morale, ad quod terminatur proxime signi causalitas, involvit tamquam sui complementum vel externam expressionem aliquid physicum, ut v. g. deputatio ad statum clericalem secum fert habitum clericalem vel tonsuram et tunc causa deputans ad statum clericalem est etiam causa externi habitus vel externae notae, qua deputatus insignitur: aut vero illud ens intentionale vel morale se habet ut dispositio, quae formam physicam exigat: atque hac ratione v. g. deputatio ad munus sacerdotis in religione christiana exigit gratiam sanctificantem, quia sine illa munus illud, ut decet et opus est, nequaquam exerceri potest; atque tunc signum effectum istum physicum causalitate sua attingit instrumentaliter dispositive.

Verum *tertium* adhuc genus signorum practicorum no- 11.
tari posse videtur. Videlicet etsi non creatura aliqua, Deus tamen certe instituere potest et adhibere signa, quae significant positionem alicuius effectus, et quia significant, exigentiam etiam ponunt, ut talis effectus producatur, sive effectus est physicus sive intentionalis vel moralis. Exemplum huius rei esset, si Deus signo sensibili, ut v. g. verbis significaret: ‚Petrus heri mortuus nunc resurgit' vel ‚Haec aqua nunc convertitur in vinum.' Talia enim Dei verba, sive immediate a Deo dicta, sive nomine eius a legato pronuntiata, non tantum resurrectionem Petri vel conversionem aquae in vinum significant, sed significando hos effectus exigentiam etiam ponunt, ut iidem effectus reipsa producantur; etenim cum signo ex natura rei conveniat veritas et veracitas, signa divina vel verba divina necessitate infinita debent esse vera et veracia, immo ipsa veritate et veracitate divina informata sunt; iamvero cum eiusmodi sint verba vel signa divina, infinitam sane exigentiam ponunt vel infinita vi voluntatem divinam quasi obligant vel provocant ad effectum significatum ponendum; atque proinde verae ipsius effectus significati causae esse intelliguntur. Et certe tale signum divinum non est tantum conditio, quia conditione sola posita nondum intelligitur positus effectus, dicto autem signo posito effectus etiam positus omnino intelligitur; neque tale signum est tantum speculativum, quia non solum significat, sed significando exigentiam ipsius effectus ponit et proinde causaliter in ipsum effectum influit. — Denique animadvertatur hac de tertio genere signorum doctrina, alteram de signorum secundo genere doctrinam apte compleri et fulciri; etenim etsi forte quis contendere velit, verba humana non esse delativa vel collativa iuris, sed solum manifestativa iuris conferendi vel collati, attamen verba divina etiam tunc manerent collativa iuris vel verae causae iuris tamquam signa tertii generis.

Atque his doctrina de causis atque de signorum impri- 12.
mis causalitate, quantum hic requiritur, absoluta est: et iam facilius de singulis sententiis ad sacramentorum causalitatem explicandam inventis iudicium aequum atque verum feretur.

13. ***2. De sententia eorum, qui statuerunt, sacramenta causare gratiam instrumentaliter, physice et perfective.*** — Hanc sententiam multi et graves theologi propugnarunt, inter quos primus fuisse videtur *Caietanus* (in 3. p. q. 62. a. 1. et 4.), quem secuti sunt Thomistae fere omnes. Praeterea huic opinioni suffragati sunt *Bellarminus* (l. 2. c. 11.), *Suarez* (disp. 9. s. 2. n. 14.). *Gregorius de Valentia* (t. 4. disp. 3. q. 3. p. 1.), *Ripalda* (de ente supernaturali l. 2. disp. 40. s. 3. n. 13.), *Ysambertus* (de sacram q. 62. d. 4. a. 3.). *Viva* (cursus theol. t. 2. p. 7. d. 2. q. 3.). Ex recentioribus eandem sententiam tenent *Schätzler* (Die Wirksamkeit der Sakramente p. 222.) atque *Oswald* (Die Sakramente 1. Bd. 1. Th. § 4.); necnon *Bucceroni* eidem magis favet (de causalit. sacram. § 11.). Atque omnes quidem hi auctores in eo consentiunt, sacramenta actione sua physica immediate gratiam attingere, dissentiunt tamen in explicando modo, quo attingant. Et quidem duplex praesertim huius rei apud auctores nominatos exstat explicatio. Una est *Caietani* et Thomistarum et secundum hanc virtus quaedam physica spiritualis atque supernaturalis sacramenta informat atque hac virtute induta sacramenta gratiam producere dicuntur. Altera est *Suarii* aliorumque affirmantium, sacramenta eo solo efficienter physice attingere gratiam, quod Deus extrinsecus ipsis assistat atque concursum specialem et indebitum praestet; hac enim ratione in genere apte explicari, quomodo creatura aliqua naturali quidem sua virtute, non tamen exigentia nec modo naturali effectum supernaturalem attingere possit.

14. ***3. Ratio demonstrationis.*** — Obvia tantum consideratione apparet, utramque istam causalitatis physicae explicationem esse difficillimam, quia utraque principium ponit atque in eo innititur, quod obscurum saltem, dubium, difficile videtur, immo pluribus theologis (cf. *Scotus* in 4. d. 1. q. 5.; *Vasquez* disp. 132. c. 3. s. 4. n. 40. 41.) intrinsecus repugnare visum est. Obscurum sane est et difficulter intelligitur, quod ponit Caietanus, virtutem scilicet physicam spiritualem inhaerere tamquam accidens in re corporea; neque

commode concipitur, quod asserit Suarez, nimirum rem corpoream per elevationem extrinsecam actione sua physica immediate attingere effectum diversi prorsus et superioris ordinis, rem scilicet spiritualem et supernaturalem. Verum his generalibus magis dubiis insistere non est opus: argumentis enim ex ipsa sacramentorum natura et indole desumptis sententia, quae sacramentis physicam atque immediatam gratiae efficientiam asserit, satis expugnatur atque improbabilis esse ostenditur.

Demonstratio.

15. ***1. Probatur ex necessitate coexistentiae causae cum effectu.*** — Sacramenta, quando gratia producitur, physice iam non existunt: etenim gratia, cum sit ens simplex et spirituale, in instanti producitur; quare ridicule et absurde conciperetur, ad singulas partes formae, v. g. ad singulas litteras, et ad singulas partes materiae, v. g. ablutionis, partes etiam singulas gratiae produci. Non potest autem gratia nisi eo instanti produci, quo primum tota sacramentorum significatio est completa: verum completa non est, nisi quando ultima dictio est completa; atqui hoc instanti totum signum sacramentale, utpote quod est ens successivum, iam praeteriit atque amplius non est: ergo, quando producitur gratia sacramentalis, sacramenta iam non existunt; atqui nihil tunc physice agere potest, quando non existit physice, quia agere sane supponit esse: ergo sacramenta gratiam physice non producunt. — Aliqui causalitatis physicae defensores hoc argumento pressi efficientiam gratiae omnem ultimae syllabae vel ultimae syllabae ultimae litterae adscribunt. Atqui hoc plane arbitrarium est, quia sine ulla ratione et veritatis specie ceteris partibus influxus causalis denegatur: atque merito talis explicatio tamquam vana et absona subtilitas apparet. Ad rem *Vasquez*: „Adde physicam efficaciam et concursum, ut a recentioribus explicatur, videri toti dignitati sacramentorum non parum derogare. Etenim ridiculum profecto apparet, totam sacramentorum vim et effi

cientiam ad extremum quoddam soni aut motus indivisibile revocare, quod physico concursu gratiam producat. Et sane Christum redemptorem nostrum in sacramentorum institutione harum subtilitatum aliquam curam habuisse, plane videtur commentitium. Quocirca cavendum est, ne, dum hoc modo virtutem sacramentorum explicamus, haereticis praebeamus occasionem irridendi mysteria nostrae fidei atque iactandi, ad huiusmodi angustias nos redactos esse pro defendenda eorum efficacitate, quam ipsi impugnant, cum tamen possit multo faciliori et solidiori modo explicari et defendi" (in 3. p. q. 62. disp. 132. c. 6. n. 111.).

16. ***2. Ex sacramentorum reviviscentia.*** — Eadem fere ratio ex reviviscentia quoque sacramentorum urgeri atque confirmari potest. Etenim sacramenta quaedam, ut baptismus, confirmatio, ordo, matrimonium, extrema unctio, si ficte vel cum obice suscepta sint, postea obice ablato reviviscunt vel gratiam efficiunt. Atqui in hoc casu adversariis ipsis plerisque fatentibus sacramenta gratiam non physice, sed intentionaliter vel moraliter causant, quia scilicet secundum esse suum physicum iam diu etiam praeterierunt. Ergo numquam eam physice causant. Probatur consequentia, quia absonum apparet duos diversos adstruere causandi modos in uno eodemque sacramento, de quibus diversis modis nihil in Scriptura, nihil apud ss. Patres invenitur. — Neque excipi potest contra hoc argumentum in casu reviviscentiae gratiam produci physice mediate i. e. a sacramento produci physice immediate characterem, ab hoc autem physice immediate effici gratiam; hoc, inquam frustra obiicitur, quia neque per sacramentum matrimonii neque extremae unctionis character infunditur.

17. ***3. Ex necessario inter agens et passum contactu.*** Sacramenta gratiam ibi quoque producunt, ubi non sunt: atque in subiecto eam efficiunt, quod non contingunt, etenim valide non solum, sed cum effectu gratiae quoque matrimonium v. g. inter absentes et longe distantes contrahitur, atque valide et fructuose etiam absolutio alicui impertitur, qui neque eam percipiat, neque ab ea quacumque ra-

tione physice attingatur. Iamvero inter agens physicum et patiens contactus requiritur physicus seu realis; secus enim haberetur causa agens in distans. Cum igitur sacramenta, ut dictum et exemplis demonstratum est saepe ne ad corpus quidem, nedum ad animam suscipientis contactum habeant, sacramenta physice immediate gratiam non producunt.

18. ***4. Ex notione causae instrumentalis.*** — Ut supra (n. 5. ss.) explicatum est, instrumentum non perficit instrumentalem actionem vel non attingit effectum, ad quem a principali agente adhibetur, nisi exercendo actionem propriam; unde actio instrumentalis quoque ex potentia instrumenti egredi debet; quare denique operatio instrumentalis non potest esse nisi modificatio quaedam et elevatio operationis instrumenti naturalis, cuius haec est naturaliter capax; atqui naturalis operatio rerum sensibilium, inter quae continentur signa sacramentalia, atque immediata physica productio entis spiritualis et supernaturalis, quale est gratia sanctificans, operationes sunt essentialiter atque toto ordine diversae, nullatenus autem cum ulla veritatis specie dici potest, posteriorem istam effectionem tantum esse modificationem vel elevationem illius prioris, cuius haec sit naturaliter capax. Ergo, quemadmodum causa creata non potest esse instrumentum physice perficiens creationis, quia operationes creaturarum naturales ex una parte et creatio ex altera parte sunt operationes plane diversae, ita ex eadem ratione signa sacramentalia nullatenus possunt esse instrumenta physice perficientia gratiae sanctificantis.

Scholion.

19. ***Difficultates solvuntur.*** — Defensores causalitatis physicae longam argumentorum seriem struunt ad suam sententiam comprobandam, quorum plura nullius momenti sunt, alia autem considerationem aliquam merentur.

1) Sacrae litterae, inquiunt, nos dicunt mundari, renasci, regenerari ex aqua, per lavacrum regenerationis, lavacro aquae in verbo vitae. Iamvero tales locutiones aliae-

que similes, si proprio sensu sumantur, causam physicam denotant atque improprie tantum iisdem causa intentionalis vel moralis significari potest; etenim locutiones tales significant veram et propriam causam, causa vero physica sola vere et proprie causa est. Atqui ex Augustini doctrina, quam communiter theologi receperunt, a proprietate verborum Scripturae recedere non licet, nisi gravis necessitas cogat; talis autem necessitas in praesenti quaestione non habetur. — *R. Primo* locutionibus illis in genere vera quidem exprimitur causalitas sacramentorum, qualis autem sit ratione modi, non declaratur: atqui praeter causam physicam causa quoque intentionalis et moralis vel signa verae causae sunt et verum influxum causalem exercent, ut supra (n. 7. ss.) explicatum est: atque communiter quoque ab hominibus inter veras causas recensentur. *Secundo* s. scriptura speciatim longe abest, ut talibus locutionibus tantum exprimat causalitatem physicam: etenim frequenter v. g. docet. per Christi mortem et sanguinem nos Deo reconciliari, redemptionem habere, Christi sanguine nos redimi et ita porro. quae omnia ex adversariorum quoque sententia de causalitate physica non intelliguntur. *Tertio* illae scripturae locutiones referendae sunt ad sacramenta etiam tunc, cum reviviscendo gratiam causant; atqui in hoc casu fatentibus adversariis eam non inducunt physice; ergo . . . *Quarto* cum dictae locutiones aeque de diversis causis adhibeantur, ex subiecta materia pendet, de quanam causa sint accipiendae; „porro in praesenti materia facile intelligitur, sermonem non esse de causa physica et stricte accepta; nam quoties agitur de causando effectu aliquo ordinis superioris, et ab alio obtinendo, non alligatur sermo ad causam stricte acceptam et physicam; sic enim dicimus communiter sanctos operari miracula, quod tamen non intelligitur de causalitate physica sed morali, quia agitur de effectu superante eorum vires et ab alio agente superioris virtutis obtinendo. Cum ergo gratia sit effectus supernaturalis, sensus proprius in eiusmodi locutionibus est de causalitate morali et non de physica. Quamvis autem causa moralis non sit causa eo rigore, quo causa physica, non est tamen dicenda im-

proprie, aut metaphorice causa, sed proprie in latiore significatione, qua omnes utuntur, quando aliquem dicunt esse causam alicuius effectus; prout omnes dicunt, peccata esse causam condemnationis et punitionis et alia eiusmodi" (Card. de Lugo d. 4. s. 5. n. 61.). Denique *quinto* dato enim non concesso quod locutiones illae sensu proprio tantum de causalitate physica accipi possent, sufficiens ratio haberetur a sensu proprio scripturae recedere, quemadmodum argumenta in demonstratione adducta probant.

2) *Varia ratione ex SS. Patribus argumentantur: Primo* 20.
SS. PP. non raro sacramentorum efficaciam mirantur atque omnipotentiam divinam celebrant in sacramentali operatione resplendentem, ut v. g. *Augustinus* (Tract. in Ioan. 80). Non autem foret locus admirationi, nisi virtus sacramentorum esset physica. *Secundo* docent sacramenta a Spiritu Sancto sanctificata vim sanctificandi combibere, a Spiritu Sancto foecundari atque idonea reddi ad regenerandum, aquam accedente verbo corpus tangere et cor abluere, sacramenta continere et conferre gratiam, virtutem Dei absconditam esse in aquis, aquas consecratas esse a Spiritu Sancto descendente in ipsas. Haec autem et similia intelligi non possunt nisi de causalitate physica. *Tertio* iidem SS. PP. comparationes instituentes sacramenta conferunt cum utero materno, cum aqua fervente, cum virtute supernaturali B. V. ad Christum generandum. Iam autem iterum talibus comparationibus aperte enuntiare videntur causalitatem physicam. *Quarto* Patres similiter loquuntur de Christi humanitate et de sacramentis relate ad operum supernaturalium effectionem. Atqui Christus per suam humanitatem tamquam per instrumentum physicum tum gratiam contulisse, tum miracula effecisse dicendus est. Ergo et sacramenta physice gratiam efficiunt. — *R. Ad primum*: Quamvis sacramentorum causalitas non sit physica, attamen res admiratione plena est, quod Deus merita Christi suamque omnipotentiam rebus sensibilibus adeo certa lege adnexerit, ut iisdem infallibiliter gratia conferatur; in hoc enim maxime elucet Dei potentia, quia rebus in se infirmis ad nobilissimos effectus utens ostendit, se nullius opera indigere

ad facienda quaelibet etiam maxime miranda. Pari ratione miramur Sanctos miracula patrantes atque Dei potentiam ex eorum operibus nitentem laudamus, quin tamen eos pro causis miraculorum physicis habeamus. — *Ad secundum*: Verissimae illae locutiones sunt, dummodo asseratur sacramentis vera causalitas, etsi non physica; praeterea SS. Patres sacramenta non raro considerant ut complexum ex signo sensibili et divina increata virtute in ipsis praesente; atque ita spectata sacramenta sane sunt causae physicae gratiae, non autem si signa sacramentalia in se considerantur. — *Ad tertium*: Aptissimae illae comparationes etiam tunc sunt, cum Patres nihil praeter veram sacramentorum efficientiam declarare volebant, quin de modo eiusdem solliciti essent; immo aptissime ab eo quoque adhibentur, qui non agnoscit nisi intentionalem vel moralem sacramentorum causalitatem. Vera enim causalitas facilius et clarius in causis physicis, quam in moralibus perspicitur, atque ideo, si comparationibus ea declaranda est, opportunius a causis physicis, quam a moralibus eae peti possunt. Deinde hoc quoque de argumento ex praedictis comparationibus desumpto notandum est, eodem iure, quo ex iis infertur, Patres physicam causalitatem sacramentis tribuisse, concludi ex iisdem posse, sacramenta materiales esse gratiae causas vel immo eadem habenda esse principales gratiae causas. — *Ad quartum:* Primo negatur SS. Patres eodem modo ac de actionibus Christi theandricis locutos esse de sacramentis. Praeterea tuto negari potest, humanitatem Christi physice gratiam contulisse vel miracula operatam esse. Denique etsi humanitas Christi physice illos effectus operata sit, inde non sequitur sacramenta physice gratiam producere; humanitas enim Christi ipsius personae Christi instrumentum coniunctum est i. e. propria eius natura, atque ideo Christus eos effectus personaliter operabatur; sacramenta vero sunt instrumenta Christi separata atque non proprie, sed moraliter tantum operationes vel potius operata seu effectus Christi sunt.

21. *3. Ex ratione theologica quoque argumentantur: Primo* formae sacramentorum debent esse verae: iamvero ad veri-

tatem formae sacramentorum, v. g. sacramenti poenitentiae: *ego te absolvo a peccatis tuis*, requiritur, ut sacerdos ea pronuntians vere absolvat atque vere ideo gratiam conferat. Sacerdos autem vere absolvere et gratiam conferre dici nequit, nisi eam verbo suo physice efficiat: secus enim solus Deus gratiam proprie producit ad verba sacerdotis vel quacumque ratione propter ea; atque tunc sacerdos non vere absolvit nec habet rationem iudicis, sed potius praeconis, cuius tota actio sistat et finiatur in morali applicatione divinae virtutis ad producendam gratiam in suscipiente. *Secundo* ad sacramentorum dignitatem et excellentiam pertinere videtur, ut physice gratiam causent: secus enim non alia gratiae efficientia eis convenit, quam quae aliis salutis mediis tribuitur, cum tamen adeo eorum vis sanctificatrix in fontibus revelationis extollatur. — *R. ad primum*: „Respondetur facile, requiri quidem, quod sacerdos suis verbis operetur gratiam et remissionem peccatorum; non tamen requiri, quod operetur eam physice; sufficit, si eam operetur moraliter; nam qui est causa moralis alicuius effectus cum veritate potest dicere: Ego cooperor hoc. Neque enim minus vere dicere potest sacerdos: *Ego te absolvo, et libero a reatu poenae*, quam: *ego te solvo a reatu culpae*, et tamen a reatu poenae non liberat physice producendo gratiam, sed solum ut causa moralis; sicut in sacramento ordinis vere posset etiam dicere episcopus ordinans: *do tibi potestatem offerendi sacrificium* . . . licet non producat physice sed solum moraliter illam potestatem, ut constat. Non ergo significatur productio aliqua physica per illa verba, sed id quod homines solent significare, quando dicunt: Ego tibi remitto debitum vel offensam, scilicet cessione iuris ex parte sua, quod totum est morale, et non importat aliquam causalitatem physicam“ (De Lugo d. 4. n. 64.). — *Ad secundum*: Nullatenus ad sacramentorum dignitatem et excellentiam requiritur, ut gratiam physice causent, siquidem neque passio Christi physica gratiae causa est. Habent quidem sacramenta specialem atque sibi propriam gratiae efficientiam; atvero haec non est physica, sed qualis sit, infra explicabitur.

22. *4) Denique ex concilio Tridentino ita obiiciunt*: Sess. 7 can. 6. sacramenta N. L gratiam continere atque non ponentibus obicem conferre dicuntur; atqui sacramenta, tantum si sunt instrumenta physice perficientia, gratiam continere dici possunt; ergo . . . *R. n.* minorem; sacramenta enim continere gratiam recte dicuntur, dummodo sint verae causae gratiae, neque refert sub hoc respectu, utrum sint causae physice perficientes, an vero ad aliud genus causarum pertineant. — Cf. *S. Thomas,* Summa theol. 3. p. q. 62 a. 3. in corp.

Thesis 9. **Neque eorum opinio, qui docuerunt, sacramentorum efficientiam eo sufficienter explicari, quod sint causae, sine quibus non confertur gratia, cum aliqua veritatis specie sustineri potest.**

Declaratio.

1. ***1. De quanam opinione hic agatur, et quorum ea fuerit theologorum, explicatur.*** — Sententia, quam in hac thesi reiicimus, iam saeculo 13. proposita esse videtur. Etenim *S. Thomas* pluries theologos commemorat, ex quorum mente sacramenta non sint nisi causae sine quibus non; atque eam sententiam accurate exponit imprimis in 4. d. 1. q. 1. a. 4.: „Omnes, inquit, coguntur ponere, sacramenta N. L. aliquo modo causas gratiae esse, propter auctoritates, quae hoc expresse dicunt. Sed diversi diversimode eas causas ponunt. Quidam enim dicunt, quod non sunt causae quasi aliquid facientes in anima, sed causae sine quibus non, quia increata virtus, quae sola effectus ad gratiam pertinentes in anima facit, sacramentis assistit per quandam Dei ordinationem et quasi-pactionem. Sic enim ordinavit et quasi pepigit Deus, ut, qui sacramenta accipiunt, simul ab eo gratiam recipiant, non quasi sacramenta aliquid faciant ad hoc. Et est simile de illo, qui accipit denarium plumbeum, facta tali ordinatione, ut, qui habuerit unum de illis denariis, habeat centum libras a rege, qui quidem denarius non dat illas centum libras, sed solus rex accipienti ipsum."

Huic opinioni favisse videtur *S. Bonaventura:* „Est et alio- 2.
rum magnorum magistrorum circa hoc opinio dicentium, quod in sacramentis non sit causalitas nec virtus aliqua nec effectiva nec dispositiva ad gratiam, quae sit qualitas vel proprietas aliqua absoluta, sed per quandam assistentiam. Sacramento enim dicunt assistere divinam virtutem, quae est causa gratiae, et fidem et devotionem suscipientis, quae disponunt ad gratiam. Et adducunt simile, cum ad verbum Elisei Naaman se lavante astitit virtus divina effectiva sanitatis et devotio et obedientia Naaman dispositiva. Nulla tamen causalitas fuit nec in verbo Elisei nec in aqua Iordanis . . . Si ergo Dominus ita instituisset, ut ad verbum Elisei non solum ipse Naaman, sed et ceteri accedentes curarentur, et hoc ex quadam pactione, ita quod semper existeret virtus divina, aqua illa diceretur curare et sanare lepram et esse causa curationis et habere virtutem curandi. Sic in sacramentis dicunt, quod ad prolationem verbi assistit virtus divina aquis et infundit gratiam et regenerat, dum homo subiicit se ei per fidei professionem et obedientiam. Dicunt ergo, quod sacramenta dicuntur habere virtutem et dicuntur causae et dicuntur efficere secundum communem modum loquendi propter assistentiam divinae virtutis . . . Et ponunt hoc exemplum. Rex statuit, ut, qui habent tale signum, habeant centum libras. Post istam institutionem signum illud non habet aliquam proprietatem absolutam, quam non haberet prius, ad aliquid tamen est ordinatum, ad quod non erat prius. Et quia habet efficacem ordinationem, dicitur habere virtutem, ut faciat habere aliquem centum libras, et tamen nihil plus habet de bonitate nunc, quam prius. Si ergo quaeras, quid sit illa virtus, dicunt, quod non est aliquid absolutum, sed ad aliquid. Sic etiam dicunt, quod sacramenta sunt talia signa a Deo instituta, ut, qui ea susceperit debito modo, habeat tantum de gratia ad hunc actum . . . Huic positioni pietas fidei non contradicit et ratio consentit" (in 4. d. 1. q. 4.).

Ad hanc sententiam explicatio *Scoti* quoque, etsi minus 3.
verbis, tamen reipsa redire videtur: „Est ergo modus iste, quod susceptio sacramenti est dispositio necessitans ad

effectum signatum per sacramentum, non quidem per aliquam formam intrinsecam, per quam necessario causaret terminum vel aliquam dispositionem praeviam, sed tantum per assistentiam Dei causantis illum effectum, non necessario absolute, sed necessitate respiciente potentiam ordinatam: disposuit enim universaliter et de hoc ecclesiam certificavit, quod suscipienti tale sacramentum ipse conferret effectum signatum. Nec obstat, quod susceptio sacramenti est aliquid circa corpus ipsius suscipientis, gratia autem causatur in anima; quia sufficit, quod dispositio et forma sint in eodem supposito et maxime, quando dispositio non est dispositio ex parte rei, sed in ordine ad agens voluntarie causans terminum" (In 4. d. 1. q. 5.).

4. *Durandus* quoque hanc sententiam proponit: „In sacramentis non est aliqua virtus causativa gratiae, characteris vel cuiuscumque dispositionis seu ornatus existentis in anima, sed sunt causa sine qua non confertur gratia, quia ex divina pactione vel ordinatione sic sit, quod recipiens sacramentum recipit gratiam, nisi ponat obicem. Et recipit gratiam non a sacramento, sed a Deo, qui solum pertingit ad characterem, gratiam vel quemcumque ornatum, si quis sit in anima: hoc autem declaratur per simile . . . Simile est de illo, qui recipit denarium plumbeum, facta tali ordinatione, ut, qui recipit unum de illis, recipiat eleemosynam regis, non quod denarius sit causa eleemosynae, sed solum rex. Denarius autem est signum et causa sine qua non. Sic est in proposito de sacramentis respectu gratiae, characteris vel cuiusque alterius effectus spiritualis" (in 4. d. 1. q. 4.).

5. Denique eidem sententiae manifesto subscribit *Petrus Alliaco*: „Dupliciter potest aliquid dici causa. Uno modo proprie, quando ad praesentiam esse unius, virtute eius et ex natura rei sequitur esse alterius, et sic ignis est causa caloris. Alio modo improprie, quando ad praesentiam esse unius sequitur esse alterius, non tamen virtute eius nec ex natura rei, sed ex sola voluntate alterius; et sic causa sine qua non dicitur causa. Ex quo sequitur primo, quod causa sine qua non, non debet absolute et simpliciter dici causa, quia pro-

prie non est causa. Secundo sequitur, quod in naturalibus non reperitur aliqua causa sine qua non, respectu alicuius effectus, sed in voluntariis bene reperitur . . . Sacramenta N. L. primo modo non sunt causae effectivae gratiae, sed bene secundo modo improprie . . . Unde quando Magister et Sancti dicunt, quod sacramenta N. L. efficiunt, quod figurant, non est intelligendus, quasi proprie efficiant gratiam, sed quod Deus efficit eam ad eorum praesentiam, et hoc sufficit Magistro et aliis ad ponendam differentiam inter nova et antiqua sacramenta" (in 4. d. 1. q. 1. c. 1.).

6. Iamvero haec sententia, prout est proposita et si nulla momenta ipsi addantur, sacramentorum causalitatem non explicare, sed negare videtur atque ideo merito iam obsoleta et ab omnibus derelicta est: verumtamen tum propter auctoritatem doctorum, qui eam tenuerunt, tum etiam ad complendam et perficiendam totam de causalitate sacramentorum doctrinam aliquibus argumentis refutanda est.

Demonstratio.

7. ***1. Argumentum primum.*** — *S. Thomas* l. c. ex commentario in libros sentent. sic argumentatur: „Sed hoc non videtur sufficere ad solvenda dicta sanctorum. Causa enim sine qua non, si nihil omnino faciat ad inducendum effectum vel disponendo vel meliorando, quantum ad rationem causandi, nihil habebit supra causas per accidens; sicut album est causa domus, si aedificator sit albus; et secundum hoc sacramenta essent causae per accidens sanctificationis. Illa enim ordinatio, quam dicunt, seu pactio nihil dat eis de ratione causae, sed solum de ratione signi, sicut etiam denarius plumbeus est solum signum indicans quis debeat accipere. Quod autem est per accidens, omittitur ab arte, nec ponitur in definitione; unde in definitione sacramenti non poneretur causalitas praedicata, nec sancti multum curassent de ea dicere." Nimirum causa per accidens est vel id, quod accidentarie cum causa vera coniunctum est, ut medico respectu

onis accidit, quod est musicus etiam, et aedificatori,

quod est albus; vel id etiam causa per accidens est, quod removet impedimentum prohibens operationem. Intelligitur autem, utramque hanc causam per accidens non esse veram causam neque vere influere in effectum. Ergo cum sacramenta in opinione praedicta se habeant plane ad modum causae per accidens, eorum causalitas non explicatur, sed potius negatur.

8. ***2. Argumentum secundum.*** — Paulo aliter idem fere argumentum sic urgeri potest: Sacramenta sunt causae efficientes instrumentales gratiae sanctificantis, atque ut tales aliquid agere debent ad hunc effectum producendum; atqui in opinione praedicata non dicuntur agere neque, quomodo agant, explicatur, immo negantur quidquam agere; ergo eadem opinio sacramentorum causalitatem non explicat, sed negat. Excipiat aliquis, sacramenta significando agere et causare; atvero hoc est praeter sententiam illam, quia hoc in eadem non dicitur, neque explicatur, quomodo significando causent; immo est contra eam, quia dicuntur esse causae, sine quibus non, et diserte asseruntur nihil efficere.

9. ***3. Argumentum tertium.*** — Iterum paulo aliter sic argui potest: In praedicata sententia sacramenta sunt merae conditiones, sub quibus gratia confertur. Etenim conditio est id, sine quo causa non influeret, ipsa autem non influit; atqui talis conditio sane est denarius plumbeus vel eius ostensio, si princeps iubeat officialem, omnibus eum ostendentibus summam aureorum dare. Non enim influit ostensio denarii in ipsam hanc summae aureae solutionem vel donationem, sed totus influxus prodit ex mandato principis, quod per ostensionem plumbei solum quasi determinatur et limitatur, vel ad certum subiectum restringitur. Atqui eadem ratione in sententia, de qua agitur, se habent sacramenta relate ad gratiam producendam; ergo in ista sententia sacramenta se habent ad instar merae conditionis et proinde eorum causalitas nulla ratione explicatur, sed, ut dictum est, potius negatur.

10. ***4. Argumentum quartum.*** — Denique in hac sententia discrimen essentiale inter sacramenta V. L. et sacramenta N. L. penitus destruitur. Etenim ut denuo argumen-

tatur *S. Thomas* „nec iterum sacramenta N. L., quae differunt a sacramentis V. L. secundum ordinationem praedictam, differunt ab eis secundum rationem causae, sed solum quantum ad modum significandi, in quantum haec significant gratiam ut statim dandam, illa vero non“ (ib.). Immo neque quoad ordinationem praedictam differrent, quia etiam quoad circumcisionem v. g. divina existebat ordinatio, ut qui ei subiicerentur pueri Hebraeorum, iustificatione donarentur; atqui essentialis differentia est inter utraque sacramenta V. L. et N. L.; ergo . . . Minor praeterquam ex doctrina Scripturae et SS. PP. sententia ex ipso concilio Tridentino constat. (cf. sess. 7. can. 2. 6. 7. 8.).

Corollarium.

11. ***1. Insufficiens quoque est sententia Henrici Gandavensis*** *eorumque, qui ipsum, quod essentialia attinet explicationis elementa, sequi videntur, Dominici Viva* (curs. theol. t. 2. p. 7. d. 2. q. 2. § 5. ss.) *et Laurentii Berti* (Theol. hist.-dogm.-scholastica t. 6. l. 30. c. 20.). — Prior ille theologus suam de causalitate sacramentorum sententiam hac ratione explicat: „Sacramenta N. L. nullo modo aliquid agunt ad gratiam creandam neque in creando attingunt eam plus, quam sacramenta V. L., sed solum dicuntur esse causae gratiae praesentis, cuius sunt signa, in hoc, quod sunt contentiva eius, quod est per se causa creativa gratiae. Licet enim Deus, qui est creator gratiae, per essentiam et substantiam in omnibus sit, tamen quoad aliquem effectum est in una re ita, ut non in alia, secundum quod Deitas existens in carne Christi per gratiam unionis ad tactum manus eius curabat leprosos, ut Deitas dicatur illud egisse non ut Deitas tantum, sed ut existens in manu Christi, et per hoc, quod illa existens in manu Christi curabat illum ut agens principale, dicitur, quod curabat ipsum manus Christi ut agens instrumentale; ut secundum hunc modum dicamus, quod sacramenta N. L. sunt causae gratiae instrumentales, non quia aliquid agunt in producendo gratiam plus quam sacramenta

V. L., sed quia Deus ut existens in ipsis ad tactum eorum circa illos, quibus administrantur, confert gratiam creando eam in ipsis. Et per hunc modum dicuntur esse instrumenta creativa gratiae, in quantum scilicet ad tactum eorum Deus existens in eis confert gratiam, et similiter vasa gratiae, in quantum continent eum, qui est fons et origo, a quo emanat gratia" (quodlib. 4. q. 37.). — Iamvero haec explicatio iisdem fere incommodis laborat, atque prior in ipsa thesis demonstratione reiecta, quia scilicet in hac quoque sententia vera sacramentorum causalitas non explicatur, sed potius negatur. Etenim ex eo, quod Deus sacramentis utitur tamquam instrumentis, sequitur quidem, Deum peculiari modo in eis inexistere; atvero ex eo, quod Deus in sacramentis inexistat, nullatenus iam etiam sequitur vel intelligitur, sacramenta in productione gratiae esse veras causas instrumentales. Deus scilicet inexistit v. g. in anima, cum in anima gratia producitur; numquid igitur animae quoque productio gratiae tribui potest? Neque iuvat quidquam, quod addit *Viva,* scilicet virtutem Spiritus Sancti sacramentis propter illam inexistentiam appropriari; etenim haec appropriatio ipso Viva fatente sacramenta non immutat intrinsecus, neque igitur ipsis vim internam ullam tribuit, neque est elevatio externa vel concursus indebitus i. e. supernaturaliter collatus; quare mera denominatio externa est, qua, quod Deus operatur, sacramentis tribuitur, quia Deus in eis inexistit. Per talem autem figuram loquendi sacramenta sane non reipsa fiunt causae instrumentales gratiae. Argumenta igitur in demonstratione thesis prolata hanc quoque opinionem excludunt.

12. ***2. Manifesto Gulielmus Antisiodorensis*** *quoque hanc de causalitate sacramentorum quaestionem nequaquam solvit, sed veram sacramentorum efficientiam negando eam potius removet.* — Nimirum iste theologus sequens hac in re *Hugonem Victorinum* (de sacram. christian. fide l. 1. p. 2. c. 3). ita suam mentem aperit: „Cum dicitur: sacramenta iustificant, attribuitur continenti, quod est contenti: Etenim sensus est: gratia contenta in sacramentis iustificat; unde sacramenta non iustificant tamquam causa efficiens, sed tamquam causa

materialis; quinque enim sunt, quae sanant corpus, ad similitudinem quorum quinque dicuntur sanare animam: Deus enim sanat corpus auctoritative; medicina sanat effective; diaeta praeservative; vas medici (sicut dicitur vulgariter: pixis ista sanavit me) tamquam illud in quo datur medicina; medicus vero sanat ministerio . . . Eodem modo Deus iustificat auctoritate; gratia iustificat ut medicina expellens morbum spiritualem: impletio mandatorum Dei tamquam diaeta; sacramenta iustificant tamquam medicinalia vasa, quapropter in ipsis sacramentis datur gratia. Sacerdos autem iustificat tamquam minister; et propter hoc non valet: sacramenta iustificant; ergo non solus Deus. — Sed videtur, quod hoc sit falsum; quia pixis non habet virtutem aliquem sanandi; sed sacramenta iustificant efficacia sua. Ad hoc nos dicimus, quod non est penitus simile; sed tunc esset penitus simile, si esset tantum una pixis, in qua daretur medicina, et non in alia; unde si daretur in alia, non prodesset; sicut baptismus si fieret in aliquo alio liquore, quam in aqua non prodesset; habet enim aqua vim regenerativam, ut dicit auctoritas: quae tanta est vis aquae, ut corpus tangat et mentem abluat" (Summa l. 4. tr. 3.). — Hanc sententiam retulisse sufficit, ut intelligatur, in ea, prout est proposita, causalitatem sacramentorum non explicari, sed reipsa negari. Sacramenta enim sunt causae efficientes instrumentales gratiae et hac ratione, non autem alia quacumque vasa gratiae et gratiam continere dici possunt. „Dicendum, inquit *S. Thomas*, quod gratia non dicitur esse in sacramento sicut in subiecto, neque sicut in vase, prout vas est locus quidam, sed prout vas dicitur instrumentum alicuius operis faciendi" (S. th. 3. p. q. 62. a. 3. ad 1.).

Thesis 10. Ea quoque multorum huius praesertim temporis theologorum sententia, secundum quam sacramenta, quia moraliter Christi sint actiones, obiectivam habent dignitatem, qua Deum ad conferendam gratiam moveant, atque hac ratione causae gratiae exstare dicuntur, iis incommodis premitur, ut sufficientem praesentis quaestionis solutionem exhibere non videatur.

Declaratio.

1. ***1. Doctrina de causalitate morali in genere spectata.*** — Causalitatem moralem sacramentorum, quam vocant, primus proposuisse videtur *Melchior Canus* (Relect. de sacram. in genere p. 4. concl. 6.) atque idem theologus primus hoc nomine usus est. Canum secuti multi alii theologi huic sententiae adhaeserunt, ut *Vasquez* (in 3. p. q. 62. a. 4. vel d. 132. c. 5.), *Cardin. de Lugo* (de sacramentis d. 4. s. 4.), *Lessius* (in 3. p. q. 62. a. 4.): atque hac aetate praeeunte *Cardinali Franzelin* plerique theologi huic sententiae subscribunt. Neque tamen omnium istorum theologorum una est causalitatis moralis explicatio. Videlicet conveniunt quidem omnes in eo, quod sacramenta ideo causent gratiam, quia moveant Deum ad eam conferendam, atque ideo ea causas morales vocant, non quia aliquid morale in anima suscipientis efficiunt, sed quia nonnisi voluntatem causae intelligentis physice efficientis movendo ipsum effectum physicum, qui est gratia, attingunt. Verum satis discrepant, cum explicandum est, qua ratione sacramenta Deum moveant. Iam in corpore huius thesis ea istius doctrinae forma examinanda est, quam Cardinalis Franzelin limatam satis atque expolitam proposuit. De aliis formis doctrinae causalitatis moralis sacramentorum dein in corollariis subiiciendis breviter iudicium ferri poterit. Quare hoc loco exponenda adhuc est sola doctrina Card. Franzelin.

2. ***2. Doctrina Cardinalis Franzelin exponitur.*** — Tota huius theologi causalitatis sacramentorum explicatio ad haec capita revocatur. *Tamquam principium fundamentale statuitur*, sacramenta dum fiunt esse moraliter actiones Christi

redemptoris et summi sacerdotis, quas ad merita sua applicanda ipse instituit et per ministros suos sua auctoritate investitos iugiter exsequitur: „In omnibus ritibus sanctificantibus, cuiusmodi sunt sacramenta, ecclesia et quivis ecclesiae minister gerit moraliter personam Christi ex ipsius institutione ac mandato pro Christo legatione fungens. Matth. 28, 18. 19; Io. 20. 21—23; Ephes. 5, 25. 26: 1 Cor. 4, 1 (cf. 1, 13—16); 2 Cor. 5, 20. Est hoc evidens ex ipsa natura ministerii ad actuum exercendorum; repugnat enim profecto, ut actus illi externi ab homine positi habeant valorem ad iustificationem conferendam initiato, nisi quatenus ex institutione Christi et auctoritate et potestate a Christo delegata exerceantur. Unde etiam in forma ipsa et in ritu administrationis haec potestas delegata et actio exsequenda nomine Dei et Christi expressa reperitur; sacramenta enim in nomine sanctissimae Trinitatis et a ministris ex praescripto Christi institutis consecrantur" (de sacr. th. 10. n. I.).

3. Hoc principio posito explicatur accuratius, quomodo sacramenta sint verae causae morales collationisgratiae. Scilicet *primo:* Christus in cruce nos redimens meruit etiam, ut sacramenta instituere posset ad applicandam suam hominibus redemptionem. „Christus meritum et pretium redemptionis complevit in cruce; ‚*una enim oblatione consummavit in aeternum sanctificatos*' (Hebr. 10, 14; 9, 12. 25. 28. etc.). Non tamen ideo iam etiam nullis intervenientibus conditionibus et causis subordinatis, in effectu ipso remissionis peccatorum et sanctificationis meritum Christi est singulis applicatum (vide tract. de Incarn.). At Christus redemptor sanctificatione et meritis per passionem et mortem suam consummatis etiam meruit, ut posset instituere sacramenta tamquam suas operationes sacras ad applicationem pretii sui sanguinis pro singulis, dum perpetuo per suos legatos ea administraret" (ibid. n. II.). *Secundo:* quare sacramenta supernaturalem dignitatem habent ex duplici capite provenientem, scilicet tum ex institutione Christi, tum ex eo, quod moraliter sunt ipsius Christi actiones neque tamen sacramenta ullatenus meritoria sunt. „Unde meruit Christus supernatu-

rale pretium et supernaturalem dignitatem sacramentorum; et horum dignitas tum quatenus Christus redemptor ea ex suis meritis instituit, tum quatenus ipse principaliter ea per suos ministros dispensat, tota derivatur ex dignitate personae et ex pretio sanguinis redemptoris. Non intelliguntur itaque sacramenta operationes Christi tamquam nova augmenta meritorum eius, quod sane absurdum foret opinari; sed eorum dignitas et pretium supernaturale fundatur in satisfactione ac meritis completis in cruce." (ib.) *Tertio:* Supposita hac sacramentorum dignitate, duplici ratione, ut dici videtur, Deum ad conferendam gratiam movent, semel quia Deo exhibent redemptionem in cruce, et iterum per ipsam suam obiectivam dignitatem: „Dici potest sacramentum nomine et auctoritate Christi administratum exhibere coram Deo pretium sanguinis Christi in cruce effusi; sicut etiam interpellatio Christi pro nobis in coelo non est per novum meritum, sed est exhibitio meritorum Christi in cruce consummatorum (vide tract. de Incarn. th. 51.). At supposita tali Christi institutione sacramentorum fundata in pretio infinito suae passionis ac mortis, et supposita Dei acceptatione huius sacrae actionis symbolicae ad effectum applicationis meritorum Christi, sacramentum nomine Christi administratum ipsa sua dignitate derivata ex Christi meritis exigit, constanti lege praesentis ordinis reparati, collationem gratiae, ad quam est institutum. Christus in cruce complevit redemptionem universalem voluntate quodammodo antecedente; in sacramentis et per sacramenta sua rite adhibita eam applicat particulariter ad iustificationem peccatorum et sanctificationem iustorum voluntate consequente" (ib.). *Quarto:* Intelligitur denique in hac sententia, qua ratione sacramenta sint instrumenta iustificationis efficiendae tum relate ad Christum hominem, tum relate ad Deum tamquam causas principales. Et imprimis quidem sunt causae instrumentales relate ad Christum hominem. Etenim „si illa dignitas ac pretium insit causae morali ex propria forma permanente, causa erit principalis, non instrumentalis; si vero tota derivetur a causa superiori non per modum formae permanentis, sed solum quatenus superior hac inferiore utitur et

in eam influit, haec inferior erit causa instrumentalis. Hoc modo debet intelligi, quod S. Thomas agens de sacramentis tam saepe repetit, virtutem causae instrumentalis non habere esse completum . . . Atqui sacramenta habent iuxta demonstrata veram dignitatem supernaturalem ex meritis et effuso pro nostra satisfactione sanguine Christi, quae dignitas exigit sanctificationem eorum, qui remoto obice sacramentis initiantur; sunt ergo non solum conditio sed vera moralis causa sanctificationis. Habent autem eam supernaturalem dignitatem non ex forma aliqua eis inhaerente, sed tota derivatur a persona et meritis redemptoris, in quantum moraliter sunt actiones Christi sacramenta instituentis, ut iugiter suo nomine et sua auctoritate administrentur a legatis suis; sunt ergo causae instrumentales" (ib.).

Sed sacramenta non solum Christi hominis, verum 4
etiam ipsius Dei instrumenta sunt ad gratiam nobis conferendam. Etenim „vidimus supernaturalem dignitatem sacramentorum, qua exigente collationem gratiae constituuntur verae causae morales gratiae, derivari totam ex meritis et pretio sanguinis Christi: atque ideo Christum *per sua merita esse* causam moralem principem gratiae, sacramenta autem esse causas morales instrumentales ipsi Christo redemptori, non sane ad merendum sed ad meritum in cruce consummatum nobis applicandum. At in Christo Domino ipso humanitas per se spectata est instrumentum Dei Verbi ad merendam et conferendam nobis gratiam, quia infinita dignitas meritorum derivatur ab infinita dignitate personae divinae, quae per humanam naturam assumptam tamquam per instrumentum coniunctum et functionibus huius naturae tamquam principii quo, ut dici solet, pro nobis condigne satisfecit et nobis gratiam meruit, ac nominatim meruit dignitatem suorum sacramentorum. Ergo dignitas sacramentorum spectatis meritis, ex quibus ea promanat, proxime quidem ad Christi humanitatem ut ad principium quo, sed ultimo ad divinam ipsam personam ut ad principium quod redigenda est. Et hic est primus modus, quo sacramenta ut causae morales sunt instrumenta Dei Verbi ad conferendam nobis gratiam.

‚Principalis causa efficiens gratiae est ipse Deus, ad quem comparatur humanitas Christi sicut instrumentum coniunctum, sacramentum autem sicut instrumentum separatum, et ideo oportet, quod virtus salutifera a divinitate Christi per eius humanitatem in ipsa sacramenta derivetur.' S. Th. 3. p. q. 62. a. 5." (ib. III.). Verum alio adhuc modo sacramenta ipsius Dei instrumenta sunt: „Sacramenta scilicet non solum sunt actiones Christi, secundum quod homo est nobisque gratiam promeruit . . ., sed sunt etiam velut realia seu iuxta modum loquendi Augustini, visibilia verba practica Christi spectati secundum divinam naturam, et proinde Dei unius et trini, qui ea instituit iisque utitur constanti lege ad suam divinam actionem seu voluntatem sanctificatricem et productricem gratiae sensibiliter exprimendam. Virtus divina est, quae ut causa physica producit ac infundit gratiam; sed huius virtutis et actionis divinae expressio sensibilis est ipsum visibile sacramentum, a Deo ad hoc institutum et a Deo per suos ministros ad hoc adhibitum, eo fere modo, quo verbum sensibile Filii Dei: ‚*Lazare, veni foras*': ‚*puella, surge*' (Ioan. 11, 43; Luc. 8, 54.) expressio erat divinae virtutis et operationis, quae efficientia physica excitabat mortuos" (ib.). — *Verum, quod sedulo notandum est*, hac ultima ratione non explicatur, quomodo supposita causalitate morali sacramenta sint instrumenta Dei, sed praeter causalitatem moralem alia potius et diversa ad causalitatem sacramentorum explicandam theoria statuitur vel saltem innuitur. Iam autem in hac thesi praetermissa nova ista atque diversa theoria sola causalitas moralis examinanda venit.

Demonstratio.

5. ***1. Primum huius sententiae incommodum*** *in eo est, quod sacramenta obiectiva sua dignitate exigere vel Deum movere dicantur, ut gratiam suscipientibus ipsa conferat.* — Etenim sacramenta sunt causae instrumentales efficientes, ut constat ex revelatione et manifesto docetur a *concilio Tridentino* sess. 6. c. 7, in quo enumerat causas iustificationis: „Huius iustificationis causae sunt; finalis qui-

dem gloria Dei et Christi ac vita aeterna; efficiens vero misericors Deus, qui gratuito abluit et sanctificat, signans et ungens Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus haereditatis nostrae; meritoria autem, dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus, qui cum essemus inimici, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis iustificationem meruit et pro nobis Deo Patri satisfecit; instrumentalis item sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit iustificatio; demum unica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere iusti nominamur et sumus, iustitiam in nobis recipientes." Iamvero causa efficiens etiam instrumentalis actione causat, ut notum est; illud autem, quod apprehensum obiectiva sua dignitate vel bonitate causat eo, quod causam intelligentem efficientem ad effectum producendum movet, nullatenus est causa efficiens, sed potius causa finalis vel saltem ad eam reducitur. Ergo cum sacramenta in hac sententia obiectiva sua dignitate causare dicuntur, non sunt sub hoc respectu causae efficientes; atque proinde talis positio sacramentorum causalitatem non explicat, sed theoriam istam impeditam reddit atque incommodo satis magno implicat.

Neque iure excipitur cum *Cardinali Franzelin* (th. 6. p. 57. in nota), discrimen inter causam moralem efficientem et causam finalem in eo positum esse, quod prior moveat sua bonitate, *quia est,* cum posterior potius moveat sua bonitate, *ut sit.* Hoc enim discrimen sustineri nequit. Deus, scilicet finis ultimus, a quo omnia alia rationem finis participant, non movet sane ut sit, sed quia est. Praeterea istud discrimen a Cardinali assignatum manifesto non afficit ipsam formalem rationem causandi, quia bonitas, sive in natura rerum iam existit, sive non, semper profecto eodem modo movet sola scilicet sui apprehensione. Quidquid igitur bonitate sua vel dignitate amorem vel aestimationem conciliando movet, ad causam finalem tandem pertinet et redu- 6

citur. Neque perit ideo differentia vera et obiectiva inter causam moralem et finalem, haec enim exposita et vindicata est supra (th. 8. n. 3.).

7. ***2. Alterum incommodum*** *eiusdem sententiae in eo apparet, quod sacramenta dicantur Deo exhibere merita Christi in cruce consummata atque hac ratione Deum movere ad gratiam conferendam; vel ut alii distinctius forte et expressius dicunt, quod sacramenta quaedam quasi interpellationes Christi impetratoriae apud Patrem sint, quibus hic ad gratiam conferendam moveatur* (cf. *Stentrup*, syn. th. 11. et *Pesch*, th. 12.). — Nimirum in hac positione, etsi sacramenta utcunque dici possint causae efficientes et causae instrumentales relate ad Christum causam principalem interpellantem et impetrantem, non tamen commode explicantur esse ipsius Dei instrumenta: atqui sacramenta praecipua ratione ipsius Dei instrumenta sunt, ut praeterquam ex Scriptura et traditione, nominatim etiam ex doctrina concilii Tridentini modo (n. 5.) relata constat. Ergo dicta positio novum incommodum pro causalitate morali creat.

8. *Probatur maior*, videlicet incommode sacramenta in hac positione dici ipsius Dei instrumenta, quamvis forte eadem quadam ratione instrumenta Christi esse appareat. Etenim tota ratio formalis instrumenti in eo posita est, ut ab agente principali moveatur atque ad agendum applicetur, non autem instrumentum causat, in quantum causam efficientem physicam, cuius instrumentum esse dicitur, ad agendum movet. Ita v. g. preces et consilia, quibus Petrus movet Paulum ad aliquid physice operandum, inepte sane dicerentur instrumenta Pauli, quibus hic utatur in agendo, sed sunt tantum instrumenta moralia Petri vel eius, cuius nomine Petrus agit. Atqui in positione praedicta sacramenta non moventur a Deo neque ab ipso ad agendum applicantur, sed potius Deum ad agendum movent. Ergo sacramenta in hac sententia incommode vel inepte dicuntur instrumenta ipsius Dei; etsi forte quadam ratione instrumenta Christi esse concedi possint, quia iisdem Christus per ministros suos Patri

repraesentet sua merita atque pro hominibus gratia donandis interpellet.

Neve excipiatur dignitatem, qua moveant sacramenta, a Deo ultimo derivari atque hac ratione sacramenta a Deo moveri eiusque instrumenta esse iure merito dici posse. Etenim *primo* sacramenta sua dignitate instrumentaliter causare iam exclusimus; atque *deinde* admissa etiam hac positione, adhuc incommode ista ratione sacramenta Dei instrumenta dicerentur. Eadem scilicet ratione, si pater quidam filio suo donaret pecuniam et filius pecunia eadem vel parte eius patri oblata aliquid rogaret atque pater iterum filii precibus annuens atque pecuniam recipiens filio aliud quid largiretur, eadem inquam tunc ratione pecunia ista tamquam instrumentum patris consideranda esset; hoc autem quam sit alienum a communi sensu, facile quisque videt. 9.

3. Tertium incommodum *huius sententiae est, quod pugnare videtur cum significatione sacramentorum.* — Nimirum concordare saltem debent inter se significatio sacramentorum eorumque ratio causandi; atqui sacramenta secundum suam significationem considerata sane non sunt interpellatio impetrativa, sed potius dicunt ordinationes, imperia, deputationes cum auctoritate factas; ergo sacramenta non causant gratiam ad instar interpellationis impetrativae. Minor manifesta apparet consideranti formas sacramentorum. Sic v. g. forma baptismi nequaquam speciem habet interpellationis impetrativae, sed potius consecrationem dicit vel initiationem exigitivam ablutionis peccatorum ex auctoritate factam; atque simili ratione confirmationis forma non interpellationem, sed deputationem signifiat ad militiam Christi; necnon similiter forma poenitentiae procul recedit a mera interpellatione, cum manifesto sit sententia iudicialis, qua cum auctoritate iudiciali ius redditur atque imponitur. Atque pari ratione de ceteris sacramentis dicendum est. 10.

Neque excipi potest ex forma extremae unctionis, utpote quae sit essentialiter deprecativa; etenim ex forma unius sacramenti sane concludi non potest ad modum operandi omnium, praesertim si tali conclusione formae ceterorum sacra- 11.

mentorum repugnent; praeterea neque ipsa forma extremae unctionis proprie interpellationem impetrativam significat, sed potius consignationem quandam aegroti sub misericordia Dei, qua titulum recipit certum ad gratiae consecutionem; denique apud Graecos etiam externa verborum specie considerata eadem forma non deprecativa sed indicativa est.

12. ***4. Quartum eiusdem opinionis incommodum*** *in eo conspicitur, quod confundit modum causandi sacramentorum cum modo causandi, qui sacrificio proprius esse videtur.* — Nimirum sacrificium, utpote quod est signum interioris cultus, absolutae scilicet submissionis et reverentiae coram divina excellentia atque maiestate, convenienter sane intelligitur et ab omnibus conceditur causare gratiam impetrative vel eo, quod est moraliter actio Christi sive interpellatio quaedam apud Deum a ministris Christi nomine ipsius facta; atqui prout rationes formales sacrificii et sacramenti essentialiter diversae sunt, ita et significationes et modus operanti eorundem; sacramentum igitur aliter quam sacrificium, nullatenus cultum internum significat neque per se primo ad Deum colendum institutum, sed signum practicum gratiae est atque ad hominum consecrationem et sanctificationem per se primo institutum est; ergo incommode sacramenta dicuntur causare gratiam per modum interpellationis impetrativae.

13. ***5. Quinto incommodo*** *sententia eadem urgetur, quia ipsum fundamentum, in quo innititur, imbecillum atque labile apparet.* — Videlicet sacramenta formaliter spectata non videntur esse moraliter operationes Christi, sed potius sunt termini operationis, quae est moraliter actio Christi. Sacramenta enim sunt instrumenta, quae mota a causa principali, Christo, ad effectum gratiae operantur: atqui instrumentum sane formaliter non est operatio, sed habet potius operationem; ergo incommode sacramenta dicuntur moraliter operationes Christi. Et certe ipse ritus sacramentalis positus ut v. g. ablutio terminative spectata et forma prolata debent habere aliquam operationem sibi propriam, qua non ipsa efficiuntur, sed qua ipsa agunt ad gratiam producendam; secus

non sunt instrumenta. Porro ab ipsis sacramentis positis distinguenda sane est administratio vel positio eorum a ministro facta, quemadmodum omnis actio a suo termino formaliter saltem differt. Haec autem positio vel administratio sacramentorum utique moraliter actio Christi est, utpote quae a ministro non proprio nomine nec propria auctoritate, sed nomine et auctoritate ipsius Christi fiat. Cum igitur revera sacramenta formaliter spectata non sint moraliter operationes Christi, sed potius operata Christi, incommode sane in illa sententia causalitas eorum explicatur.

Excipiat forte aliquis, Cardinalem Franzelin aliosque 14.
auctores, cum dicunt sacramenta esse moraliter operationes Christi, nihil aliud praecise dicere velle, quam esse operata Christi. Verum praetermisso, quod istud ab auctoribus illis reipsa non dicitur, difficultas et obscuritas sententiae hac ratione non tollitur, sed magis apparet, alio adhuc incommodo eam urgeri, quod iam continuo proponitur.

6. Sexto incommodo *sententia illa urgetur, quia in* 15.
eadem non apparet, qua actione sacramenta tamquam instrumenta ad gratiae productionem concurrant. — Scilicet instrumentum, ut iam supra dictum est (thes. 8. n. 5. ss.) „non perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam“ (S. th. 3. p. q 62. a. 1. ad 2.), et quia „actio alicuius, etiamsi sit eius ut instrumenti, oportet, ut ab eius potentia egrediatur“ (de pot. q. 3. a. 4.), ideo virtus instrumentalis vel operatio instrumentalis virtutis vel operationis instrumenti naturalis certa tantum est modificatio et elevatio. Quaeritur igitur, quae sit propria actio sacramentorum, quam perficiendo gratiam instrumentaliter attingunt; et quaeritur etiam, quomodo actio, qua sacramenta gratiam attingunt, non sit nisi naturalis eorum operationis certa modificatio atque elevatio? Atqui ad has quaestiones in illa sententia responderi non potest, vel saltem a defensoribus eius de facto non respondetur: neque alia congrua ratione sacramentorum influxus causalis instrumentalis in gratiam explicatur. Ergo sententia, de qua agitur, sufficientem praesentis quaestionis solutionem exhibere non videtur.

16. ***7. Septimo tandem incommodo*** *ista opinio laborat, quia in ea non apparet, neque explicari potest, cur sacramenta omnia (excepto matrimonio) praesentibus tantum et quidem plerumque contactu corporali debeant administrari.* — Etenim si causalitas sacramentorum dicit interpellationem impetrativam, tunc, prout interpellatio quaevis pro absente fieri potest, videntur etiam sacramenta absentibus applicari posse et quidem sine contactu physico. Atque ita certe sacrificium, quod operatur, ut dictum est, ad instar interpellationis et interpretationis, absentibus sane applicatur et prodest. Cur igitur sacramenta, si eadem est eorum causalitas, omnia excepto uno, praesentibus tantum administrari possunt et cur plerumque contactum physicum requirunt? Cur v. g. absolutio dari nequit absenti, cur infans in matris utero latens baptizari nequit, nisi possibilis sit vera et realis ablutio per contactum physicum? Ad has similesque quaestiones in sententia praedicta sufficienter responderi posse non videtur.

17. *Immerito contra hoc argumentum exciperetur*, quod matrimonium inter absentes et sine omni contactu physico iniri potest; hoc enim inde provenit, quod matrimonii sacramentum ad contractus instar conficitur, non autem inde, quod operetur ad instar interpellationis interpretativae. Quare manet argumentum ex aliis sacramentis factum.

Corollarium.

18. ***1. Ex dictis intelligitur, neque sufficere eam speciem causalitatis moralis, quam proposuit minus adhuc excultam atque evolutam Melchior Canus.*** — Hic theologus suam explicationem hac proposuit ratione: „Nos cum concilio Florentino pronuntiamus, nostra sacramenta et continere gratiam et eam digne suscipientibus conferre. Continere, inquam, non ut causa naturalis, sed moralis. Crumena siquidem continere dicitur captivi redemptionem, quoniam pecuniam continet. Et sacramenta, quae continent sanguinem Christi, continere dicuntur gratiam et remissionem peccatorum. Et sicut crumena pecuniam administrans redemptionem confert, ita sacramentum confert gratiam.

pretium sanguinis applicans, et haec est illa sacramentorum virtus, quae adeo multorum ingenia torsit. Virtus enim redemptionis in marsupio est, in quo pretium redemptionis servatur; et virtus sacramentorum sanguis Christi est, qui in sacramento adhibetur" (relect. de sacram. in gen. p. 4.). Iamvero imprimis haec explicatio obscuritate aliqua laborat: qua enim ratione sacramenta continent sanguinem Christi? Responderet autem, ut coniici potest, Canus, sacramenta eo sanguinem Christi continere, quia pretium sanguinis Christi atque merita eius Deo repraesentando exhibeant; atque hac ratione sacramenta Deum movendo gratiam conferre. Atqui si ita est, et vix sententia ista aliter intelligi potest, redeunt contra eam pleraque argumenta supra prolata.

19. ***2. Neque sufficit explicatio a Vasquez propo-sita,*** *qui Cani sententiam aliquantum modificavit et expolivit.* — *Vasquez* enim suam de causalitate sacramentorum mentem hac ratione aperit: „Multo melius (scil. quam Canus) hanc naturam instrumenti moralis explicabimus eo modo, quo dicimus Christi humanitatem mediis suis meritis fuisse causam miraculorum et apostolos media invocatione et oratione fuisse instrumenta Dei ad sanitates et alia eiusmodi facienda, nempe per modum impetrationis, nisi quod sacramentorum impetratio nullo merito ministri, sed solo verbo promissionis Dei nititur et hac sola ratione impetrat; at vero apostoli et humanitas Christi meritorie impetrabant a Deo miracula et virtutes, quas operabantur. Is autem, qui impetrat ab aliquo quacunque ratione, et illud, quo impetrat, recte dicitur instrumentum primariae causae non naturale et physicum, sed morale, licet primaria causa, cui assignatur ut instrumentum, physice et non solum moraliter operetur, sicut Deus gratiam operatur. Hac ratione dumtaxat Deus miracula dicebatur operari per apostolos suos ex eo solum, quod ipsi ab eo illa impetrabant. Hac eadem ratione et ipsi dicebantur habere potestatem sanitatum et eiiciendi daemones atque has virtutes in se continere. Eadem igitur ratione et minister sacramenti et sacramentum ipsum, per quod impetrat, dicitur habere potestatem abluendi, absolvendi et gratiam producendi et eam in se con-

tinere" (disp. 132. c. 5.). — Iam autem hac expositione non proponitur alia ratio causandi sacramentorum, quam per interpellationem impetrativam supra explicatam, excepto quod huius impetrationis efficacia et infallibilitas nitatur non in eo, quod sacramenta sint moraliter actiones Christi, sed in sola Dei promissione: quare hic modus causandi iisdem sane vel plerisque saltem iisdem incommodis laborat, ac sententia in ipsa thesis demonstratione reiecta.

20. ***3. Insufficiens quoque est sententia Cardinalis de Lugo,*** *qui opinionem hanc, quae sacramentis causalitatem moralem tribuit, magis adhuc evolvit et expolivit.* — Verum non opus est neque vacat theologi huius explicationem referre, quia quoad substantiam non differt a sententia Cardinalis Franzelin atque iisdem igitur incommodis implicatur.

21. ***4. Neque sufficit sententia, quam Scheeben*** (Dogm. 3. Bd. S. 236.) ***proposuit*** *atque organico-mysticum vocavit, quamque suam fecit Reinhold* (Wirks. d. Sakr., S. 129.). — Ista sententia apud priorem theologum satis fuse sed obscure etiam, apud alterum clarius quidem, sed nescio an plane accurate in omnibus ad mentem prioris exponatur. Ad haec vero principia revocatur *Primo*: Sacramentum late sumptum, ut complectitur ministrum simul et signum externum, quasi organum vivum est ipsius causae principalis i. e. Christi: etenim minister sacramenti ita est organice coniunctus cum Christo, ut sit cum ipso una persona iuridico-moralis; atque ut talis cooperationem Christi non debet expetendo vel rogando impetrare, verum una quasi est utriusque voluntas et auctoritas[1]). *Secundo*: Administratio igitur sacramenti est

[1]) „Das Sakrament ist nach Scheeben nicht nur totes Werkzeug, sondern in seinem ganzen Umfange genommen, nach welchem es auch den menschlichen Spender mit einbegreift, ein lebendiges Organ des göttlichen Urhebers der Gnade. Das organische Verhältnis zwischen minister und princeps ist die Vereinigung beider in einer moralisch-rechtlichen Person, der minister bildet gleichsam ein Glied des princeps und beide bilden nur ein organisches Ganzes. Der minister braucht die Mitwirkung des princeps nicht erst zu erbitten, vielmehr ist der Wille des ersteren zugleich der des letzteren, mit dessen Macht er investiert und dessen Repräsentant er ist" (ib.).

actio ipsius Christi, quae quidem non movet Deum obiectiva sua dignitate, sed simpliciter fructus redemptionis applicat. Actio autem sacramentalis externa vel ipsum sacramentum pressius dictum in hac applicatione meritorum Christi solum est instrumentum, quo designatur et certificatur subiectum, cui gratia a Christo confertur.[1]) *Tertio:* Neque ulla ratione sive minister sive actio sacramentalis physice immutantur, neque vi ulla physica supernaturali instrumentum donatur, sed, ut dictum est, minister tamquam una cum Christo persona iuridico-moralis per sacramentum tamquam per actionem Christi gratiam impertit, cum sacramentum, ut est signum externum designet solum et certificet subiectum[2]). — Iamvero haec

[1]) „Betrachtet man . . . den menschlichen Spender des Sakramentes als lebendiges Organ Christi, so ist die Spendung des Sakramentes ebenfalls wie bei De Lugo eine Handlung Christi selbst, aber dieser Akt der Spendung hat nicht eine besondere Gott zur Gnadenspendung bewegende Kraft wegen irgendwelcher höheren inneren Würde, sondern ist einfach der Akt, durch welchen Christus die Früchte der einstmals vollbrachten Erlösung den einzelnen Gläubigen mitteilt. Dadurch tritt zugleich der werkzeugliche Charakter der sakramentalen Handlung in das vollste Licht. Wenn der minister des Sakramentes das Organ Christi ist, so spendet Christus selber das Sakrament durch dieses sein lebendiges Organ und die Spendung durch den menschlichen minister muss gerade so beurteilt werden, wie die Spendung durch Christus selbst. Wenn nun Christus wieder in sichtbarer, menschlicher Gestalt unter uns erschiene und irgend ein Sakrament spendete, so hätte die physische Handlung dieser Sakramentenspendung nicht einen besonderen objektiven Wert, durch den Gott zur Gnadenmitteilung bewogen würde, sondern sie wäre nur das Werkzeug in der Hand Christi, eine bestimmte Person als diejenige zu bezeichnen, welcher Christus hic et nunc die Erlösungsgnade mitteilt und diese Person zugleich von dieser Tatsache zu vergewissern; das Motiv zur Gnadenspendung wäre allein die Rücksicht auf das einst vollbrachte Erlösungswerk" (ib.).

[2]) „Er (Scheeben) lehnt ausdrücklich jede Mitwirkung ex propriis vonseiten der sakramentalen Handlung und des menschlichen Spenders ab und betrachtet letzteren nur als stellvertretendes Organ Christi selbst. Diese Annahme zum Organ bringt aber keine physische Veränderung in der Leistungsfähigkeit des menschlichen Sakramentenspenders und seiner sakramentalen Handlung hervor, sondern besteht in letzter Linie in einer Autorisierung und Delegierung des ministers zur Setzung der sakramentalen Handlungen mit all den Wirkungen, die Christus selbst durch diese

quoque sententia est insufficiens, tum quia non explicat, quod explicandum est, tum etiam, quia illud statuit, quod admitti nullatenus potest. Nimirum *primo* non explicat, quomodo id, quod proprie est sacramentum i. e. opus operatum vel signum externum gratiam causet, sed omnis potius eidem influxus causalis denegatur, cum solummodo subiectum gratiae designare dicitur. *Praeterea* dicitur quidem ministrum personam Christi gerentem fructus redemptionis applicare, sed qua ratione hoc fiat, iterum non declaratur. *Denique* nullatenus admitti potest, ministrum esse partem constitutivam sacramenti late vel adaequate sumpti; sed opus operatum i. e. signum externum solum sacramentum est, ut satis constat ex catholica huius formulae loquendi interpretatione.

Scholion.

22. ***Difficultates solvuntur.*** — *1) Primo argumentantur ex Scriptura:* „Explicatio proposita ex . . . Scripturae . . . sententiis vindicatur et vera esse demonstratur. ‚*Christus dilexit ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae*‘ (Eph. 5, 25. 26.). Finis, cur Christus se tradidit in passionem ac mortem dicitur esse, ut sanctificaret ecclesiam mundans per sacramentum. Igitur *a)* meritum mortis Christi est, ex quo instituit sacramentum sanctificans; et ad hunc etiam finem se tradidit, ut

Handlungen hervorbrächte. Nach Scheeben würde aber die sakramentale Handlung, selbst wenn sie unmittelbar von Christus selbst gesetzt würde, nicht physisch die göttliche Kraft in sich aufnehmen und tragen, sondern nur zur Bezeichnung der Person des Empfängers dienen und somit nur moralisch zur Hervorbringung der Gnade mitwirken. Weil aber Christus selbst der eigentliche Spender des Sakramentes ist, so hat die sakramentale Handlung nicht nur die Bedeutung einer Bedingung, sondern sie ist als Handlung Christi selbst die auktoritative reale Zuwendung der Gnade, ebenso wie es die Worte Christi an den Gichtbrüchigen (Matth. 9.) waren, da er sagte: ‚*Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*‘. Ohne dass der Hauch der Worte Christi die gnadenspendende göttliche Kraft physisch in sich aufnahm, waren sie doch für ihn das Werkzeug, den Kranken als das Subjekt der Gnadenwirkung zu bezeichnen und ihn der geschehenen Gnadenwirkung zu versichern“ (ib.).

mereretur hanc sui sacramenti dignitatem. *b*) Christus non solum in actu mortis suae meruit sanctificationem ecclesiae, sed hanc sanctificationem ecclesiae particulariter applicat per sacramentum, quo ipse, utique per suos ministros, ecclesiam dicitur mundare. *c*) Hoc pretium lavacri in verbo vitae seu baptismi est igitur derivatum ex eius persona, qui morte sua meruit, ut institueret talis pretii sacramentum et qui perpetuo ipse illud principaliter administrat. Hinc ‚*quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius* (εἰς τὸν θανατόν αὐτοῦ, *in mortem ipsius*) *baptizati sumus*' (Rom. 6, 3.); non solum, quod mors Christi est exemplar mortis, qua in baptismo morimur peccato, sed etiam, quia baptismus continet pretium mortis Christi, atque adeo, dum mergimur baptismo, velut mergimur in mortem Christi, quae est vita nostra, ut per ipsum baptismum moriamur peccato, quod ést mors animae, morientes autem morti vivamus" (*Franzelin* de sacr. th. X. II.). — *R. N.* prorsus quidquam recte his concludi pro causalitate morali reiecta. Manifesto enim aliud est quaerere, in quo sit posita ratio formalis influxus causalis sacramentorum, et aliud est quaerere, unde vel ob quam rationem vim causandi gratiam habeant. Obiecta testimonia de primo nihil dicunt, sed plane spectant ad secundum; scilicet sensus est, merita Christi esse rationem cur sacramenta virtutem sanctificandi acceperint, atque ita significatur, hanc virtutem sacramenta habitura non fuisse, nisi a Christo essent instituta et ab eo ipso per ministros suos administrarentur. Hic est verus sensus illorum testimoniorum: manifesto autem nulla ratione vel innuunt, sacramenta causare per obiectivam suam dignitatem vel ad instar interpellationis Deum movendo. Immo sensus Scripturae neque ipsam causalitatem physicam videtur excludere.

2) Dein argumentantur ex Sanctis Patribus: „In hanc sen- 23.
tentiam intelligenda est communis SS. Patrum doctrina, quando dicunt sacramenta ex latere Christi, h. e. ex consummata eius passione fluxisse (Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, in Ioan. tract. 15. n 8, Leo M., Cyrillus Alex. . . . Cf. Suarez. in 3. p. t. 1. 39, s. 3.); sacramenta esse rubentia sanguine Christi: „Unde rubet baptismus Christi nisi Christi sanguine

consecratus?“ (Augustinus in Ioan. tr. 11. n. 4.); constare sacramenta propria sanctitate propter eum, a quo sunt instituta (id. c. Crescon. l. 4. c. 16.); baptizari nos in sanguine Christi per lavacrum regenerationis (Hieronymus, in Is. 1, 16); in mysteriis Christum impertiri suam praesentiam (vulg. Ambrosius, de sacram. l. 1. c. 4 n. 27.). Neque quisquam, qui S. Augustinum et alios SS. Patres inspexit, potest dubitare, quin illis verbis velint formalem dignitatem et causalitatem sacramentorum indicare (cf. *Franzelin* p. 109 *Pesch*, n. 147.). — *R.* eadem fere ratione: SS. Patres hac ratione loquendi fontem assignant, unde sacramenta suam efficaciam habeant, non autem eorum rationem formalem causandi declarant; vel supposito etiam quod rationem istam formalem assignare velint, minime tamen ut talem dignitatem obiectivam vel interpellationem impetrativam exhibent.

24. *3) Denique aliud adhuc argumentum ex Scriptura affertur a Pesch*: „Tandem moralis causalitas sacramentorum secundum communiorem et probabiliorem expositionem expressa est 1. Pet. 3, 21: *Salvos vos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum* (συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεόν) *per resurrectionem Iesu Christi*. Apostolus hic describit efficaciam sacramenti, quae non sit remotio sordium naturalium e corpore (nec mere levitica mundatio) sed petitio bonae conscientiae. Nam ἐπερώτημα posse significare ‚*petitionem*‘ patet ex Matth. 16, 1, ubi ἐπερωτᾶν significat ‚petere‘; habere autem hoc loco hanc significationem eo ostenditur, quod altera significatio ‚*interrogationis*‘ nullum bonum sensum habet. Nam quod quidam dixerunt de quaestionibus in susceptione baptismi fieri solitis non quadrat, cum agatur de interna efficacia sacramenti. Significationem *sponsionis*, quam quidam volunt, ἐπερώτημα non habet. Ergo sensus non est: in baptismo homo Deo vovet se conscientiam puram servaturum esse. Neque possunt illa verba significare *pactum bonae conscientiae cum Deo*‘, tum quia ἐπερώτημα non est pactum, tum quia συνειδήσεως ἀγαθῆς non est genetivus subiectivus sed obiectivus, nam hoc postulat parallelismus cum

inciso ἀπόθεσις ῥύπου, et praeterea bona conscientia baptismo accipitur, nec vero ad baptismi efficaciam confert. Ergo non remanet, nisi ut sensus sit: baptismus est obiectiva petitio, qua per merita Iesu Christi a Deo bonam conscientiam flagitamus. Atqui haec est ipsa illa causalitas moralis, quam sacramentis vindicamus (cf. Hundhausen et Reischl in h. l.)" (Pesch n. 146, ed. 2.) *R. Primo* multiplex est huius loci interpretatio etiam apud catholicos; et proinde certum argumentum ex hoc loco nequaquam eruitur. *Secundo* concedo tamen totam expositionem excepta principali assertione, qua scilicet statuitur, Apostolum formalem rationem sacramenti eiusque efficaciae definire, quippe quae assertio improbabilis vel etiam falsa apparet. Etenim in se iam incredibile et improbabile est, Apostolum explicare velle rationem formalem efficaciae, quam habet baptismus. Neque contextus ullatenus hunc sensum postulat vel insinuat, sed potius alienus vel contrarius est tali explicationi. Apostolus igitur non tradit definitionem baptismi vel efficaciae eius, ut a ministro administratur, sed potius docet, qualis debeat esse baptismus ex parte suscipientis, i. e. qua affectione et dispositione debeant accedere ad baptismum, qui eius fructum percipere efficaciter velint; explicat quid sit baptizari. Baptizari scilicet non est mundari a carnis sordibus, sed baptizari dicit petitionem ad Deum directam conscientiae mundae a peccatis. Mundationi autem a carnis sordibus opponit petitionem mundae conscientiae, non vero receptionem bonae conscientiae, ad insinuandum, hanc esse opus solius Dei, illam vero hominis esse atque ad eius dispositionem pertinere. Et haec certe explicatio cum contextu praeclare congruit, quia Apostolus hoc loco ad fideles non loquitur, ut erant baptismum administrantes, sed potius ut erant idem suscipientes. ‚*Quod et vos nunc similis formae salvos facit baptisma.*' *Confirmatur* eadem expositio ex aliis eiusdem Apostoli testimoniis, quibus poenitentiam tamquam dispositionem ad baptismum praerequisitam postulat: haec enim poenitentia sane dicit desiderium conscientiae mundae a peccatis et petitionem eiusdem ad Deum directam (cf. Hundhausen l. c.).

Thesis 11. Sacramenta N. L. eo videntur esse causae gratiae, quod tamquam signa practica nomine et auctoritate ipsius Christi posita effectum gratiae attingant instrumentaliter dispositive; atque hac ratione, quaecunque de sacramentorum causalitate ex revelationis doctrina tenenda sunt, commoda atque apta ratione explicantur.

Declaratio.

1. ***1. Obvia et brevis expositio sententiae propositae.*** — Reiectis aliis opinionibus, iam ea sententia exponenda venit, quae ex omnibus probabilissima apparet atque maxime apta ad sacramentorum causalitatem explicandam. Ad aliqua autem capita haec quoque explicatio revocatur:

1, Et *primo* quidem sacramenta dicuntur attingere gratiam *instrumentaliter dispositive.* Etenim, quod non pauci medii aevi theologi docuerunt, sacramenta producere videntur aliquem effectum natura saltem praevium ad gratiam, qui est dispositio vel titulus ipsam gratiam necessario exigens. Est vero dispositio non subiectiva, qualis ea est, qua suscipiens sacramentum removet obicem, sed obiectiva, quae ab ipso sacramento ex opere operato producitur. Gratiam igitur ipsam sacramenta non attingunt immediate, sed mediate, attingendo scilicet illud, quod est titulus ad gratiam, sive hic ius sive exigentia sive necessitas ad gratiam est. — Porro hic effectus praevius ab iisdem veteribus theologis merito vocatur *res et sacramentum.* Etenim tria in sacramentis N. L. distinguenda sunt: „Aliquid scilicet, quod est ‚*sacramentum tantum*', aliquid, quod est ‚*res et sacramentum*', aliquid vero, quod est ‚*res tantum*'" (S. Th 3. p. q. 66, a. 1.). *Sacramentum tantum* vero est illud, quod significat et non significatur, ipsum scilicet visibile signum sacramentale, constans ex materia et forma. *Res tantum* est illud, quod significatur et non significat, ipsa videlicet gratia, quae est ultimus effectus sacramenti. Denique *res et sacramentum* est aliquid inter sacramentum tantum et rem tantum interpositum, quod de utroque participat, quod igitur significat simul et significatur; et quidem significatur immediate per ipsum signum visibile sa-

cramentale vel per sacramentum tantum; quatenus autem est ipsum visibile mediate per signum externum, significat id quod est res tantum, i. e. ultimum effectum gratiae. — Atque hic effectus, qualis v. g. in baptismo, confirmatione, ordine est character, qui imprimitur, semper adest, quandocumque sacramenta valide suscipiuntur, sive fructus gratiae quoque impertiatur sive non. Validum autem est sacramentum, quandocumque subiecto apto atque volenti (si agitur de adultis) materia et forma debita a ministro nomine Christi agente applicantur. — Atque talem effectum praevium ad gratiam sacramenta producere in 1. p. thesis ostenditur.

2) *Secundo* in thesi dicitur, *sacramenta gratiam causare tamquam signa practica.* Videlicet illum effectum praevium atque gratiae exigitivum, sive dicit solum ens morale vel iuridicum, ut in sacramentis characterem non imprimentibus, sive dicit ens morale vel iuridicum et simul ens physicum, ut in sacramentis characterem imprimentibus, illum inquam effectum praevium sacramenta directe et in se non attingunt, nisi secundum eam formalitatem, secundum quam est ens morale vel iuridicum, quia secundum hanc solam formalitatem effectus idem praevius apparet necessarius et gratiae exigitivus. Sacramenta igitur, quia sua efficacia directe non attingunt nisi ens morale vel iuridicum, ad signa practica secundi generis pertinent, quae supra definivimus (th. 8. n. 10. ss.); atque effectum physicum non attingunt nisi mediante hoc effectu praevio et quidem aliter characterem, aliter gratiam. Nimirum characterem attingunt tamquam complementum vel physicam expressionem effectus illius praevii moralis vel iuridici; gratiam vero attingunt, quia ille effectus praevius implicat ius et exigentiam ad gratiam et proinde obiective ad eam disponunt. – Atque sacramenta esse causas ad instar signorum practicorum secundi generis, demonstrandum est in 2. parte thesis. 2.

3) Denique *tertio* dicitur, *in hac sententia omnia, quae ex revelationis doctrina et fontibus theologicis de sacramentorum causalitate tenenda sunt, apte et commode explicari;* nominatim apparet in hac sententia, *primo* sacramenta esse 3.

veras causas gratiae, *secundo* esse causas efficientes, *tertio* esse causas instrumentales et quidem tum relate ad Christum hominem, tum relate ad Deum; *et ita porro*. — Atque haec omnia praeter alia nonnulla in 3. thesis parte explicanda sunt.

4. ***2. De auctoribus, qui huic sententiae subscribunt.*** — Primum elementum huius sententiae seu primam huius thesis partem statuerunt multi theologi antetridentini; videlicet docuerunt, sacramenta causare gratiam instrumentaliter dispositive: verum aliqui saltem ex iis quoad secundam partem dissentiunt, quia docuisse videntur, effectum illum praevium etiam in sacramentis characterem non imprimentibus esse aliquid physicum, scilicet quem dicunt ‚*ornatum animae*'. Primus sacramenta tamquam causas dispositivas considerasse videtur *Alexander Halensis*: „Respondeo sine praeiudicio melioris sententiae; opinando dico, nihil asserendo, quod sacramenta sunt causae alicuius effectus in anima, non dico solum disponendo, sed efficiendo; efficiunt enim simpliciter characterizando et ornando. Unde dico, quod singula sacramenta aliquo modo ornant animam, vel imprimendo characterem vel alio modo signando. Et huiusmodi ornatus sive signationis sunt sacramenta causa efficiens . . . Sacramenta sunt causae per modum materialis disponentis vel efficientis large sumendo. Disponunt enim hominem et aptiorem reddunt ad gratiae susceptionem" (Summa p. 4. q. 5. m. 3. a. 5 § 1 et § 3.). Sequitur *Albertus M.* clarius loquens: „Dicendum, quod causa est sacramentum ut disponens in subiecto, et est dispositio, quae est necessitas quantum est de se: non tamen sequitur, quod semper operetur, sed sequitur, quod, quantum est de se, semper operetur: si enim ille fictus est, tunc ponit obicem" (in 4. d. 1. a. 5.). *Petrus Paludanus:* „Secundum hoc, inquit, intelligendae sunt auctoritates, quae dicunt sacramenta causare gratiam, scilicet dispositive, sicut homo est causa hominis disponendo . . . Cum igitur ista (sacram. N. L.) iustificent ex opere operato, sicut illa (sacram. V. L.) ex opere operante; sicut opus operans ibi formaliter causabat dispositionem, ita hic opus operatum: ut sicut ibi homo suscipiens sacramentum se disponebat ad gratiam,

sic nunc ipsa susceptio sacramenti vel sacramentum susceptum ipsum disponit" (in 4. d. 1. q. 1.). *S. Antoninus* quoque talem dispositivam sacramentorum causalitatem docet, ut apparet satis ex his: „Tunc maior gratia infundetur propter duplicem dispositionem „scilicet sacramenti et liberi arbitrii" (op. mor. l. 3. p. 694.). Et paulo ante dicit: „Cum gratia non detur secundum legem communem nisi disposito, oportet, quod susceptus gratiam disponat se per liberum arbitrium vel disponatur ab alio . . . in sacramentis novae legis, in quibus datur gratia, nisi homo ponat obicem, non requiritur per se, quod homo se disponat, sed solum, quod se non opponat; ergo per ipsum sacramentum disponitur" (ib. p. 688.). *Ferrariensis* quoque hanc sententiam proponit: „Considerandum, quod duplex est instrumentum: quoddam, quod sua actione attingit ultimam perfectionem, quam principale agens intendit; quoddam vero, quod ipsam ultimam perfectionem non attingit, sed aliquam ipsius dispositionem . . . Sacramenta ergo dicuntur causae salutis et gratiae, non quia sua actione gratiam attingant, cum gratia a solo Deo creetur in anima, sed quia ad ipsam gratiam disponunt, causando aliquid in anima, in quantum sunt instrumenta divinae virtutis, puta characterem vel ornatum, quo anima ad suscipiendam gratiam sit disposita" (in 4. c. q. c. 57.). Eidem sententiae adhaerent *Capreolus* (q. 1. a. 1. concl. 3.), *Petrus a Tarantasia*, *P. Innocens* V. (in 4. d. 1. a. 6.) et *Dionysius Carthusianus* (in 4. d. 1.). Immo defendunt eam omnes antiqui Thomistae usque ad Caietanum, ut refert Commentator Scoti *Hiquaeus*: „Hunc modum, inquit, explicat Doctor (Scotus) in littera, nempe sacramenta causare gratiam, non quod attingant physice entitatem gratiae, quae creatur, sed producant aliquam dispositionem praeviam et quasi necessitantem ad gratiam, ut characterem in iis, quae characterem imprimunt, vel ornatum quendam spiritualem; hanc efficaciam habent sacramenta per modum instrumenti, ut elevantur per communicationem virtutis impressae, et receptae in ipsis sacramentis . . . Hunc defendunt omnes antiqui Thomistae usque ad Caietanum" (in 4. d. 5. q. 5.). Nec mirum, quod veteres Thomistae ad

unum omnes ita docuerint, quia ipsius *S. Thomae* certa doctrina est, sacramenta causare gratiam instrumentaliter dispositive. Ulterius autem omnino videtur, S. Thomam non solum cum hac nostrae doctrinae parte, sed et cum altera consentire, nimirum sacramenta causare ad instar signorum practicorum. Verum doctrina S. Thomae infra accuratius exponenda est. Hac denique aetate doctrinae propositae quoad totam eius substantiam subscribunt *Billot* (de sacram. t. 1. q. 62.) et *Lehmkuhl* (Kirchenlexikon 2. Aufl. 10. Bd. Art. Sakramente n. 8.).[1])

---

[1]) Propter gravitatem rei et ad maiorem doctrinae propositae intelligentiam iuvat huius theologi expositionem hic referre. Postquam igitur E. E. Cardinalium de Lugo et Franzelin opinionem approbando retulit, aliam causalitatis moralis speciem propositurus hac ratione pergit: „Indessen lässt sich wohl noch eine andere moralische Causalität verteidigen. Es dürfte nämlich nicht schwer sein, bei den einzelnen Sakramenten als das zunächst und unmittelbar Verursachte eine der physischen Eingiessung der heiligmachenden Gnade vorausgehende moralische Wirkung nachzuweisen, nämlich ein neues moralisches und iuridisches Verhältnis seiner Natur nach, mit Rücksicht auf die gegenwärtige übernatürliche Ordnung der Dinge, die die Eingiessung der heiligmachenden Gnade fordert, dann sind die Sakramente mittelbar die Ursachen der heiligmachenden Gnade. Ein solches neues Verhältnis zu Christus und zu Gott ist aber bei den Sakramenten nachweisbar. Die Taufe gliedert als äusseres Zeichen in das äussere Reich Christi ein, in seinen mystischen Leib (diese Eingliederung wird besiegelt durch den Taufcharakter wie aus dem Dogma feststeht); die Gliedschaft Christi, des eingeborenen Sohnes Gottes und neuen Stammvaters der Menschen, ist Sohnschaft Gottes und fordert deshalb ihrer Natur nach die Mitteilung der heiligmachenden Gnade und des spiritus adoptionis, damit sie nicht eine bloss äusserliche, sondern eine wahrhaft innerliche Gotteskindschaft sei, durch welche wir Kinder Gottes nicht bloss heissen, sondern in Wahrheit sind. — Auf gleiche Weise gibt die Firmung den Charakter eines unter die Fahne Christi eingereihten Soldaten, der wiederum die göttliche Waffenrüstung der übernatürlichen Tugend und Gnade erheischt. Dass beim Sakrament der Weihe etwas Analoges stattfindet, ist von selbst klar. Beim Bussakrament ist es noch leichter und einfacher, eine unmittelbare, der Natur, nicht der Zeit und der Sache nach, dem Gnadenschmuck vorausgehende Wirkung zu bezeichnen, nämlich den iuridischen Verzicht Gottes auf sein Recht gegen den Sünder und die Verzeihung der Sünde; tatsächlich verwirklicht wird diese in der gegenwärtigen übernatürlichen Ordnung durch Eingiessung der heilig-

Demonstratio.

I. p. Sacramenta immediate producunt aliquem effectum ad gratiam praevium eiusque exigitivum, atque gratiam ipsam mediate attingunt.

1. Probatur ex significatione sacramentorum. — Sacramenta, cum sint signa practica, non aliter causant quam significant; vel aliis verbis: ex ipsa notione sacramentorum requiritur, ut sit conformitas inter significationem sacramentorum eorumque operationem; proinde eadem ratione causant, qua significant. vel, quidquid est in significatione, eadem ratione est in effectu. Atqui sacramenta significant immediate aliquem effectum praevium vel natura priorem ad gratiam, qui ipsius gratiae est exigitivus; et gratiam non significant, nisi propter hunc effectum praevium et tamquam dependentem ab eo. Ergo sacramenta producunt aliquem effectum natura priorem vel praevium ad gratiam, et gratiam non producunt nisi mediante hoc effectu praevio et cum ordine naturae, si non temporis, ad eum; quia scilicet effectus iste praevius necessario gratiam exigit, vel ius ad ipsam implicat.

machenden Gnade, welche deshalb naturnotwendig mit dem iuridischen Rechtsverzicht Gottes verbunden ist. Bei der Krankenölung lässt sich vielleicht eine analoge Erklärung geben, falls man nicht auf die Analogie der einen unauslöschlichen Charakter einprägenden Sakramente zurückgreifen will. Für die Ehe liegt die unmittelbare moralische Wirkung darin, dass die jeweilige konkrete Ehe zu einem realen Symbol der Vereinigung Christi und der Kirche von Gott angenommen wird; infolge dessen tritt die Mitteilung der heiligmachenden Gnade ein als eine moralische Forderung dieses neuen Verhältnisses zu Christus. Es bleibt nur noch das Sakrament der heiligen Eucharistie. Bei demselben handelt es sich um den Genuss des Leibes und des Blutes Christi. Dass dabei eine Ausnahmestellung stattfinde betreffs der Wirksamkeit, darf nicht befremden, da das Altarssakrament auch als Sakrament von allen übrigen eine Ausnahmestellung einnimmt. Klar aber dürfte von selbst sein, dass durch den realen und körperlichen Genuss des eucharistischen Christus und wegen desselben zugleich eine höchst innige moralische Beziehung der Seele des Empfängers zu Christus dem Herrn eintritt, welche beim würdigen Empfang nicht ohne reichliche Mitteilung der übernatürlichen Gnade bleiben kann."

Maior argumenti apparet manifesta et ab omnibus concedi videtur. Probanda restat igitur minor, quae quidem demonstratur discurrendo per singula sacramenta.

6. *1) Et imprimis considerentur sacramenta characterem imprimentia.* — *Primo* sacramentum *ordinis* nihil certe directe et proxime significat, nisi collationem potestatis sacrae vel deputationem ad munus sacerdotale. Etenim etsi certum sit, sacramentum ordinis essentialiter nihil complecti, nisi impositionem manuum tamquam materiam, et verba: *Accipe Spiritum Sanctum* tamquam formam; verumtamen, qualis sit significatio huius ritus, certe cognoscitur ex caeremoniis declarativis adiectis, quae omnes dictam significationem iterum iterumque supponunt et inculcant. Evidens autem haec res prorsus est, si traditio instrumentorum et verba alia v. g. „Accipe potestatem offerendi" etc. ad essentiam sacramenti pertinere dicantur. Dubium igitur vix esse potest, quin sacramentum ordinis proxime significet collationem potestatis sacrae et deputationem ad munus sacerdotale. Quia autem potestas sacra vel munus sacerdotale in hoc ordine supernaturali nec convenienter nec debite exerceri potest sine sanctitate interna sacerdotis propria: consequenter sacramentum ordinis etiam hanc tamquam connaturaliter cum priori potestate cohaerentem significat. — *Secundo* similiter loquendum est de sacramento *confirmationis*, cuius materia est *impositio manus* per modum unctionis, et forma verba complectitur: *signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis.* Haec scilcet proxime significant deputationem ad militiam Christi vel conscriptionem sub vexillo Christi, vi cuius confirmatus fidem fortiter profiteri atque defendere debet. Ad hoc autem requiruntur arma divina gratiae et virtutum et proinde sacramentum ut connaturaliter cum primo isto effectu cohaerentem significat etiam gratiam sanctificantem. — *Tertio* idem observandum est, si diligentius consideretur, in sacramento *baptismi*, ubi res fallere videri posset, si materia et forma nude in se considerentur, quia directe ablutionem internam et proinde gratiam sanctificantem significare videntur. At vero significatio huius sacramenti potius ita exponenda est, ut sit:

Ego tibi sacramentum ablutionis impendo i. e. ego tibi confero consecrationem membrum corporis Christi mystici te constituentem atque internae renovationis exigitivam. Significat igitur directe ablutionem internam in actu primo; atque indirecte significat ablutionem in actu secundo vel gratiam sanctificantem. Nam dignitas membri Christi exigit collationem gratiae, quia sine hac non interne et perfecte, sed externe magis et imperfecte membra Christi et filii Dei sumus. Hanc esse rectam significationis baptismi expositionem, patet *primo* ex caeremoniis declarativis in baptismo adhibitis, quae omnes significant initiationem, consecrationem, constitutionem membri corporis Christi mystici; patet *praeterea* ex eo, quod sacramentum baptismi, quando validum quidem est, sed informe, vere exserit significationem suam; significare autem non potest directe gratiam, quia, cum haec tunc non conferatur, falsa esset significatio; significat igitur directe consecrationem supra descriptam exigitivam gratiae; atque hanc etiam, quandocumque validum est, confert.

7. *2) Deinde ex sacramentis characterem non imprimentibus consideranda veniunt poenitentia, matrimonium, extrema unctio.* — *Quarto* igitur *poenitentia*, uti notum est, ad modum iudicii instituta est et administratur; iamvero in iudiciis omnibus sententia iudicis absolutoria significat et facit immediate non physicam accusati liberationem, sed potius proxime et directe significat et facit ius, quo detentus liberari debet; ergo similiter loquendum est de sacramento poenitentiae; significat directe ius vel titulum certum ad gratiam, per quam peccata formaliter delentur, et indirecte tantum ipsam gratiam significat. — Deinde *quinto* in *matrimonii* sacramento etiam, quod affirmamus, clare apparet. Nimirum ipse contractus matrimonialis inter christianos sacramentum est; iste autem contractus immediate et directe sane vinculum significat, quo vir et mulier iuridice et moraliter coniunguntur. Hoc vero vinculum, quia repraesentat unionem Christi cum ecclesia, ut gratiâ sanctificetur, omnino exigit. Quare sacramentum matrimonii mediate et dependenter a vinculo illo sacro gratiam significat. — *Sexto extrema unctio* quoque directe non sig-

nificat gratiam sanctificantem, sed titulum potius ipsius exigitivum. Etenim quia institutum est hoc sacramentum pro infirmo viribus destituto et sibi consulere iam non valente, dicit consignationem vel commendationem aegroti in misericordiam Dei; iamvero talis consignatio vel commendatio non significat immediate doni auxiliantis i. e. gratiae collationem, sed potius committit aegrotum in manus Dei, et proinde directe significat certum titulum ad divinae misericordiae consecutionem, et indirecte vel mediate ipsam gratiam significat.

8. *3) Septimo restat ss. Eucharistiae sacramentum, in quo, quod affirmamus, evidenter perspicitur.* — Certe enim species panis et vini atque verba consecrationis eas informantia, quae hoc sacramentum tantum constituunt, immediate nihil significant, nisi praesentiam corporis et sanguinis Christi sub forma cibi et potus. Quia autem significant corpus Christi non utcumque praesens, sed ut praesens sub forma cibi et potus, mediante corpore Christi ita praesenti significant etiam spiritualem refectionem vel gratiam hominem supernaturaliter reficientem et nutrientem. Ergo ss. Eucharistiae sacramentum immediate et directe significat effectum transsubstationis praevium atque mediante ipso et dependenter ab ipso significat ipsam gratiam. Iste effectus praevius est quidem aliquid physicum, implicat tamen aliquid morale vel iuridicum, destinationem scilicet ad spiritualem manducationem, cui ex parte fidelium ius spiritualis manducationis respondet.

9. Certum igitur apparet, omne sacramentum significare et producere aliquem effectum a gratia distinctum et ad ipsam praevium, qui ordinem naturae ad gratiam dicit, atque ipsius exigentiam, necessitatem, ius includit. Constat proinde etiam, sacramenta gratiam non significare nec producere nisi mediante isto effectu praevio et dependenter ab eo. Constat denique illum effectum inter *sacramentum tantum*, signum scilicet exterius visibile, et *rem tantum*, i. e. gratiam, intermedium recte vocari *rem et sacramentum*; etenim directe et immediate a sacramento tantum significatur: ipse autem gratiam rem tantum exigit et proinde etiam significat.

10. ***2. Ex ordine, quem divina sapientia suis operibus imprimit.*** — Sacramenta non unum tantum, sed duplicem effectum producunt, gratiam scilicet sanctificantem et alium ab ea distinctum, ut de sacramentibus characterem imprimentibus, de Eucharistia atque de matrimonio saltem omnes concedunt atque concedere necessario debent; atqui consideratis sapientia et ordine divinorum operum et ipsa natura illorum effectuum improbabile plane apparet, istos effectus esse penitus disparatos, ita ut alter ad alterum ordinem nullum dicat neque unus ab altero dependeat. Congruum igitur et proinde probabilissimum est, illos effectus habere ordinem naturae ad invicem atque unum ab altero dependere. Iamvero non perspicitur. qualis iste ordo sit et qualis ista dependentia esse possit nisi ea sit, quam statuimus. Ergo.

11. ***3. Ex eo, quod sacramenta valida simul et informia esse possunt.*** — Etenim sacramenta, cum sint signa a Deo, a quo nihil falso potest significari, instituta et adhibita, quotiescumque valida sunt, veram habent significationem; vera igitur quoque est eorum significatio, quando valide quidem sed propter obicem in suscipiente existentem sine fructu gratiae administrantur; ergo effectum producunt requisitum ad significationis veritatem; hunc enim signa practica non supponunt, sed faciunt. Atqui gratiam in praedicto casu proxime et immediate non producunt, et postea quoque solum conditione praerequisita posita eandem efficiunt. Ergo significatio et virtus sacramentorum nec immediate nec absolute ad gratiam se extendunt, sed hac ratione potius significant et attingunt effectum a gratia diversum et ad eam praevium eiusque exigitivum; et ipsam gratiam non attingunt nisi mediante hoc effectu praevio et sub conditione, quod non adsit obex, a quo exigentia effectus praevii a sua actuatione impediatur.

12. ***4. Ex reviviscentia sacramentorum.*** — Sacramenta reviviscere a theologis dicuntur, quando valide quidem, sed propter obicem vel dispositionis necessariae defectum infructuose suscepta, postea dispositione ista accedente vel obice ablato gratiam conferunt. Atque hanc notionem ex *Augustino*

potissimum sumpserunt, qui de baptismo contra Donatistas docens, haereticos ad catholicam ecclesiam conversos non esse rebaptizandos, haec habet: „Quid si ad ipsum baptismum fictus accessit? Dimissa sunt ei peccata, an non sunt dimissa? . . . Si dixerint non esse dimissa, quaero, si postea fictionem suam corde concusso et vero dolore fateretur, denuo baptizandus iudicaretur? Quod si dementissimum est dicere, fateantur vero baptismo Christi baptizari posse hominem, et tamen cor eius in malitia vel sacrilegio perseverans, peccatorum abolitionem non sinere fieri, atque ita intelligant in communionibus ab ecclesia separatis posse homines baptizari, ubi Christi baptismus eadem sacramenti celebratione datur et sumitur, qui tamen tunc prosit ad remissionem peccatorum, quum quis reconciliatus unitati sacrilegio dissensionis exuitur, quo eius peccata tenebantur, et dimitti non sinebantur. Sicut enim in illo, qui fictus accesserat, fit, ut non denuo baptizetur, sed ipsa pia correctione et veraci confessione purgetur, quod non posset sine baptismo, ut, quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, quum illa fictio veraci confessione recesserit: sic etiam iste, qui baptisma Christi . . . in aliqua haeresi aut schismate accepit, quo sacrilego scelere peccata eius non dimittebantur, quum se correxerit, et ad ecclesiae societatem unitatemque venerit, non iterum baptizandus est; quia ipsa ei reconciliatione ac pace praestatur, ut ad remissionem peccatorum eius in unitate iam prodesse incipiat sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat“ (c. 12.). Atque iterum: „Si autem“, inquit, „quamvis apud haereticos vel schismaticos idem sit baptismus Christi, non tamen ibi operatur remissionem peccatorum propter eandem discordiae foeditatem et dissensionis iniquitatem, tunc incipit valere idem baptismus ad dimittenda peccata, quum ad ecclesiae pacem venerint; non ut iam vere dimissa non retineantur, neque ut ille baptismus quasi alienus aut alius improbetur, ut alter tradatur, sed ut idem ipse, qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem“ (c. 13.). Iam vero de reviviscentia sacramentorum diversae sunt theologorum sententiae cum quaeri-

tur, quaenam sacramenta reviviscant. Baptismum reviviscere et propter paritatem rationis cetera quoque sacramenta characterem imprimentia, non autem econtra reviviscere Eucharistiam, communis atque certa sententia est. De ceteris tribus diversi diverse sentiunt; sunt, qui haec tria quoque reviviscere tenent; sunt, qui imprimis poenitentiam a reviviscentia excipiunt, quia hoc sacramentum putant non posse esse simul validum et informe. Omnino quidem necessarium videtur, sentire cum illis, qui omnia sacramenta excepta sola Eucharistia reviviscere dicunt. Verum istae de singulorum sacramentorum reviviscentia quaestiones non hic, sed infra, ubi de singulis sacramentis agitur, ex professo discutiendae sunt; nunc vero supponere licet, plura sacramenta reviviscere, neque obstat quidquam, quominus ex ista sacramentorum reviviscentia ratio aliqua sumatur ad eorum circa gratiam causalitatem explicandam.

Argumentum autem est huiusmodi. — Sacramenta **13.** valide quidem, sed ficte vel cum obice suscepta, reviviscunt, cum fictio removetur vel obex aufertur. Iamvero sacramenta, utpote causae efficientes, sicut non operantur antequam sunt, ita neque operari posse videntur, postquam esse desierunt. Quaerenda igitur vel explicanda sane est ratio, qua sacramenta in effectum influant, qui tunc producitur, cum ipsa iam non existant. Iamvero huius rei optima sane ratio redditur, cum sacramenta dicuntur immediate producere non ipsam gratiam, sed solum aliquem effectum ad gratiam praevium eiusque exigitivum, et insuper talem, qui semper producatur, quandocumque sacramentum valide administratur. Atque sic etiam, quod communiter affirmatur, sacramenta intelliguntur ad modum causarum naturalium operari; tales enim causae, quando propter impedimentum existens vel superveniens ab ultimo suo effectu producendo impeditae sunt, statim impedimento remoto eum consequuntur, quotiescumque scilicet in subiecto sufficiens dispositio vel inclinatio ad formam efficiendam relicta est. Ad rem *S. Thomas*: „Dicendum", inquit, „quod in baptismo imprimitur character, qui est immediata causa disponens ad gratiam; et ideo, cum fictio

non auferat characterem, recedente fictione, quae effectum characteris impediebat, character, qui est praesens in anima, incipit habere effectum suum, et ita baptismus, recedente fictione, effectum suum consequitur" (in 4. d. 4. q. 3. a. 2. q. 3.). Optime igitur in sententia statuta reviviscentia sacramentorum explicatur; nulla autem alia explicandi ratio sufficiens exstare videtur.

14. *Praeterea doctrina statuta non solum intelligitur, qua ratione sacramenta in genere possint reviviscere, sed explicatur etiam, cur Eucharistia non reviviscat et qua ratione cetera omnia vel certe vel probabilissime reviviscant.* — Intelligitur *primo,* cur sacramenta characterem imprimentia: baptismus, confirmatio, ordo, sine limite semper reviviscant, quotiescumque obex gratiam sacramentalem impediens removetur. Character enim, qui in his sacramentis res et sacramentum est et exigentiam gratiae vel titulum et ius ad ipsam formaliter physice actuat, animae suscipientis in aeternum indelebiliter inhaeret atque ideo necessario, dummodo obex nullus adsit, gratiam sacramento propriam connaturaliter inducit. — Intelligitur *secundo,* cur omnibus fatentibus ss. Eucharistia non reviviscat. Nam in hoc sacramento res et sacramentum est ipsum corpus Christi sub forma cibi et potus: atque hoc ipsum in actu secundo gratiam non exigit formaliter, nisi prout ad modum cibi vel cibi et potus est applicatum suscipienti; et quidem tamdiu exigit, quamdiu est applicatum. *Res igitur et sacramentum* vel titulus exigens gratiam in hoc sacramento est aliquid in anima non permanens sed transiens. Cum igitur species sunt corruptae et Christi praesentia cessat, eo ipso desinit titulus exigitivus gratiae; quare si homo cum obice accesit neque praesentibus speciebus obicem removit, neque in ipsa susceptione accipit gratiam, ut manifestum est, neque postea, quia simul cum speciebus corruptis ipse etiam titulus gratiae exigitivus deletus est. Ss. Eucharistia igitur non reviviscere intelligitur. Si autem quis indigne accedens ad hoc sacramentum adhuc existentibus speciebus obicem removeat v. g. caritatem perfectam eliciens, certe accipiet gratiam sacramentalem; at hoc

non dicit reviviscentiam, quia sacramentum visibile et externum ut existens adhuc, non autem ut praeteritum, operatur suum effectum. — Intelligitur *tertio*, cur reviviscentia asserenda quidem sit de matrimonii sacramento, sed non sine restrictione, nimirum durante eodem coniugio. Etenim res et sacramentum vel titulus exigens gratiam in matrimonio est ipsum vinculum matrimoniale inductum, quod indissolubile est vivente utroque coniuge, dissolvitur autem unius compartis morte. Reviviscit igitur matrimonium solum durante eodem coniugio, quia tunc solum manet titulus ad gratiam, non autem reviviscit soluto coniugio, quia tunc titulus gratiam exigens iam non habetur. — Denique ex eadem ratione intelligitur *quarto*, cur extrema unctio reviviscat solum durante eadem infirmitate, quia cum infirmitate superata transit etiam consignatio aegroti sub misericordia Dei pro infirmitatis tempore facta et cum ipsa titulus exigens gratiae sacramentalis contributionem. Omitto sacramentum poenitentiae, quia quaestio num et qua ratione reviviscat, postulat longiorem explicationem in ipso tractatu de poenitentia instituendam. — Praeclare igitur reviviscentia sacramentorum ex doctrina statuta, intelligitur; quare vicissim doctrina statuta praeclare ex reviviscentia sacramentorum confirmatur.

Nota: Ad intelligendam rationem loquendi Patrum, Scrip- 15.
torum ecclesiasticorum atque Conciliorem notandum est, effectum illum intermedium, imprimis si dicit simul aliquid physicum, quamvis plerumque ‚res et sacramentum' vocari soleat, hinc inde tamen ‚sacramentum' quoque simpliciter vocari. Ita v. g. *Augustinus* characterem baptismalem simpliciter vocat sacramentum baptismi, cum dicit: „Apostatae anima velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita, sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit" (de nupt. et conc. l. 1. c. 10.). Et *S. Thomas* quoque eadem ratione: „Quod ipsa", inquit, „character interior est essentialiter et principaliter ordinis sacramentum" (Suppl. p. 34. a. 2. ad 1.). Denique ipsum *Concilium Tridentinum* docet, supremo latriae cultu, qui soli Deo debetur, ss. Eucharistiae sacramentum adorandum esse, ubi certe non solum

signum externum visibile, sed Christus sub visibilibus speciebus latens adorandus dici intelligitur: „Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quia omnes Christi fideles, pro more in catholica ecclesia semper recepto, latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum; nam illum eundem Deum praesentem in eo adesse credimus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum dicit: *Et adorent eum omnes angeli Dei*; quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur“ (sess. 13. c. 5.).

2. p. **Sacramenta causae sunt ad instar signorum practicorum 2. generis supra (th. 8. n. 10.) explicatorum.**

16. ***1. Ex ratione formali effectus praevii.*** — Nimirum effectus iste sacramentorum ad gratiam praevius eiusque exigitivus formaliter sumptus est ens morale vel iuridicum ut potestas sacra, munus vel officium religiosum, deputatio ad cultum christianum vel initiatio sacra et ita porro, quae omnia includunt ius et exigentiam gratiae; atqui tali effectui morali vel iuridico non requiritur neque convenit alia causalitas instrumentalis, quam causalitas signi practici; ergo sacramenta ad instar signorum practicorum operantur.

17. Et certe apparenter tantum res fallit in baptismo, confirmatione, ordine, ubi titulus ad gratiam videtur esse physica qualitas, nimirum character, ad quem non sufficit virtus intentionalis vel causalitas signi. Etenim id, quod in tribus istis sacramentis exigit gratiam vel formaliter dat titulum et ius ad eam, non est character in quantum dicit physicam qualitatem, sed est idem character in quantum dicit aliquid morale vel iuridicum, deputationem scilicet hominis ad certas functiones vel officia cultus divini. Sacramenta igitur characterem immediate attingunt non sub formalitate physica, sed sub formalitate morali vel iuridica, cuius expressio solum vel actuatio physica est formalitas physica et proinde sufficit

sacramentis asserere causalitatem moralem vel intentionalem.

Sane autem eo ipso, quod attingunt sacramenta imme- 18.
diate sua causalitate formalitatem moralem vel iuridicam, exstant etiam causae characteris secundum formalitatem physicam, quia haec illi ex inviolabili lege divina in hoc ordine est coniuncta tamquam eius expressio vel actuatio physica. Ad haec intelligenda confert comparatio, quam instituit *S. Thomas*: „Quicumque ad aliquid certum deputatur, consuevit ad illud consignari sicut milites, qui adscribebantur ad militiam antiquitus, solebant quibusdam characteribus corporalibus insigniri, eo quod deputabantur ad aliquid corporale. Et ideo cum homines per sacramenta deputentur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei, consequens est, quod per ea fideles aliquo spirituali charactere insigniantur" (S. Th. 3. p. q. 63. a. 1.). Nimirum quemadmodum inter homines deputatio ad militiam extrinsecus exprimitur vel quasi actuatur physice per aliqua visibilia insignia, quibus miles notatur, ita deputatio quoque ad officia varia cultus christiani physice exprimitur et quasi actuatur per qualitatem supernaturalem, qua subiectum deputatum intrinsecus notatur, ut membrum et minister Christi capitis et summi sacerdotis. Quemadmodum autem ulterius in milite non proprie exterius signum, ut est tale, sed potius moralis illa vel iuridica deputatio ad pugnandum exigit pro eo arma ad legitime pugnandum etc.; ita, quod in homine deputato ad officia cultus christiani apellat gratiam atque exigit, non est praecise character, ut est qualitas physica, sed potius passiva illa deputatio vel officium quod suscipitur, cuius expressio vel actuatio physica est character. Et certe illa deputatio ad officia cultus christiani absolute potuisset fieri sine impressione characteris, et tamen eadem ratione gratiam exegisset, quia scilicet illa officia nec convenienti modo nec debito sine gratia possunt exerceri. Intelligitur igitur, sacramenta ut signa practica virtute sua intentionali etiam in sacramentis characterem imprimentibus sufficienter attingere illud posse, quod est vere et formaliter gratiae exigitivum.

19. Neque fallit doctrina proposita in ss. Eucharistiae sacramento, ut videri adhuc magis posset, quam in sacramentis characterem imprimentibus. Nimirum „*res et sacramentum* in hoc sacramento est sane aliquid physicum, scilicet praesentia corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini, vel ipsum corpus et ipse sanguis Christi sub speciebus praesens. Tali autem effectui nec sufficere nec convenire videtur virtus instrumentalis signorum practicorum. Verum haec apparenter tantum difficultatem facessunt. Etenim signa practica vel verba non tantum iura, officia, imperia inter homines deferunt, sed ut sunt verba ipsius Dei nomine prolata atque ipsius proinde auctoritate investita ad ipsam naturam physicam, divinum imperium deferunt atque efficiunt, ut etiam contra leges suas physicas miraculose immutetur. Atque hoc quidem ita efficiunt, ut in certa materia vel certo subiecto physico infallibilem designationem, ordinationem vel exigentiam ponant, ut virtute divina natura physica continuo miraculose immutetur. Et certe nihil repugnat, quominus homo nomine et auctoritate Dei agens potestative externo imperio valeat naturam physicam miraculose immutare. Etenim non physice miraculum operatur, sed moraliter vel intentionaliter vel imperative: scilicet Dei nomine agens atque divina auctoritate investitus ex decreto divino et liberrima voluntate divina inter certos limites et ad certos fines de omnipotentia divina potentative quasi disponit atque eam imperio suo extrinsecus prolato ad miraculum patrandum applicat. Et hac ratione divinam potentiam participans atque intimam naturam rerum physicarum dominans homo existere potest causa miraculi, non sane physica, sed moralis vel intentionalis. Ad rem *S. Thomas:* „Constat, inquit, quod Deus solo imperio miracula operatur. Videmus autem, quod imperium divinum ad inferiores rationales spiritus, scilicet humanis, mediantibus superioribus, scilicet angelis, pervenit, ut in legis veteris latione apparet; et per hunc modum per spiritus angelicos vel humanos imperium divinum ad corporales creaturas pervenire potest, ut per eos quodammodo naturae praesentetur divinum praeceptum, et sic agunt quodammodo spi-

ritus humani vel angelici, ut instrumentum divinae virtutis ad miraculi perfectionem" (de pot. q. 6. a. 4.). Ad rem quoque *Ambrosius*: „Accipe ergo, quemadmodum sermo Christi creaturam omnem mutare consueverit, et mutat, cum vult, instituta naturae . . . Urgebatur populus Iudaeorum ab Aegyptiis, interclusus erat mari; divino imperio virga Moyses tetigit aquas, et se unda divisit, non utique secundum suae naturae consuetudinem, sed secundum gratiam coelestis imperii . . . Ex his igitur omnibus non intelligis, quantum operatur sermo coelestis? Si operatus est in fonte terreno, si operatus est sermo coelestis in aliis rebus, non operabitur in coelestibus sacramentis?" (de sacr. l. 4. c. 4.). Hac ratione Christus humanitate sua operatus est miracula; hac ratione sacerdos ut minister Christi verbis consecrationis tamquam instrumento transsubstantiationem operatur. Sacramentum igitur Eucharistiae quoque non alia causalitate rem et sacramentum producit, quam ea, quae convenit signo practico, causalitate scilicet intentionali vel imperativa.

2. Ex ratione formali ipsorum sacramentorum. 20. — Videlicet, quemadmodum effectui, de quo agitur, nec requiritur nec convenit alia causalitas, quam ea, quae est signorum practicorum: ita neque causis, de quibus agitur, alia convenit causalitas, quam intentionalis vel imperativa, quae est signorum practicorum. Etenim sacramenta in genere signorum sunt; signorum autem causalitas est ordinis intentionalis, ut supra explicatum est; ergo etiam operatio sacramentorum, qua attingunt immediate effectum praedictum praevium, est intentionalis. Et certe inconveniens apparet, ut significatio et operatio sacramentorum relate ad effectum suum sint rationes prorsus independentes et disparatae. Etenim sacramenta sunt instrumenta relate ad effectum, quem producunt; instrumenta autem non exercent operationem instrumentalem, nisi exercendo operationem propriam. Propria autem operatio sacramentorum, utpote quae in genere signorum sunt, non potest esse, nisi aliquid ad significationem pertinens. Huc pertinent duo *S. Thomae* testimonia cum invicem conferenda: „Sacramenta corporalia, inquit, per propriam operationem.

quam exercent circa corpus quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute divina circa animam, sicut aqua baptismi abluendo corpus secundum propriam virtutem abluit animam, in quantum est instrumentum virtutis divinae" (S. Th. 3. p. q. 62. a. 1. ad 2.). Et alibi: „Sacramentum secundum propriam formam significat vel natum est significare effectum illum, ad quem divinitus ordinatur; et secundum hoc est conveniens instrumentum, quia sacramenta significando causant" (de verit. q. 27. a. 4. ad 13.).

21. ***3. Per exclusionem causalitatis physicae et moralis.*** — Effectum praevium et immediatum sacramentorum a sacramentis non attingi causalitate physica, *primo* iam ex eo patet, quod ille effectus neque formaliter dicit entitatem physicam, neque in sacramentis characterem non imprimentibus materialiter identificatur cum tali entitate physica. Etenim sententia antiquorum quorundam theologorum, qui in sacramentis characterem non imprimentibus ornatum quendam physicum characteri similem vel aequivalentem statuerunt, iure merito antiquata habetur, utpote quae nullo solido fundamento nitatur. *Praeterea* statui non potest, saltem sacramentorum characterem imprimentium causalitatem esse physicam, quia absone diversa plane diversorum sacramentorum causalitas adstrueretur, et quia deinde haec sententia duobus argumentis expugnatur, quibus supra causalitatem physicam perficientem sacramentorum relate ad gratiam reiecimus, scilicet primo et quarto. — Neque efficientia moralis effectus praevii ad mentem Cardinalium de Lugo et Franzelin intellecta sacramentis tribuenda est, quia talis positio iisdem prorsus incommodis premitur, ac ipsa gratiae efficientia moralis supra (th. 10.) reiecta. Nihil igitur restat, quam ut sacramentis asseratur effectus praevii efficientia intentionalis vel imperativa.

3. p.: **Doctrina statuta omnia, quae ex revelationis doctrina et fontibus theologicis de sacramentorum causalitate tenenda sunt, apta et commoda ratione explicantur.**

22. ***1. Et primo quidem explicatur, sacramenta esse veras causas gratiae.*** — Etenim causa dispositiva

vera causa est relate ad effectum, ad quem disponit, ut supra (th. 8. n. 4. ss.) ostensum est; atqui sacramenta in doctrina statuta causae dispositivae gratiae sunt; ergo. — Vel distinctius: Causa, quae efficit exigentiam alicuius rei necessario actuandam, ipsius quoque rei actuatae iure causa dicitur; atqui sacramenta ponunt exigentiam gratiae sanctificantis; ergo ipsius gratiae sanctificantis causae sunt. Et certe non aliter homo v. g. exstat causa hominis, nisi quod materiam disponendo exigentiam ponit, ut anima infundatur et novus homo oriatur. — Vel iterum paulo aliter: Quod ius confert ad aliquam rem, vel quod rem aliquam iuridice confert, ipsius rei possessae sane vera causa est, quamvis eam physice non conferat; atqui sacramenta ius conferunt ad gratiam sanctificantem, vel eam iuridice conferunt; ergo sacramenta verae causae sunt gratiae infusae vel possessae, quamvis eam physice non conferant vel efficiant. Et certe eadem ratione inter homines unus alteri sive contractu oneroso sive donatione et ita porro rem aliquam iuridice confert atque sic rei collatae et ab altero possessae causa exstat, quamvis physice eam non tradiderit; hac ratione etiam causa meritoria eo, quod titulum vel exigentiam mercedis ponit, ipsius mercedis causa exstat; ergo etiam sacramenta eo modo causae collationis gratiae esse intelliguntur. — Atque haec ratio explicandi cum doctrina Concilii Tridentini magis etiam consonare videtur, quam ulla alia. Etenim *Concilium* dicit, per sacramenta gratiam ‚*dari*' et ‚*conferri*', (sess. 7. can. 6, 7, 8.): hae autem expressiones iuridicae donationi gratiae magis, quam physicae eius efficientiae videntur consonare.

23. ***2. Commode praeterea intelligitur in hac doctrina, sacramenta esse causas gratiae efficientes.*** — Et sacramenta quidem causas gratiae esse non quascumque, sed efficientes, certum plane est tum ex communi iam theologorum doctrina, tum ex doctrina Concilii Tridentini, secundum quam sacramentum baptismi est causa instrumentalis iustificationis, tum ex doctrina SS. Patrum, tum denique ex ipsa Scriptura, utpote quae dicit: „*Salvos vos facit baptisma*" (1. Pet. 3, 21.). Iamvero illud, quod non formaliter, sed ef-

ficienter ponit exigentiam alicuius rei, vel quod non formaliter, sed efficienter confert ius ad aliquam rem sane est causa efficiens. Atqui sacramenta in sententia statuta non formaliter sed efficienter exigentiam et ius ad gratiam ponunt. Etenim ad instar signorum practicorum significando causant, quae significatio est vera signorum operatio efficiens instrumentalis. Ergo clare apparet in sententia statuta, sacramenta esse causas efficientes.

24. ***3. Deinde apte explicatur in eadem doctrina, sacramenta esse quadam ratione instrumenta Christi, in quantum est homo.*** — Nimirum Christus etiam in quantum est homo, vera quadam ratione dici potest causa principalis gratiae sacramentalis; et qua quidem ratione explicat *S. Thomas:* Humanitas Christi „quia est instrumentum coniunctum divinitati in persona, habet quandam principalitatem et causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum, qui sunt ministri Ecclesiae . . . Et ideo sicut Christus, in quantum Deus, habet potestatem auctoritatis in sacramentis, ita in quantum homo, habet potestatem ministerii principalis, sive potestatem excellentiae; quae quidem consistit in quatuor: *primo* quidem in hoc, quod meritum et virtus passionis eius operatur in sacramentis . . . Et quia virtus passionis copulatur nobis per fidem, secundum illud Rom. 3, 25: ‚*Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius*‘. quam fidem per invocationem nominis Christi protestamur: ideo *secundo* ad potestatem excellentiae, quam Christus habet in sacramentis, pertinet, quod in eius nomine sacramenta sanctificantur. Et quia ex eius institutione sacramenta virtutem obtinent, inde est quod *tertio* ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse, qui dedit virtutem sacramentis, potuit instituere sacramenta. Et quia causa non dependet ab effectu, sed potius e converso, ideo *quarto* ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse potuit effectum sacramentorum sine exteriori sacramento conferre“ (S. Th. 3. p. q. 64. a. 3.). Videlicet *primo* sacramenta efficaciam habent ex passione Christi, quia per passionem suam merendo Christus gratias acquisivit, quae per sacramenta impertiuntur. *Secundo*

Christus instituit sacramenta, ut per ea merita sua applicaret. *Tertio* sacramenta igitur nomine Christi administrantur. *Quarto* potuit tamen Christus effectum sacramentorum sine exteriori effectu conferre. Iam secundum haec Christus in quantum homo per ministros tamquam legatos suos sacramenta conficit atque iisdem tamquam instrumentis utitur ad effectus eorum, nominatim gratiam conferendam, atque sub hoc respectu causa principalis gratiae sacramentalis est. Quare *Augustinus*: „Hic (Christus) est, qui baptizat in Spiritu Sancto, nec sicut Petilianus dicit, iam baptizare cessavit, sed adhuc id agit, non ministerio corporis, sed invisibili opere maiestatis“ (c. litt. Petil. l. 3. c. 49. n. 59.). Atqui sacramenta esse instrumenta ipsius Christi in quantum est homo, ad gratiam conferendam, commode intelligitur in sententia statuta, secundum quam sacramenta sunt signa practica, quibus iuridice gratia confertur. Et certe Christus in quantum homo propria potestate excellentiae gratiam iuridice confert et proinde intelligitur esse causa principalis, quemadmodum homo est, qui propria auctoritate alicui aliquod ius confert. Sacramenta autem intelliguntur esse instrumenta Christi, quia tamquam signa practica non propria virtute, sed virtute a Christo communicata gratiam conferunt. Atque certe omnia sub hoc respectu in sacramentis inveniuntur, quae ad notionem instrumenti essentialiter requiruntur. Et *primo* quidem instrumentum habet propriam et naturalem actionem, qua ad effectum principalis agentis operatur; haec autem propria et naturalis actio sacramentorum, utpote quae signa sensibilia sunt, nihil aliud est, quam in sensus agere. *Secundo* instrumentum exercendo actionem propriam facit actionem instrumentalem; ita sacramenta agendo in sensus simul, quatenus subsunt Christo, vel quatenus ab ipso instituta sunt atque eius nomine administrantur, ius ad gratiam non solum significant, sed etiam conferunt. *Tertio* operatio instrumentalis operationis instrumenti naturalis certa tantum est modificatio et elevatio, cuius ea ex ipsa sua indole capax est. Atqui haec etiam proprietas in doctrina statuta in sacramentis observatur. Etenim in sensus agere et intellectum ad cognoscendum

determinare naturalis prorsus signorum sacramentalium operatio est; huius autem operationis altera, qua sacramenta, ut subsunt institutioni et usui Christi, significant et conferunt ius vel exigentiam ad gratiam, certa tantum est modificatio et elevatio, cuius signa sacramentalia ex ipsa sua indole sunt capacia. Apte igitur omnino et commode in sententia statuta intelligitur, sacramenta esse instrumenta ipsius Christi in quantum est homo.

25. ***4. Praeterea commode explicatur, sacramenta esse instrumenta Christi, in quantum est Deus, vel ipsius Dei.*** — Nimirum Deus non solum remote est causa principalis gratiae sacramentalis, quatenus humanitas Christi est altera Verbi natura et quasi instrumentum eius coniunctum, vel quatenus omnis humanitatis Christi operatio *ut principii quo*, Verbo tribuenda est *ut principio quod*: neque Deus improprie solum causa principalis gratiae sacramentalis est, quatenus solus eam gratiam physice efficit, quam sacramenta iuridice conferunt; sed Deus ipsius etiam immediati effectus sacramentorum i. e. iuridicae collationis gratiae immediate et proxime causa principalis habendus est. Etenim sacramenta vera et propria instrumenta ipsius Dei sunt, ut iam supra (thes. 10. n. 5.) ex doctrina Concilii Tridentini atque aliunde statutum est; atqui talia non sunt in physica efficientia gratiae; ergo talia sunt in iuridica eiusdem collatione. *Praeterea* sacramenta administrantur non solum in nomine Christi, in quantum est homo, sed in nomine eius, in quantum etiam Deus est; vel immo in nomine ipsius Dei unius et trini administrantur. Et profecto necessario ita est, quia Christus secundum divinam naturam vel ipse Deus unus et trinus potestate auctoritatis, i. e. simpliciter et absolute principalis nec cuipiam subordinata causa principalis sacramentorum et collationis gratiae est. Ergo sacramenta ipsius Dei unius et trini verba vel signa practica sunt.

His suppositis sacramenta eadem ratione in doctrina proposita intelliguntur esse instrumenta Dei, qua instrumenta Christi hominis esse supra explicatum est: neque igitur nova huius rei expositio proponi debet.

5. Tandem nonnulla alia adhuc in doctrina proposita commode et apte explicantur. — Explicatur *primo*, quare formae sacramentorum secundum suam significationem sint potius indicativae vel imperativae, quam deprecativae. Explicatur *praeterea*, qua ratione causalitas sacramentorum differat a causalitate sacrificii, cum haec scilicet sit ad instar interpellationis impetrativae, illa ad instar ordinationis imperativae vel iuridicae collationis. Explicatur *denique*, cur sacramenta excepto matrimonio praesentibus tantum et contactu physico conferantur. Etenim tales ad officia deputationes, dignitatum collationes, iuris declarationes signis practicis factae, quales sunt sacramenta, inter homines etiam ad praesentes diriguntur; atque signa practica, quibus fiunt physice hominibus investiendis applicantur; exempla sunt, initiatio sacerdotum in omnibus fere religionibus usitata, consecratio vel alia similis signo externo facta constitutio regum apud omnes fere populos fieri solita, coronatio imperatorum germanico-romanorum medio aevo per summum pontificem facta, sollemnis in ordinem equestrem cooptatio, promotio ad lauream doctoratus, sententia iudicialis in iudiciis forensibus lata et alia. Ergo etiam sacramenta pro indole ea, quae ipsis sententia statuta adscripta est atque accommodata ad naturam humanam, cui Deus se accommodat, praesentibus atque physico contactu conferri debent. (Cf. de hoc argumento demonstrationem, qua supra (th. 10. n. 16.) causalitas ea, quae moralis dici consueverit, reiecta est.) 26.

Scholion.

Difficultates quaedam solvuntur. — Pleraeque difficultates, quae fieri possunt, iam in demonstratione thesis atque explicationibus praemissis praeoccupatae sunt; restant solum aliquae, quae declaratione aliqua indigent. 27.

1) Primo obiicitur: *Ex doctrina statuta sacramenta non causant nisi dispositionem; atqui quod causat solum dispositionem ad effectum aliquem, ipsius effectus causa non est*; *ergo sacramenta in hac doctrina ipsius gratiae causae non*

sunt. — *R. d. maiorem*: Sacramenta causant dispositionem, quae solum sit removens impedimentum vel solum det potentiam ad formam effectus: *n.*; causant dispositionem, quae formaliter dicit exigentiam gratiae vel ius ad eam necessario et infallibiliter actuandam, dummodo suscipiens non habeat obicem: *c. d. etiam minorem*: Qui causat dispositionem exigitivam effectus, ipsius effectus causa non est; *n.;* qui causat dispositionem effectus non exigitivam: *sbd.;* si solum removet prohibens; *c.;* si dat positivam potentiam ad effectum: *tr.* Et negatur consequens et consequentia.

28. *Verum argumentum urgeri potest*: Homo generans ex eo, quod in materia inducit dispositionem exigitivam infusionis animae rationalis, nullatenus dicitur causa animae. Ergo pari ratione in doctrina statuta sacramentum non est causa gratiae. — *R. n.* paritatem et consequentiam. Et certe disparitas inter utrumque effectum eiusque productionem satis manifesta est. Videlicet pater dicitur causa filii, non vero causa animae, quia eius proprie est causari vel fieri cuius est esse; iamvero esse proprie est filii, non animae, quia filius est una per se et tota substantia, anima autem solum est pars substantiae. Id igitur, quod de novo fit, est proprie totus homo. Haec est ratio, cur pater non dicatur causa animae, sed simpliciter filii. Abstractione autem facta ab hac ratione loquendi et si solus influxus causalis prae oculis habeatur, pater posset dici causa animae filii, non utique creativa vel perficiens, sed disponens. E contra autem gratia cum anima non est unum per se ens, neque de novo igitur fit ens per se unum compositum ex homine et gratia, cum gratia producitur, sed de novo fit solum aliqua qualitas, quae animae accidentaliter inhaeret. Atque proinde sacramenta, aliter quam pater relate ad animam filii, recte gratiam causare dicuntur. *Praeterea* alia differentia est inter animam et gratiam. Scilicet anima rationalis est substantia, quae habet proprium esse independens a corpore; quare qui solum causa est, ut anima infundatur in corpus, ideo nondum est vel dicitur causa animae simpliciter. Ex adverso gratia est accidens; accidentis vero esse est inesse, et ideo quod est causa,

ut gratia iusit, est etiam causa, ut simpliciter sit. Ergo iterum sacramenta recte causa gratiae dicuntur, quamvis pater non dicatur causa animae filii. — *Denique animadvertendum est*, loquendo in rigore philosophico, qui hic tamen non est attendendus, neque Deum proprie dicendum est causam gratiae, sed hominis secundum eam: „Dicendum, inquit *S. Thomas*, quod, sicut dicit Boëtius, accidentis esse, esse inesse. Unde omne accidens non dicitur ens, quasi ipsum esse habeat, sed quia eo aliquid est; unde et magis dicitur entis, quam ens . . . Et quia eius est fieri vel corrumpi, cuius est esse, ideo proprie loquendo nullum accidens neque fit, neque corrumpitur: sed dicitur fieri vel corrumpi, secundum quod subiectum incipit vel desinit esse in actu secundum illud accidens. Et secundum hoc etiam, gratia dicitur creari, ex eo quod homines secundum ipsam creantur, id est, in novo esse constituuntur ex nihilo, id est, non ex meritis, secundum illud Ephes. 2, 10: ‚*Creati in Christo Iesu in operibus bonis*'" (in Boëtium, q. 110. a. 2. ad 3.). Pari igitur ratione de sacramentorum causalitate relate ad gratiam loquendum esset, si rigor philosophicus attendi debeat. *Verum quaeritur hic*, num in doctrina statuta, sacramenta verum influxum causalem quoad infusionem gratiae exerceant; hunc affirmamus, seponimus autem quaestiones de ratione loquendi.

2) Secundo obiicitur: Sacramenta sunt verae causae 29.
gratiae; atqui in doctrina proposita sacramenta solum significant gratiam, non autem eam causant; ergo doctrina proposita non sufficit, sed immo falsa est. — *R. d.* mai.: causae physicae vel morales in sensu consueto, *n.*; causae dispositivae et intentionales vel imperativae, *c.*; *d.* pariter min.: Non causant gratiam physice vel moraliter, *c.*; non causant eam dispositive et intentionaliter vel ad instar signorum practicorum, *n.* Et *n.* consequens et consequentiam.

Verum instari potest: Signa, ut talia, vel significando 30.
non causant; etenim significatio ut talis est relatio; relatio autem nunquam rationem causae habet; ergo . . . *R. n.* min. subs. et ration. addit. *d.*: significatio est relatio, quatenus dicit solam connexionem inter signum et rem sig-

natam ut talem: *c.*: quatenus dicit vim illam quasi spiritualem, qua in sensus agendo aliquid notificat: *n.* Et minore transmissa *n.* consequens et consequentiam. Scilicet signa, ut subsunt causae intellectuali notificant aliquid intellectui et non solum notificant, sed etiam imponunt ordinationes rationis practicae, deferunt iura et ita porro.

31. *Instant tamen iterum*: Atqui praecise iura conferre signa non possunt; etenim nulla proportio est inter signa, utpote res materiales, sensibiles et iura, quae sunt entia vel rationes obiectivae ordinis spiritualis. — *R. d.* min. subs.: non efficiunt iura: *tr.;* non deferunt iura ad certum subiectum, vel non investiunt iisdem: *sbd.*: signa in se spectata. *c.;* ut subsunt tamquam instrumenta causae intelligenti: *n.* Rationem additam *d.*: non est proportio inter signa, ut sunt res sensibiles et iura: *c.*; ut sunt instrumenta causae intelligentis: *sbd.*: non est proportio ea, quae requiritur inter causam principalem et effectum: *c.*; non est proportio ea, quae requiritur inter causam instrumentalem et effectum: *n.* Videlicet *primo*, quae opponuntur, probari nequeunt. Immo pugnant cum persuasione communi, secundum quam contractibus aliisque signis practicis reipsa iura conferuntur, obligationes imponuntur et ita porro. *Praeterea*, si signa sensibilia, ut subsunt causae intelligenti rationem interpellationis impetrativae relate ad Deum habere possunt, nullatenus intelligitur, cur non possint tamquam instrumenta causae intelligentis homines investire iuribus; immo facilius hoc, quam illud intelligitur. *Denique* si concedendum esset, signa practica talia secundi generis non haberi, quod nequaquam conceditur, nondum tamen doctrina proposita esset relinquenda: manerent enim signa practica tertii generis supra (thes. 8. n. 11.) explicata, quae substituendo signis secundi generis tota doctrina quoad reliqua sustineri posset. Sed retinenda potius est doctrina integra ad eum modum, quo est proposita.

32. *3) Denique obiiciunt: Si causalitas sacramentorum est ordinis intentionalis, tunc etiam effectus saltem immediatus ens intentionale est: atqui ens intentionale est ens rationis et contradistinguitur ab ente reali ergo sacramenta, utpote*

quae ens rationis tantum, non autem ens reale producant, non sunt causae reales. — *R. c.* mai.; *d.* min.: est ens rationis improprie dictum et contradistinguitur ab ente reali, quod est ens physicum: *tr.* vel *c.*; est ens rationis stricte dictum, et contradistinguitur ab ente reali obiectivo, quod complectitur praeter ordinem physicum etiam ordinem metaphysicum, iuridicum et moralem: *n.* Scilicet effectus immediatus sacramentorum non est ens rationis proprie dictum, quod solum in consideratione intellectus consistit, ut sunt tenebrae, relationes Dei ad creaturas et ita porro, sed ad summum late et improprie ens rationis dici potest; est enim ens morale vel iuridicum, ut sunt iura, officia, obligationes et ita porro. Haec autem entia esse valde realia, etsi non physica, perinepte et stulte negaretur.

Corollarium.

33. ***1. Ex doctrina statuta intelligitur, tum superflue, tum incommode intentionem ministri dici constitutivum sacramenti.*** — Ad validam sacramentorum administrationem requiri internam ministri intentionem faciendi quod facit ecclesia vel quod Christus instituit, inter theologos catholicos nunc saltem constat et plane certum est; quaeri autem potest, qua ratione requiratur; num tamquam constitutivum sacramenti, an vero tamquam conditio vel causa efficiens tantum, sine qua sacramentum non existat. Auctores moderni hanc quaestionem tractare non solent; plerique autem, imprimis multi causalitatis moralis defensores supponere videntur, intentionem ministri non esse constitutivum sacramenti, requiri vero necessario tamquam conditionem vel tamquam sacramenti causam efficientem. Ex opposito autem Cardinalis de Lugo tenet, intentionem esse sacramenti constitutivum. Atque si quidem sacramenta formaliter loquendo essent moraliter actiones Christi, non vero effectus vel operata Christi. necessario ita dicendum esset; et ideo consequenter quidem Cardinalis de Lugo, inconsequenter autem multi causalitatis moralis defensores procedunt. Iam quod ipsam rem attinet,

quamvis alias aliter visum sit, dicendum est, intentionem ministri non esse sacramenti constitutivum; quod triplici ratione probatur:

34. *1) Ratio prima.* — Intentio illius rei est constitutivum, quae formaliter loquendo moraliter est actio ipsius Christi; atqui non ipsum sacramentum positum vel ipsum signum externum vel opus operatum est operatio Christi, sed potius administratio sacramenti vel positio signi seu operis operati; ergo intentio non illius, sed huius constitutivum est. (Cf. thes. 10. n. 13.).

2) Ratio secunda. — Praeterea ‚opus operatum' et sacramentum formaliter et essentialiter omnino idem dicunt; atqui opus operatum, ut terminus hic sumitur a theologis communiter, complectitur solum signum externum, nihil autem quod sive ministro sive suscipienti internum est; ergo etiam sacramentum adaequate per signum externum, materiam et formam, constituitur. — Tum maior tum minor huius argumenti constat ex testimoniis non paucis, quibus supra acceptio termini ‚opus operatum' determinata est (Cf. etiam *Schätzler*, die Wirksamkeit der Sakramente. § 1. u. ff.).

3) Ratio tertia. — Denique intentio ideo videri posset necessario dicenda constitutivum sacramenti, quia ex una parte sacramentis tribuenda est vera collatio iuris ad gratiam, ex altera autem parte signum sensibile ad hoc inefficax videtur; atqui haec ratio non subsistit, quia, ut supra ostensum est, signa sensibilia sine incommodo dicuntur tamquam causae instrumentales iura deferre et certas personas iisdem investire.

35. *Restat igitur*, ut intentio sub diverso respectu dicatur vel causa efficiens sacramenti vel conditio ad sacramentum praerequisita. Et certe commode hoc intelligitur; etenim sine intentione ministri posita illa signa sensibilia non sunt operata Christi nec instrumenta Christi; si autem non sunt instrumenta vel signa practica Christi, deficit significatio saltem practica, quia efficacia deficit. Deficiente autem significatione practica vel efficacia, constitutivum sacramenti deficit, quia sacramenta signa non speculativa, sed practica sunt. — Atque haec, si prae oculis habeantur, argumenta Cardinalis de Lugo

(disp. 2. s. 7.) facile solvuntur, vel potius ipsa hac expositione iam soluta sunt. Si vero dicatur, sacramenta formaliter loquendo esse moraliter operationes Christi, tunc argumentum eiusdem auctoris ex ipsa hac assertione ductum insolubile restat.

2. De potentia humanitatis Christi operandi miracula. — Ex doctrina statuta commode etiam intelligitur, qua ratione humanitas Christi operata sit miracula. Quod paucis explicandum est. 36.

1) Explicatur, quommodo miracula non operata sit. — *Primo* humanitas Christi utpote creatura certe non est causa principalis miraculorum; quia sicuti creare ita et miracula proprie dicta patrare solius Dei est. Est igitur humanitas Christi causa miraculorum instrumentalis. Non autem *secundo* videtur esse eorundem causa instrumentalis physice perficiens: etenim opinio humanitati Christi asserens hac in re causalitatem physicam perficientem iisdem fere incommodis urgetur et obscuritatibus scatet ac sententia causalitatis physicae sacramentorum; nominatim non intelligitur, quam propriam actionem exercendo instrumentaliter operetur ad effectum miraculorum; deinde absentes et distantes miraculose Christus sanavit, cum instrumentum physice perficiens non operetur in distans; denique quemadmodum creatura non potest esse instrumentum creationis, ita neque miraculorum operationis, quia haec illi est aequivalens. *Tertio* humanitas Christi neque causa moralis instrumentalis miraculorum fuit eo solum, quod orationibus a Deo ea impetraverit; etenim talis sententia iisdem fere vel similibus incommodis urgetur ac causalitas moralis sacramentorum supra reiecta; imprimis hac ratione humanitas Christi non esset proprie causa instrumentalis; praeterea parum potentiae ita humanitati Christi tribuitur; denique ista explicatio non consonat relationi, quam de effectione miraculorum per Christum exhibet Scriptura, ut statim ostendetur.

2) Explicatur, quommodo miracula reipsa operata sit. — *Quarto* scilicet dicendum est, humanitatem Christi vel Christum in quantum homo, operatum esse miracula potestative vel in- 37.

strumentaliter dispositive vel imperative eo fere modo, quo supra dictum est, sacerdotem operari transsubstantiationem. Scilicet Christus etiam in quantum homo, ex divina auctoritate imperium detulit ad subiecta physice miraculose immutanda atque hac ratione infallibilem designationem ordinationem exigentiam posuit, ut virtute physica divina continuo miraculose immutarentur. Et hac ratione clare apparet, humanitatem Christi fuisse causam instrumentalem miraculorum, etenim naturalem actionem ponebat, scilicet externam actionem, contactum, imperium verbis pronuntiatum etc.; et hac eadem actione operabatur instrumentaliter, quatenus ex divina dispositione tale imperium efficax erat. — *Porro animadvertendum est*, Christum ad modum habitus vel permanenter habuisse virtutem instrumentalem vel potentiam libere patrandi miracula omnia, quaecumque ad Incarnationis finem conducebant; etenim habebat eam per ipsam unionem hypostaticam, per quam organum Verbi coniunctum erat. Simili ratione sacerdos permanenter habet formam instrumenti divini, scilicet characterem, per quem aptus est ad exercendas functiones sacramentales sub Deo causa principali. Atque analoga ratione physica instrumenta formam instrumentalem habent permanentem, per quam fiunt apta ad instrumentalem actionem, quemadmodum securis est per aciem. Quare Christi potentia miracula patrandi duplici ratione differt ab eadem potentia, ut in Sanctis invenitur, atque iis praestat: *primo* quidem, quia in Christo operatio instrumentalis et operatio principalis ab eodem supposito procedebant, quod in duplici natura divina et humana operabatur. *Deinde* praeter Christum nullus Sanctus potentiam miraculorum per modum habitus habuit; neque enim Sancti, quandocumque volunt, miracula patrare possunt. Ad rem *S. Thomas*: Sic agunt „quodammodo spiritus humani vel angelici, ut instrumentum divinae virtutis ad miraculi perfectionem; non quasi aliqua virtute habitualiter in iis manente, vel gratuita vel naturali, in actum miraculi possint (quia sic quandocumque vellent, miracula facere possent; quod tamen Gregorius (in II. Dial., ubi sup.) non esse verum testatur; et probat per exemplum Pauli, qui

stimulum a se removeri petiit, nec impetravit; et per exemplum Benedicti, qui detentus fuit contra suam voluntatem per pluviam sororis precibus impetratam); sed virtus ad cooperandum Deo in miraculis in sanctis intelligi potest ad modum formarum imperfectarum, quae intentiones vocantur, quae non permanent, nisi per praesentiam agentis principalis, sicut lumen in aere et motus in instrumento; et talis virtus potest intelligi donum gratiae gratis datae, quae est gratia virtutum vel curationum; ut sic haec gratia, quae datur ad operandum supernaturaliter, sit similis gratiae prophetiae, quae datur ad supernaturaliter cognoscendum, per quam Propheta non potest quandocumque vult prophetare; sed solum cum spiritus prophetiae cor eius tangit, ut Gregorius probat (in 1. homil. sup. Ezech.). Nec est mirum, si per hunc modum spirituali creatura Deus instrumentaliter utitur ad faciendum mirabiles effectus in natura corporali, cum etiam corporali creatura utatur instrumentaliter ad spirituum iustificationem, ut in sacramentis patet" (de pot. q. 6. a. 4.).

38. *Atque haec explicatio potentiae Christi miracula patrandi praeclare per ipsam Scripturam confirmatur.* Etenim *primo* exhibet Christum potestative seu per modum imperii miracula patrasse. Sic paralyticum sanavit verbis pronuntiatis: „*Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam*" (Mat. 9, 6.). Hoc autem imperio Christum etiam, in quantum homo, miraculum patrasse ex immediate praecedentibus patet: „*Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico*" (ib.). Scilicet in quantum homo etiam dimisit peccata, secus neque hominibus hanc potestatem communicare potuisset; ergo etiam in quantum homo patravit hoc miraculum. — Imperio leprosum quoque mundavit, quem cum petiisset: „*Domine, si vis, potes me mundare*" sanavit dicens; „*Volo mundare*" (Matth. 8, 2. 3.). — Atque iterum imperio suo Lazarum suscitavit: „*Lazare, veni foras*" (Ioan. 11, 43.). *Atque hic notetur*, non ad orationem Christi, sed ad imperium eius Lazarum resurrexisse. Neque oratio Christi eo spectabat, ut Deus statim ad orationem istam Lazarum suscitaret, utpote

quod factum non est, sed potius, ut imperio suo illum potestative posset resuscitare, quemadmodum dein fecit, verba pronuntiando: ‚*Lazare, veni foras.*' Huc spectant etiam sanatio manus aridae: „*Extende manum tuam*" (Luc. 6, 10.); sanatio hominis triginta octo annis aegroti: „*Surge, tolle grabatum tuum et ambula*" (Ioan. 5, 8.); resuscitatio iuvenis a civitate Naïm: „*Adolescens tibi dico, surge*" (Luc. 7, 14); sedatio tempestatis: „*Tunc surgens increpavit ventum et tempestatem aquae et dixit mari: ‚tace, obmutesce' . . . Porro homines . . . dicebant ad alterutrum: Quis putas, est iste, quia ventis et mari imperat, et obediunt ei*" (Marc. 4, 35—40); resuscitatio puellae mortuae: „*Puella surge*" (Luc. 8, 40—56), atque alia plura. — *Secundo* Christus potentia miraculorum uti poterat, quandocumque volebat. Praeterquam ex aliis hoc iam sequitur ex sola oratione, quam praemisit resuscitationi Lazari: „*Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me; ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu me misisti* (l. c.), Etenim si semper se audiri sibi conscius est, semper quandocumque volebat, miracula patrare potuit. Ceterum hoc idem probant multitudo, continuitas, varietas miraculorum, quae patravit. — *Denique* Christus omnia miracula patrare potuit, quaecumque ad Incarnationis finem ordinabilia erant; instrumentum enim fini debet adaptari et eidem igitur commensurari: „Si . . . loquamur de anima Christi, secundum quod est instrumentum Verbi sibi uniti, sic habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, ordinabiles ad incarnationis finem, qui est instaurare omnia, sive quae in coelis, sive quae in terris sunt" (S. Th. 3. p. q. 13. a. 2.).

Thesis 12. **Doctrina in tota hac quaestione proposita satis aperte auctoritate ipsius S. Thomae fulcitur.**

Declaratio.

1. ***Diversae theologorum de mente S. Thomae sententiae.*** — Quemadmodum in aliis quaestionibus fieri

solet, ita etiam in praesenti controversia diversarum partium patroni ad auctoritatem S. Thomae provocant eamque sibi vindicare student. Et Thomistae quidem et causalitatis physicae perficientis defensores post Caietanum ad unum omnes persuasum habent, S. Thomam ex sua parte stare, cum tamen antiqui Thomistae ante Caietanum plane aliter sentiant. E contra Cardinalis de Lugo quoque eiusque sequaces plerique S. Thomam causalitati morali, qualis ab ipsis defenditur, non obscure patrocinari determinate asserunt. Aliqui tamen ex his auctoribus Doctorem angelicum sibi adversari sincere fatentur. Quae cum ita sint, impedita sane aliquantum apparet inquisitio doctrinae S. Thomae; immerito tamen quis putaret, de mente S. Thomae constare non posse atque frustra de hac re disputari. Quod autem neutri ex partibus praedictis successerit, alteram de sententia S. Thomae eidem adversa et sibimet ipsi favente convincere, id inde, quamvis non unice, potissimum tamen provenire videtur, quod S. Thomas satis certe neutri ex opinionibus istis adhaesit. Revera S. Thomae doctrina satis aliena est ab opinionibus praedictis atque potius explicationi in praecedenti thesi propositae, quae ipsius vestigiis insistendo proposita et evoluta est, quoad summa saltem capita plane consentit. Et quidem prima pars doctrinae prius propositae, scilicet sacramenta esse causas gratiae instrumentales dispositivas, indubia S. Thomae sententia est; altera autem pars, videlicet sacramenta causare ad instar signorum practicorum, si non est certa eiusdem doctrina, magis tamen menti eiusdem consona apparet, quam ulla alia explicatio, atque magis praesertim, quam utraque sententia praedicta. Iam totam de doctrina S. Thomae inquisitionem in duas partes dividimus; *prima* complectitur demonstrationem negativam, in qua ostenditur, doctrinae S. Thomae adversari tum causalitatem physicam perficientem, tum causalitatem moralem. *Secunda pars* continet demonstrationem positivam: probatur scilicet primo S. Thomam sacramentis tribuisse causalitatem instrumentalem dispositivam; et secundo probatur. sacramenta ex ipsius doctrina causare videri ad instar signorum practicorum.

Demonstratio.

I. p. Demonstratio negativa, qua ostenditur S. Thomam nec docuisse causalitatem sacramentorum physicam perficientem neque causalitatem moralem.

2. ***Assertio prima: S. Thomas reiicit sacramentorum causalitatem physicam perficientem.*** — Non uno argumento haec assertio constat; etenim:

1) S. Thomas non semel docet, ita Deum solum esse causam efficientem gratiae, ut appareat omnem causalitatem physicam perficientem etiam instrumentalem a creaturis excludi. — Ita docet v. g. de verit. q. 27. a. 3., atque rationem suae sententiae reddit: „Nulla virtus creata agit nisi praesupposita potentia materiae, vel alicuius loco materiae: potentia autem naturalis creaturae non se extendit ultra perfectiones naturales; unde nullam supernaturalem operationem aliqua creatura efficere potest; et inde est, quod miracula sola virtute divina agente fiunt, quamvis ad miraculi expulsionem (expostulationem?) aliqua creatura cooperetur vel orando vel qualitercumque aliter ministerium adhibendo. Et propter hoc nulla creatura effective gratiam causare potest . . . (Praeterea) ratio sumitur ex fine ipsius gratiae. Finis enim proportionatur principio agenti, eo quod finis et principium totius universi est unum; et ideo, sicut prima actio, per quam res in esse exeunt, scilicet creatio, est a solo Deo, qui est creaturarum primum principium et ultimus finis, ita gratiae collatio, per quam mens rationalis immediate ultimo fini coniungitur, a solo Deo est' (cf. 3. p. q. 64. a. 1; 1. 2. q. 112. a. 1.). Iamvero hac expositione S. Thomas non vult excludere omnem efficientiam gratiae per creaturas; in sequenti enim articulo (4.) sacramenta docet esse causas gratiae, et hoc ipso loco dicit creaturam ad efficientiam gratiae posse cooperari ‚orando vel qualitercumque aliter ministerium adhibendo'. Excludit igitur causalitatem physicam perficientem creaturarum, de qua sola rationes adductae valent; et quidem excludit creaturas ab efficientia gratiae non solum ut causas principales, sed etiam ut causas instrumentales. *Primo*

enim comparat efficientiam gratiae cum operatione miraculorum et cum creatione; atque ab utraque hac actione S. Thomas creaturas excludit etiam tamquam causas instrumentales physicas perficientes. Et quoad creationem hoc patet ex S. Th. 1. p. q. 45. a. 5.; 2. sent. d. 1. q. 1. a. 3.; 4. sent. d. 5. q. 1. a. 3. et q. 3.; quoad alterum autem i. e. miraculorum operationem idem docetur de pot. q. 6. de miraculis a. 4. *Secundo* innuit in testimonio relato creaturas posse cooperari ad gratiam producendam ‚orando vel qualitercumque aliter ministerium exhibendo'; haec autem sane non sapiunt causalitatem physicam perficientem. *Denique* l. c. ex Summa (3 p. q. 64. a. 1.) docet solum Deum interius operari ad effectum sacramenti, non autem ipsa sacramenta, quia „non potest aliquid immediate operari, ubi non est"; haec autem ratio manifesto tantum valet contra causalitatem physicam.

3. 2) *S. Thomas docet, sacramenta participare virtutem humanitatis Christi, in ipsis passionem Christi operari, eadem habere virtutem ex passione Christi, virtutem passionis nobis copulari per sacramenta, virtutem iustificativam sacramentorum derivari a passione Christi, ex passione Christi sacramenta efficaciam habere, eadem habere virtutem per coniunctionem ad Christum crucifixum et passum.* „Sacramenta participant aliquid de virtute illa, qua hominibus humanitas Christi instrumentaliter ad iustificationem operatur. ratione cuius sanctificatus baptismo, sanctificatus sanguine Christi dicitur ab Apostolo Hebr. 10. Unde passio Christi in sacramentis novae legis dicitur operari" (de verit. 22 a. 4.). „Sacramenta ecclesiae specialiter habent virtutem ex passione Christi, cuius virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum" (S. th. 3. p. q. 62. a. 5.). „Virtus passionis Christi copulatur nobis per sacramenta . . . a passione Christi quae est causa humanae iustificationis, convenienter derivatur virtus iustificativa ad sacramenta novae legis" (3. p. q. 62. a. 6.). „Tota virtus sacramentorum a passione Christi derivatur" (3. p. q. 64. a. 7.). Ex passione Christi efficaciam habent et ipsam quodammodo repraesen-

tant" (c. gent. 4, 57.). „Sacramenta habent virtutem per coniunctionem ad Christum crucifixum et passum" (Quodlib. 12. q. 10. a. 14.). Iamvero haec omnia nonnisi incommode intelligi possunt de causalitate physica sacramentorum; etenim quod iam non existit et quod ipsum non physice gratiam causat, neque physicam causandi virtutem impertire commode dici potest; atqui ex doctrina S. Thomae passio Christi nullatenus est causa gratiae physica. Quod constat ex S. Th. 3. p. q. 48., ubi explicatur, qua ratione passio salutem nostram causaverit, videlicet *primo* per modum meriti (art. 1.), *secundo* per modum satisfactionis (art. 2.), *tertio* per modum sacrificii (art. 3.), *quarto* per modum redemptionis (art. 4.), *quinto* per modum efficientiae (art. 6.). Iamvero ex his modis quatuor primi profecto non dicunt causalitatem physicam; dubitari solum posset de quinto ‚*per efficientiam*'; sed neque hic modus causalitatem physicam dicit. Etenim *primo* illud non potest esse causa physica nostrae salutis, quod aliquando quidem exstitit, nunc autem iam non existit. *Praeterea* idem patet ex art. 6. ad tertium: „dicendum quod passio Christi, secundum quod comparatur ad divinitatem eius, agit per modum efficientiae; in quantum vero comparatur ad voluntatem animae Christi, agit per modum meriti; secundum vero quod consideratur in ipsa carne Christi, agit per modum satisfactionis, in quantum per eam liberamur a reatu poenae; per modum vero redemptionis, in quantum per eam liberamur a servitute culpae; per modum autem sacrificii, in quantum per eam reconciliamur Deo." Videlicet haec aperte ostendunt. S. Thomam agere de diversis modis causandi non realiter, sed sola ratione distinctis, seu de diversis denominationibus, quas eadem causalitas pro diversa, sub qua spectatur ratione, accipit. Nimirum ut passio Christi refertur ad naturam humanam, sub diversa ratione salutem nostram per modum meriti, satisfactionis, redemptionis, sacrificii operari dicenda est; ut vero refertur ad divinitatem Christi vel ad Verbum, passio Christi aut nullo modo aut vero per modum efficientiae operata est nostram salutem. Illud nulla ratione dici potest, quia humanitas Christi et propterea etiam actiones et passiones

eius rationem medii habent ad finem nostrae salutis a Deo causa eiusdem principali assumpti; ergo dicendum est passionem Christi per modum efficientiae salutem nostram operatam esse, quia Deo medium exstabat humanae salutis efficiendae. Scilicet actiones et passiones Christi meritoriae ad Deum Verbum pertinent, ut principium quod; et sic Deus Verbum recte dicitur nostram salutem effecisse per passionem humanae naturae; quemadmodum etiam homo merens, non meritum, ut causa efficiens consideratur; non autem dicitur Deus Verbum formaliter meruisse, quia mereri inferioris prae superiore est.

4. 3) *S. Thomas docet sacramenta virtutem instrumentalem habere ex motione Dei et Christi* et hanc motionem esse *primo* ordinationem et institutionem, qua sacramenta a Christo homine et a Deo instituta sunt et ordinata ad nostram sanctificationem; *secundo* motionem hanc consistere in sanctificatione et benedictione ipsis sacramentis impertita; *tertio* motionem eandem esse in dispensatione vel applicatione, quae per ministrum auctoritate Dei et nomine atque in persona Christi fiat. „Hoc modo (sc. a Deo instrumentaliter mota) sacramenta novae legis gratiam causant; adhibentur enim ex divina ordinatione hominibus ad gratiam in eis causandam. Unde Augustinus dicit, haec omnia, scilicet sacramentalia fiunt et transeunt; virtus tamen, scilicet Dei, quae per ista operatur, iugiter manet. Hoc autem dicitur proprie instrumentum, per quod aliquis operatur“ (3. p. q. 62. a. 1.). „Vis spiritualis est in sacramentis, in quantum ordinantur a Deo ad effectum spiritualem“ (q. 62. a. 4. ad 1.). „Virtutem spiritualem sacramentum consequitur ex benedictione Christi, et applicatione ministri ad usum sacramenti“ (ib. ad 3.). Sacramenta „salutem spiritualem operantur non ex proprietate suae naturae, sed ex institutione ipsius Christi, ex qua virtutem instrumentalem consequuntur“ (c. g. l. 4. c. 56.). „Sacramenta operantur ad gratiam, prout sunt quasi mota a Deo ad hunc effectum, qui quidem motus attenditur secundum institutionem, sanctificationem et applicationem ad eum, qui accedit ad sacramenta“ (de verit. q. 27. a. 4. ad 4.). Iam-

vero haec omnia non possunt aliter intelligi, quam quod sacramenta a Christo moventur et ipsius instrumenta ad gratiam producendam formaliter eo sunt, quod ab ipso instituta et ad hominum sanctificationem ordinata sunt atque a ministro Christi nomine agente applicantur; atqui per ordinationem illam et institutionem Christi atque applicationem nomine Christi factam formaliter sacramenta non physice elevantur ad gratiam producendam, ut manifestum est; ergo ex mente S. Thomae sacramenta physice gratiam non attingunt.

5. *1) S. Thomas virtutem sacramentorum virtuti assimilat, quam voces humanae ex causa intelligente habent ad excitandos in audientibus certos conceptus*: „Sicut et in ipsa voce sensibili est quaedam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit a conceptione mentis. Et hoc modo vis spiritualis est in sacramentis, in quantum ordinantur a Deo ad effectum spiritualem" (S. th. 3. p. q. 62. a. 4. ad 1.): atqui virtus illa, quam voces habent ex institutione et usu humano, non est aliqua virtus physica spiritualis, sed tota quanta est ordinis intentionalis vel moralis; ergo . . . — *Confirmatur argumentum primo,* quia *S. Thomas* alibi dicit: sacramentum „est conveniens instrumentum, quia sacramenta significando causant" (de verit. q. 27. a. 4. ad 13.): significatio autem rerum et verborum sacramentalium, ut ipsa vis verborum spiritualis, quidquam physicum non est. *Confirmatur secundo,* quia *S. Thomas* de verbis consecrationis loquens dicit: „Cum haec verba ex persona Christi proferantur, ex eius mandato consequuntur virtutem instrumentalem a Christo" (S. th. 3. p. q. 78. a. 4.); atqui constat, quod ex mandato Christi: ‚*Hoc facite in meam commemorationem*' (Luc. 22, 19.) nulla vis physica illis verbis advenit.

6. *Una solum est exceptio adversariorum quae considerationem aliquam mereatur.* Scilicet opponunt, quae docet *S. Thomas* de differentia, quae est inter sacramenta N. L. et V. L. relate ad efficientiam gratiae: „Nec potest dici, quod (sacramenta V. L.) ex passione Christi virtutem haberent conferendi gratiam iustificandi. Sicut enim ex praedictis patet . . . virtus passionis Christi copulatur nobis per fidem et sa-

cramenta, differenter tamen; nam continuatio, quae est per fidem, fit per actum animae; continuatio, quae est per sacramenta, fit per usum exteriorum rerum. Nihil autem prohibet id, quod est posterius tempore, antequam sit, movere, secundum quod praecedit in actu animae; sicut finis, qui est posterior tempore, movet agentem secundum quod est apprehensus et desideratus ab ipso; at illud quod nondum est in rerum natura, non movet secundum usum exteriorum rerum; unde causa efficiens non potest esse posterior in ordine durationis, sicut causa finalis. Sic ergo manifestum est, quod a passione Christi, quae est causa humanae iustificationis, convenienter derivatur virtus iustificativa ad sacramenta N. L., non autem ad sacramenta V. L." (S. Th. 3 p. q. 62. a. 6.) — *R.* breviter: Nihil hic a S. Thoma affirmatur, quam passionem Christi vel potius Christum passum non potuisse assumere res externas tamquam instrumenta iustificationis, antequam existeret; in vetere autem testamento, in quantum passus vel in quantum homo, nondum existebat; ergo . . . Et profecto hoc illico intelligitur; qualem autem virtutem externis rebus i. e. sacramentis tribuerit, hic a S. Thoma non declaratur.

Nota: Argumentum non spernendum ex notione etiam duci posset, quam S. Thomas tradit, causae instrumentalis; attamen sufficienter hoc iam supra in thesi 8. n. 5. ss. expositum est.

7. ***Assertio secunda: S. Thomas non novit causalitatem sacramentorum moralem supra reiectam.*** — Hanc assertionem, cum ex secunda quoque huius thesis parte eius veritas consequatur, hic breviter absolvere licet, nonnulla tantum obiter notando.

1) S. Thomas nusquam docet, sacramenta sua dignitate Deum movere, neque unquam dicit, eadem ad instar interpellationis apud Deum impetrativae gratiam causare.

2) S. Thomas eam tradit causae instrumentalis notionem, quae in sententia, de qua agitur, nullatenus retineri potest (cf. thes. 8. n. 5. et thes. 10. n. 15.).

3) S. Thomas ea docet de efficacia formae consecrationis, quae cum praedicta sententia plane pugnant. Scilicet *primo* docet sermonem Dei, qui operatus est in creatione rerum,

operari etiam in consecratione: „Sermo Dei operatus est in creatione rerum, qui etiam operatur in hac consecratione, aliter tamen et aliter; nam hic operatur effective et sacramentaliter, id est, secundum vim significationis, et ideo oportet in hoc sermone significari ultimum effectum consecrationis per verbum substantivum modi indicativi et praesentis temporis" (S. th. 3. p. q. 78. a. 2. ad 2.). Atqui sermo Dei non operatur movendo per suam obiectivam dignitatem neque ad instar interpellationis impetrativae; ergo . . . *Secundo* docet, verba Christi eadem ratione efficere consecrationem, qua opera eiusdem humana miracula patrarunt. „Opera miraculosa nulla creatura potest facere quasi agens principale; potest tamen ea facere instrumentaliter, sicut ipse tactus manuum Christi sanavit leprosum. Et per hunc modum verba Christi convertunt panem in corpus Christi" (ib. a. 4. ad 2.). Atqui ex sententia s. Thomae Christus etiam in quantum homo miracula operatus est non oratione ea impetrando, sed potestative, ut supra (th. 11. n. 36. ss.) explicatum est.

2. p.: Demonstratio positiva, qua ostenditur S. Thomam utramque doctrinae propositae partem docuisse.

8.

1. Assertio prima: S. Thomas clare docuit, sacramenta esse causas gratiae instrumentaliter dispositive. – Multis testimoniis haec assertio probari potest; sufficit vero aliqua colligere.

1) *Primo hanc doctrinam clarissime tradit in commentariis super 4. librum sententiarum:* „Et ideo alii dicunt, inquit, quod ex sacramentis duo consequuntur in anima. Unum, quod est sacramentum et res, sicut character vel aliquis ornatus animae in sacramentis, in quibus non imprimatur character, aliud, quod est res tantum, sicut gratia. Respectu ergo primi effectus sunt sacramenta causae aliquomodo efficientes; sed respectu secundi sunt causae disponentes tali dispositione, quae est necessitas, nisi sit impedimentum ex parte recipientis; et hoc videtur magis theologis et dictis sanctorum conveniens" (D. 1. q. 1. a. 4. q. 5.). *Et paulo*

post: „Huiusmodi autem materialibus instrumentis competit aliqua actio ex natura propria, sicut aquae abluere, et oleo facere nitidum corpus: sed ulterius, in quantum sunt instrumenta divinae misericordiae iustificantis, pertingunt instrumentaliter ad aliquem effectum in ipsa anima, quod primo correspondet sacramentis, sicut est character vel aliquid huiusmodi. Ad ultimum autem effectum, quod est gratia, non pertingunt etiam instrumentaliter, nisi dispositive, in quantum hoc, ad quod instrumentaliter effective pertingunt, est dispositio, quae est necessitas, quantum in se est, ad gratiae susceptionem“ (ib.). *Idem* dicit (d. 5. q. 1. a. 3. q. 1. et d. 18. q. 1. a. 3. q. 1.) atque tamquam communem hanc doctrinam exhibet. *Praeterea*, ubi de singulis sacramentis agit, hanc doctrinam repetit. Ita v. gr. d. 23. q. 1. a. 4. q. 3.: d. 24. q. 1. a. 1. q. 5.; d. 26. q. 2. a. 1. ad 5.; d. 26. q. 2. a. 3. ad 2.

9. *2) Non solum autem in commentariis in 4 ll. sent. hanc doctrinam S. Thomas proponit, sed etiam in aliis operibus postea scriptis.* Sic in quaest. disp. de ver. q. 27. a. 4. ad 2. et 3. haec habet: „Ad secundum dicendum, quod sacramenta novae legis non sunt causa gratiae principalis quasi per (se) agentia, sed causa instrumentalis; et secundum modum aliorum instrumentorum habent duplicem actionem: unam, quae excedit formam propriam, sed est ex virtute formae principalis agentis, scil. Dei, quae est iustificare; et aliam, quam exercent secundum formam propriam, sicut abluere vel ungere; et haec actio attingit corporaliter ipsum quidem hominem, qui iustificatur, secundum corpus per se, et secundum animam per accidens, quae huiusmodi corporalem actionem sentit; spiritualiter vero attingit ipsam animam, in quantum ab ea percipitur in intellectu ut quoddam signum spiritualis mundationis. Ad tertium dicendum, quod quia ultimus finis respondet primo agenti tamquam principali, ideo non principaliter agentibus non attribuitur ultimus finis, sed dispositio ad finem ultimum; et sic sacramenta dicuntur esse causa gratiae per modum instrumentorum disponentium.“ Et ad 9. ib. iterum dicit: „Illuminare animam Deo competit

nulla creaturâ mediante, quae ad illuminationem animae agat sicut principale et per se agens; potest tamen esse aliquod medium agens instrumentaliter et dispositive."

10. *Iterum* de potentia (q. 3. a. 4.): „Ad octavum dicendum, inquit, quod in opere iustificationis homo aliquid operatur ministerio tantum per hoc, quod adhibet sacramenta; unde cum sacramenta iustificare dicantur instrumentaliter et dispositive, solutio redit in idem cum solutione praedicta". In hâc autem, scil. ad 7. dixerat: „Quaedam vero creantur, etsi non praesupposita materia, ex qua sint, praesupposita tamen materia, in qua sint, ut animae humanae. Ex parte ergo illa, qua habent materiam in qua, natura potest dispositive operari; non tamen quod ad ipsam substantiam creati naturae actio se extendat."

11. *Excipiunt* plures cum *Caietano* (in 3 p. q. 62. a. 1.), S. Thomam hanc sententiam in summa theologica retractasse, quia scilicet ex una parte ibi iam nihil dicit de dispositione illa praevia ad gratiam et quia ex altera parte expresse ponit, gratiam gratum facientem a Deo principaliter et a sacramento instrumentaliter causari. — *Attamen* his nihil evincitur. Etenim *primo* sacramenta etsi instrumentaliter dispositive tantum causant, verae manent gratiae causae instrumentales; ex eo igitur, quod dicuntur sacramenta esse causae instrumentales gratiae, non sequitur, quod aliter quam dispositive ad gratiam operentur. *Secundo* ex eo solum, quod prioris explicationis in Summa mentionem nullam faciat, nullatenus consequitur, ipsum eandem relinquere; non solum autem nihil expresse retrahit, verum neque ponit quidquam, quod cum priore sententia pugnat. Immo si conferuntur cum invicem expositio facta in commentariis in sententias et ea in summa proposita, perfecta harmonia apparet quoad difficultates propositas, solutiones eorundem, comparationes adhibitas, immo quoad ipsum modum loquendi. Ceterum si S. Thomas aliquam doctrinam retractare vult, non haesitat hoc expressis verbis facere, ut v. g.: „Alii dixerunt, quod in circumcisione conferebatur gratia, etiam quantum ad aliquem effectum positivum, qui est facere dignum vita aeterna, sed non quantum ad omnes

effectus, quia non sufficiebat reprimere concupiscentiam fomitis, nec ad implendam mandata legis, quod etiam aliquando mihi visum est; sed diligenter consideranti etc." (3. p. q. 70. a. 4.). *Tertio* optima ratio redditur, cur S. Thomas manens in eadem sententia de modo causandi sacramentorum eam tamen in summa non iam denuo exposuerit. Videlicet ex ipsa relatione S. Thomae (v. supra n. 8.) apud eos, qui tunc sacramenta veras causas gratiae habebant, explicatio illa modi causandi communis fuisse videtur; in id igitur totis viribus in summa incumbit, ut demonstret sacramenta esse veras causas gratiae; de modo autem, quo causant, ibidem non curat. *Quarto* quaestiones de potentia in fine vitae simul cum summa theologica scripsit et edidit; atqui ibi (ut dictum est) eandem de modo causandi sacramentorum doctrinam clare proponit; ergo. *Quinto* denique in ipsa Summa theologica caput eiusdem sententiae, cum qua cetera elementa necessario et indivisibili vinculo connexa sunt, sc. *rem et sacramentum* iteratis viribus proponit et urget: 3. p. q. 63. a. 6. ad 3.; q. 66. a. 12. ad 1.; q. 73. a. 1. ad 3.; ib. a. 6.; q. 84. a. 1. ad 3.

Assertio secunda: Ex mente S. Thomae sacramenta intentionaliter seu tamquam signa practica causare videntur. — Haec quoque assertio pluribus rationibus probatur.

12. *1) Ratio prima.* — *Primo* constat, effectum immediatum sacramentorum, si sacramenta characterem imprimentia excipiuntur, ex mente S. Thomae non esse ens physicum, sed potius ens morale vel iuridicum. Etenim appellat quidem semel eundem „*aliquem ornatum*" (d. 1. q. 1. a. 4. q. 5. v. supra n. 8.), sed tunc loquitur potius ex sententia aliorum; cum ex propria sententia loquitur effectum eundem appellat „*dispositionem*, quae est necessitas ad gratiae susceptionem" (v. ib.). Atqui haec sapiunt potius effectum moralem vel iuridicum. *Praeterea* idem observare licet, cum de singulis sacramentis tractans explicat, quid sit res et sacramentum; sic quod immediate efficitur in sacramento ordinis est sacra potestas (cf. supplem. q. 35. a. 4.; q. 36. a. 1.); in matrimonio autem est obligatio mutua inter virum et mu-

lierem vel vinculum matrimoniale (cf. ib. q. 42. a. 1. ad 5 et a 3. ad 2.). Atqui potestas et obligatio vel vinculum morale formaliter non sunt quid physicum, sed morale. Iamvero tali effectui ex principiis S. Thomae (cf. supra th. 1. praen. 1) convenit causalitas intentionalis; ergo.

13. 2) *Ratio secunda.* — Huc pertinent ea, quae supra iam prolata sunt (n. 4.). Scilicet S. Thomas docet, sacramenta ex institutione et ordinatione Christi virtutem suam habere; atqui haec in nulla alia sententia tam certo et vere asseruntur, quam in sententia statuta. Etenim secundum eam, quemadmodum signa practica humana ex institutione humana et ordinatione significant et instrumentaliter iuridice conferunt res atque proprietates ordinis naturalis, ita sacramenta tamquam signa practica divina propriissime dicuntur ex institutione et ordinatione divina gratiam significare et conferre: ergo.

14. 3) *Ratio tertia.* — Item huc pertinent ea, quae ibidem (n. 5.) ex S. Thoma producta sunt. Videlicet comparat virtutem sacramentorum cum virtute spirituali, quae est in vocibus humanis, in quantum procedunt a conceptione mentis, et insuper sacramenta significando causare expresse dicit. Atqui haec sane iterum perfecte consonant cum positione, sacramenta esse signa practica; in his enim eadem vis invenitur, quae est in vocibus humanis; atque significando verissime dicuntur causare; ergo. — Eandem doctrinam *S. Thomas* repetit, cum de forma consecrationis agit: „Praedicta verba, quibus fit consecratio, sacramentaliter operantur; unde vis conversiva, quae est in formis horum sacramentorum, consequitur significationem, quae in prolatione ultimae dictionis terminatur. Et ideo in ultimo instanti prolationis verborum praedicta verba consequuntur hanc virtutem, in ordine tamen ad praecedentia; et haec virtus est simplex ratione simplicis significati, licet in ipsis verbis exterius prolatis sit quaedam compositio" (S. th. 3. p. q. 78 a. 4. ad 3.); *atque iterum*: „Haec locutio, inquit, habet virtutem factivam conversionis panis in corpus Christi. Et ideo comparatur ad alias locutiones, quae habent solum vim significativam, et non factivam, sicut comparatur con-

ceptio intellectus practici, quae est factiva rei. conceptioni intellectus nostri speculativi, quae est accepta a rebus; nam voces sunt signa intellectuum . . . Et ideo, sicut conceptio intellectus practici non praesupponit rem conceptam, sed facit eam, ita veritas huius locutionis non praesupponit rem significatam, sed facit eam; sic enim se habet verbum Dei ad res factas per Verbum" (ib. a. 5).

4) Ratio quarta. — Denique huc pertinent ea quoque, 15.
quibus supra (1. p. ass. 2.) ostensum est. S. Thomam non docuisse causalitatem moralem prius reiectam; utpote quibus causalitas intentionalis, quam S. Thomas sacramentis tribuit, accuratius determinatur et ad modum signorum practicorum secundi generis concipiendam esse declaratur.

Scholion.

Doctrina exposita, si substantia eius spectatur, neque a S. Thoma solo neque ab ipso primo est proposita. — Etenim S. Thomas ipse, ut iam supra 16.
dictum est, communem eam appellat; et certe clare eandem magister S. Thomae B. Albertus proposuit; aliquod huius eximii doctoris testimonium iam supra (n. 1.) propositum est. Multis autem aliis etiam ostendi posset, quam perfecte B. Albertus eiusque inclytus discipulus in hoc capite doctrinae concordent ita, ut paene iidem termini, eaedem expressiones, eadem verba apud utrumque occurrant; nominatim eadem omnino videtur esse B. Alberti et S. Thomae acceptio termini „res et sacramentum". Verum haec latius prosequi neque est huius loci neque vacat.

Quaestio tertia.

De effectibus diversorum sacramentorum propriis.

Articulus primus.

De effectu gratiae singulis sacramentis proprio.

Thesis 13. Sacramenta specie diversa diversam gratiam largiuntur.

1. ***1. Argumentum et divisio quaestionis.*** — De effectu omnibus sacramentis communi in praecedente quaestione satis dictum est; restat, ut in praesenti quaestione de effectibus diversorum sacramentorum propriis in genere inquiratur, quia specialis huius rei inquisitio ad tractatus de singulis sacramentis pertinet. Porro ex communi theologorum doctrina duplex eiusmodi effectus proprius exstat: *primo* enim ipse ille effectus communis sub alia consideratione proprius est, quatenus scilicet specie diversa sacramenta gratiam sanctificantem aliquo modo diversam conferunt; *secundo* trium sacramentorum: baptismi, confirmationis, ordinis proprium est, quod characterem conferunt. Iam quod primum illum effectum attinet, praecise de differentia inter gratias a diversis sacramentis collatas vel etiam inter gratiam sacramentalem et extrasacramentalem agendum est; quod vero alterum effectum characterem spectat, tria declaranda sunt, scilicet eius existentia, natura ontologica, natura theologica. Hinc quadruplex huius quaestionis articulus est:

Articulus primus: De effectu gratiae singulis sacramentis proprio.
Articulus secundus: De characteris existentia.
Articulus tertius: De characteris natura ontologica.
Articulus quartus: De characteris natura theologica.

2. ***2. Argumentum et divisio thesis.*** — Gratia sanctificans atque simul cum ea virtutes supernaturales et dona Spiritus Sancti tum per diversa sacramenta ex opere

operato tum extra eadem peccatoribus perfecte contritis et iustis quoslibet actus virtutum ponentibus ex opere operantis conferuntur. Hinc quaeri merito potest, utrum inter gratiam sacramentalem et extrasacramentalem discrimen aliquod intercedat, atque iterum, utrum diversae gratiae sacramentales ab invicem aliqua ratione differant. Et si quidem ad hanc quaestionem affirmative respondeatur, ut respondendum est, altera quaestio oritur, quanam re illud discrimen constituatur. Iam in 1. parte thesis ad primam, in 2. parte ad alteram respondetur. Ad primam autem quaestionem omnes theologi communi consensu affirmative respondent; ad alteram vero respondentes diversi diversas opiniones statuerunt. *Notandum est in antecessum* a pluribus theologis totum huius thesis argumentum satis confuse et implexe tractari, quia effectum illum praevium sacramentorum, de quo supra dictum est, prae oculis non habent.

Demonstratio.

I. p. Gratia sacramentalis ab extrasacramentali aliqua ratione differt atque diversa specie sacramenta diversam gratiam conferunt.

Duplex quidem formaliter huius partis assertio est: verum commode per modum unius demonstratur, cum prima in altera realiter includatur. 3.

Probatur ex fine sacramentorum. — Etenim singula sacramenta, ut ex praecedentibus satis patet, et ab *Eugenio IV.* in decreto pro Armenis exponitur, ad speciales quosdam fines vel ad speciales quosdam effectus in vita christiana necessarios ex natura sua ordinantur. Et quidem ex fine suo non tantum ad certum munus ordinant vel officium deputant, sed insuper auxilia quoque largiuntur, quibus tale officium vel tale munus digne atque recte impleatur. Atqui tale auxilium non continetur in gratia sanctificante, virtutibus et donis, quae in omni iustificatione etiam extrasacramentali infunduntur, quia haec ad eos tantum actus ordinant et disponunt, qui in omni statu et vita christiana requiruntur; neque eiusmodi auxilium in gratia aliorum sacramentorum contine-

tur, utpote quae ad alia et diversa officia deputent et disponant. Ergo gratia sacramentalis seu effectus gratiae a singulis sacramentis collatus a gratia extrasacramentali atque a gratia per cetera sacramenta impertita aliqua ratione differt: scilicet gratiae in genere spectatae superaddit auxilium speciale ad obtinendum finem specialem uniuscuiusque sacramenti destinatum.

4. *Confirmatur argumentum auctoritate S. Thomae, utpote qui eandem quoad substantiam huius rei rationem reddit*: „Gratia secundum se considerata perficit essentiam animae in quantum participat quandam similitudinem divini esse: et sicut ab essentia animae fluunt eius potentiae, ita a gratia fluunt quaedam perfectiones ad potentias animae, quae dicuntur virtutes et dona, quibus potentiae perficiuntur in ordine ad suos actus. Ordinantur autem sacramenta ad quosdam speciales effectus necessarios in vita christiana; sicut baptismus ordinatur ad quandam spiritualem regenerationem, qua homo moritur vitiis et fit membrum Christi; qui quidem effectus est aliquid speciale praeter actus potentiarum animae: et eadem ratio est in aliis sacramentis. Sicut igitur virtutes et dona addunt super gratiam communiter dictam quandam perfectionem determinate ordinatam ad proprios actus potentiarum, ita gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam et super virtutes et dona, quoddam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem. Et per hunc modum gratia sacramentalis addit super gratiam virtutum et donorum“ (S. th. 3. p. q. 62. a. 2.).

5. *Ad quam S. Thomae expositionem accuratius intelligendam opportune haec notantur*: Gratia sanctificans quasi altera natura est, utpote quae est habitus essentiam perficiens, quo ipsius naturae divinae participes reddimur. Virtutes vero ad gratiam se habent similiter, ac potentiae ad animam; quare quodammodo ex gratia promanant atque proxima actuum supernaturalium principia sunt. Idem fere de donis Spiritus Sancti dicendum est: discrimen vero inter virtutes et dona est, quod virtutibus homo libere utitur vel iisdem ad supernaturaliter deliberate agendum habilis constituitur, per dona autem

potius agitur vel habilis fit, ut speciali instinctu a Spiritu Sancto moveatur.

2. p. Diversitas inter gratiam sacramentalem et extrasacramentalem necnon inter diversas gratias sacramentales explicatur.

In explicanda hac differentia theologi non conveniunt; 6.
tres vero exstant sententiae, quas referre atque quibusdam animadversionibus adnotare sufficit.

1. Sententia prima. — Ut *S. Bonaventura* in 4. d. 1. q. 6. refert, aliqui theologi opinati sunt, gratiam sacramentalem a gratia extrasacramentali necnon gratiam unius sacramenti ab ea alterius intrinsecus essentialiter differre. Haec opinatio non solum difficilis intellectu est, sed fundamento caret atque falsa esse facile intelligitur. Etenim *primo* gratia extrasacramentalis et gratia sacramentalis ad invicem addi possunt atque sic additae unam specifice gratiam sanctificantem constituunt; atque idem de gratiis diversorum sacramentorum dicendum est. Hoc autem cum illa opinione prorsus pugnat. Ergo. *Praeterea* in fontibus revelationis non alia gratia habitualis proponitur praeter eam, qua homo formaliter naturae divinae particeps, filius Dei, et heres vitae aeternae redditur. Ergo gratiae intrinsecus essentialiter diversae gratuito et falso asseruntur.

2. Sententia altera. — *Petro Paludano* opinio tribui 7
solet, gratiae singulorum sacramentorum habitum quendam specialem supperaddi, qui ad actus cuiusvis sacramenti fini respondentes intrinsecus ordinatus sit. Quam sententiam plerique theologi iam ut obsoletam atque improbabilem reiicere solent, quia quaevis gratia sanctificans secum connexos omnes habitus habeat, qui ad quosvis supernaturales actus exercendos requiruntur. Verumtamen impossibilis vel prorsus improbabilis haec sententia non fuerit. Etenim *primo* ratio contra eam allata non multum urget. Videlicet etsi omnis gratia secum connexos habeat habitus et dona, quibus homo ad quoscunque communiter actus supernaturales ponendos habilis fit, nihilominus tamen intelligi adhuc posset, per quodlibet sa-

crementum specialem quandam superaddi habitualem dispositionem, qua peculiari modo iuvatur et inclinatur ad eos actus rite et debite ponendos, qui sacramenti fini respondent, atque ad arcendos illos, qui speciali modo cum sacramento suscepto repugnant. Simili enim modo gratia originalis iustitiae super gratiam communiter dictam necnon virtutes et dona dispositionem permanentem addebat, qua ratio perfecte partibus inferioribus dominabatur.

8. *Praeterea* haec videtur esse ipsius *S. Thomae* sententia, ut patet ex q. 27. de verit. a. 5. ad 12: „Sicut diversae virtutes et diversa dona Spiritus Sancti ad diversos actus ordinantur, ita diversi sacramentorum effectus sunt ut diversae medicinae peccati et participationes virtutis dominicae passionis, quae a gratia gratum faciente dependent, sicut virtutes et dona. Sed virtutes et dona nomen speciale habent, propter hoc quod actus ad quos ordinantur, sunt manifesti. Defectus autem peccati, contra quos sacramenta instituuntur, latentes sunt; unde sacramentorum effectus nomen proprium non habent, sed nomine gratiae nominantur: dicuntur enim gratiae sacramentales, et penes hos sacramenta distinguuntur sicut penes proprios effectus. Pertinent autem isti effectus ad gratiam gratum facientem, quae istis effectibus coniungitur, et sic cum propriis effectibus habent effectum communem, qui est gratia gratum faciens, quae etiam per sacramentum et non habenti datur, et habenti augetur" (cf. ib. ad 15. et in 4. d. 1. q. 1. a. 4. q. 5.).

9. *Opponunt* quidem aliqui cum *Caietano* S. Thomam hanc sententiam in Summa theologica l. c. retractasse, quia hic docet, gratiam sacramentalem ad gratiam communiter spectatam aliquod auxilium addere: nomine enim auxilii donum habituale denotari non posse. Verumtamen haec ratio nulla est. Etenim donum habituale tum in se commode auxilium vocari potest, tum a *S. Thoma* reipsa sic vocatur, ut patet ex alio eiusdem testimonio: „Homo ad recte vivendum, dupliciter auxilio Dei indiget: uno quidem modo, quantum ad aliquod habituale donum, per quod natura humana corrupta sanetur . . . Quantum igitur ad primum auxilii modum, homo

in gratia existens non indiget alio auxilio gratiae, quasi aliquo habitu alio infuso . . .“ (1. 2. q. 109. a. 9.).

3. Sententia tertia. - Communior recentiorum doc- 10.
trina est, gratiam sacramentalem gratiae habituali communi addere solum ordinationem vel ius ad speciales gratias actuales, quibus actus sub fine sacramenti comprehensi excitentur, adiuventur, promoveantur. Quae sententia omnino probabilis apparet, quia in ea finis specialis diversorum sacramentorum obtineri posse facile intelligitur. Etenim sicuti gratia sanctificans tamquam vita supernaturalis in actu primo generatim ordinem et ius dicit ad gratias actuales et actus supernaturales tamquam vitam supernaturalem in actu secundo, ita gratia sanctificans sacramentalis ordinem et ius dicere intelligitur ad gratias actuales et actus supernaturales speciali fini sacramenti respondentes. Scilicet pro diversa indole et proprio fine singulorum sacramentorum gratia in unoquoque sacramento sub speciali aliqua ratione confertur, ut v. g. in ordine sub ratione debitae dispositionis et necessarii auxilii ad munera sacerdotalia sancte administranda; iamvero hic finis sola gratia sanctificante sine gratiis actualibus obtineri nequit; ergo sicuti gratia sanctificans generatim ordinem et ius ad gratias actuales dicit, ita gratia sanctificans sacramento ordinis collata ordinem et ius dicit ad gratias actuales proprio huius sacramenti fini respondentes. Atque similiter de ceteris sacramentis deque gratia ab ipsis collata dicendum est.

Quae sententia praeclare concordat cum doctrina de 11.
causalitate sacramentorum supra statuta eaque magis explicatur. Etenim secundum hanc explicationem sacramenta singula prouti constitutione sua et significatione specifice differunt, ita etiam immediatos effectus habent specifice ab invicem distinctos. Omnes vero hi effectus immediati ius et exigentiam ad gratiam habitualem necnon consequenter actualem tamquam ad suam absolutionem vel perfectionem vel actuationem includunt. Ita sacramentum ordinis immediate sacram potestatem sacerdotalem confert, quae ex natura sua ius et exigentiam tum gratiae habitualis tum gratiarum actu-

alium necessariarum includit; qua ratione sacramentum sua causalitate mediate vel iuridice ipsam gratiam attingit. Et similiter de ceteris sacramentis dicendum est. Hinc autem intelligitur, diversas gratias sacramentales ab invicem differre sola sua relatione ad diversos diversorum sacramentorum effectus immediatos, quae diversitas ipsa gratia in se spectata non interna, sed externa differentia est. Denique intelligitur effectum specificum singulorum sacramentorum dici posse secundum aliam et aliam considerationem vel illum effectum immediatum et praevium, vel totum complexum ex effectu immediato, gratia habituali et gratia actuali, dummodo prae oculis habeatur, specificum discrimen ex solo effectu immediato derivari. Atque haec sedulo consideranda et observanda sunt, ne, ut fieri solet, diversae quaestiones confundantur.

Scholion.

12. ***Num sacramenta vivorum quandoque gratiam primam conferant?*** – Hoc loco iam expediri potest quaestio supra (th. 5. n. 31.) commemorata, num scilicet sacramenta vivorum homini in peccato gravi constituto, sed cum bona fide et attritione universali accedenti gratiam primam conferant. Bona autem fide accedit non solum qui inculpabiliter ignorat se esse in statu peccati, sed ille quoque, qui inculpabili errore putat, ad sacramenta vivorum vel ad aliquod eorum in statu peccati cum sola attritione accedi posse. Porro negative ad hanc quaestionem respondent *S. Bonaventura* (in 4. d. 9. a. 2. q. 3.), *De Lugo* (de euchar. disp. 12. sect. 1.) aliique plures; affirmative vero quaestionem solvunt *S. Thomas* (S. th. 3. p. q. 72. a. 7. ad 2.; q. 79. a. 3.; in 4. d. 9. q. 1. a. 3. sol. 2.; d. 23. q. 1. a. 2. sol. 1.), *Suarez* (disp. 7. sect. 2.) necnon plerique alii theologi. Iamvero haec altera sententia multo probabilior apparet, ut nonnullis rationibus subiectis patebit:

1) Ratio prima. — Ex doctrina *concilii Tridentini* (sess. 7. can. 6. et 7.) sacramenta omnibus iis gratiam conferunt, qui obicem non ponunt. Atqui peccatores attriti et

bona fide ad sacramenta vivorum accedentes obicem non ponunt. Ergo sacramenta vivorum iisdem gratiam primam conferunt. *Minor probatur.* Etenim obex illud est, quod sacramento gratiam in animam influenti impedimentum ponit; iamvero solum peccatum habituale attritione retractatum sive mera privatio gratiae tale impedimentum non ponit: quod patet tum ex sacramentis mortuorum tum ex eo, quod mera formae privatio nunquam formae susceptionem impediat. Ergo. Revera ille solum peccator obicem gratiae ponere intelligitur, qui voluntate vel actualiter vel habitualiter peccato inhaeret: iamvero peccator, qui attritus et bona fide ad sacramenta vivorum accedit neque actualiter peccato inhaeret, quia ratione bonae fidei sacrilegium non committit; neque habitualiter peccato inhaeret, quia per attritionem peccata sua retractavit et affectum peccandi exclusit. Ergo sacramento obicem non ponit: quare sacramentum ei gratiam confert, quae per accidens propter statum subiecti non secunda, sed prima est.

2) *Ratio altera.* — Argumentum ad hominem ducere **13.** licet ex confessione ipsorum adversariorum. Etenim plerique eorum concedunt, extremam unctionem, licet sacramentum vivorum sit, ad gratiam primam conferendam valere; atqui hoc supposito nulla ratio exstat, ob quam idem ceteris sacramentis vivorum denegetur; talis enim ratio neque ex essentia generica sacramentorum vivorum desumi iam potest, utpote quae in extrema unctione invenitur, neque ex essentia specifica singulorum sacramentorum vivorum, quia nulla eiusmodi ratio solida apparet nec unquam allata est. Ergo.

3) Auctoritate S. Thomae confirmatur. — *S. Thomas* **14.** id de tribus saltem vivorum sacramentis docet; et *primo* quidem de confirmatione: „Per hoc sacramentum perficitur poenitentiae effectus, sicut et baptismi, quia per gratiam collatam in hoc sacramento consequitur poenitens pleniorem remissionem peccati; et si aliquis adultus in peccato existens, cuius conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento consequetur remissionem peccatorum“ (S. th. 3. p. q. 72. a. 7. ad 2.). *Deinde* de ss. Eucharistia: „Potest tamen hoc

sacramentum operari remissionem peccati dupliciter: uno modo non perceptum actu, sed voto, sicut cum quis prius iustificatur a peccato: alio modo etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiam et affectum non habet: forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam caritatis, quae contritionem perficiet et remissionem peccati" (ib. q. 79. a. 3.). *Denique* de extrema unctione: „Si invenit peccatum aliquod vel mortale vel veniale, quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis, sicut etiam de eucharistia et confirmatione supra dictum est. Et ideo etiam Iacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur, dicens: *Si in peccatis sit, dimittentur ei,* scilicet quoad culpam; non enim semper delet peccatum, quia non semper invenit" (Supplem. q. 30. a. 1.).

15. *Excipiunt primo*: Sacramenta non aliam nisi eam, quam significant gratiam causant; atqui sacramenta vivorum gratiam primam non significant; ergo eandem nunquam conferunt. — *R. c.* mai. *n.* suppositum minoris. Etenim in ea supponitur, sacramenta gratiam significare directe et per se sub formali ratione gratiae primae vel secundae: iamvero neque sacramenta vivorum gratiam secundam neque sacramenta mortuorum gratiam primam sub hac formali ratione directe et per se significant. Nam denominatio gratiae primae vel secundae denominatio mere externa est, qua gratia non secundum aliquid ei internum, sed solum secundum antecedentem statum iustitiae vel peccati subiecti eadem gratia informandi denominatur. Sacramenta autem gratiam non significant secundum ordinem ad antecedentem statum subiecti ea informandi, sed gratiam significant ut cum immediato sacramenti effectu connexam ideoque fini sacramenti respondentem. Quia vero gratia significata per sacramenta vivorum per se hominem iam iustificatum supponit, ideo sacramenta vivorum per se nec licite nec fructuose ab homine peccatore suscipiuntur. Si vero sacramentum vivorum bona fide ab homine peccatore suscipiatur, sacramentum conferet gratiam propriam, quam significat, quae in hoc casu propter statum subiecti per acci-

dens gratia prima, non secunda est. Sic v. g. sacramentum ordinis peccatori bona fide accedenti gratiam confert, quam significat, scilicet gratiam ad munera sacerdotalia digne obeunda requisitam, quamvis haec gratia regulariter nonnisi homini iam iustificato competat; quod vero eadem gratia in hoc casu non secunda, sed prima est, id ei accidit propter statum suscipientis; nullo vero pacto cum sacramenti significatione pugnare invenitur.

Excipiunt secundo nominatim circa ss. Eucharistiam. **16.** Hoc sacramentum per modum cibi spiritualis operatur; ergo sicut cibus corporalis vitam corporalem supponit et auget, nunquam vero confert, ita et ss. Eucharistia vitam supernaturalem seu gratiam supponit et auget, nunquam vero confert. — *R.* Ratio cibi Eucharistiae conveniens ultra limites urgenda non est. Cibus corporalis vitam sane in comedente supponit, quia hic propria virtute eum in suam substantiam convertere debet; at cibus spiritualis non in animam comedentis convertitur, sed potius in se animam comedentis convertit ideoque non omnino in anima supponit vitam, sed eam producere quoque potest. Quare ex illa analogia sequitur quidem ad servandum ordinem hominem peccatorem sub poena sacrilegii ab hoc sacramento arcendum esse, non vero sequitur, peccatorem attritum et bona fide accedentem fructum eiusdem non percipere. *Praeterea* considerandum est, ss. Eucharistiae non solum cibi, sed medicinae quoque rationem convenire; sub hac autem ratione vitam supernaturalem non necessario supponit, sed eam peccatoribus attritis et bona fide accedentibus restituere posse videtur.

Articulus secundus.

De characteris existentia.

Thesis 14. Tribus sacramentis: baptismo, confirmationi, ordini specialis virtus competit, videlicet in anima characterem imprimunt, sive signum quoddam spirituale atque indelebile.

Declaratio.

1. ***1. De vocabulo characteris.*** — Vocabulum graecum *character* (χαραχτήρ a χαράσσω = sculpo derivatum) etymologice spectatum nihil aliud significat nisi signaculum vel notam, qua res aliqua notatur, ut ab aliis dignosci possit. Hinc characteris nomen in antiquitate adhibebatur ad notam designandam corpori indelebiliter impressam, qua servi vel milites in servitutem vel militiam mancipati esse dignoscebantur. *Item* signum particulare distinctivum, quod pecora inustum gerunt, characteris nomine venit. Inde vero nomen translatum est ad expressam imaginem in spiritualibus designandam. Apposite *S. Thomas*: „Character vel signaculum dici potest per quandam similitudinem omne, quod configurat alicui, vel distinguit ab alio, etiamsi non sit sensibile, sicut Christus dicitur *figura* vel *character paternae substantiae*, secundum Apostolum Hebr. 1.“ (S. th. 3. p. q. 63. a. 1. ad 2.). *Denique* usu loquendi ecclesiastico character est sigillum spirituale per sacramentum animae indelebiliter impressum, quo homo ad officia cultus divini specialiter deputatur.

2. ***2. Doctrina catholica de charactere sacramentali.*** — Porro characterem a sacramentis imprimi negavit *Wicleffus* haeresiarcha, quem hac in re secuti sunt ceteri haeretici plerique; atque illam doctrinam catholicam tamquam scholasticum commentum ab Innocentio III. inventum traducunt; de qua re infra accuratius dicetur. Catholicam de charactere sacramentali doctrinam contra haereticos

vindicavit *Concilium Tridentinum*: „Si quis dixerit, in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit" (sess. 7. can. 9.). Idem iam antea a *Concilio Florentino* in decreto pro Armenis declaratum erat: „Inter haec sacramenta (N. L.) tria sunt: Baptismus, Confirmatio et Ordo, quae characterem, id est, spirituale quoddam signum, a ceteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt."

3. Ratio demonstrationis. — Iam in praesenti 3.
thesi ecclesiastica doctrina praesertim de existentia characteris demonstranda est quaestionibus de natura eiusdem ad sequentes theses dilatis. Ut vero in hac demonstratione, quia Scripturae doctrina manifesta claritate caret, clare et sine ambagibus procedatur, primo loco traditionis doctrina proponitur sive ex universali ecclesiae consensu arguitur; secundo loco Scripturae doctrina examinatur; quare duplicem demonstrationis partem discernere placet. Ratio theologica thesis vero in corollario adiecto exhibetur.

I. p. Doctrina de charactere sacramentali manifesto in Traditione continetur.

Cum haec demonstratio exempli vel normae instar 4.
esse possit, secundum quam etiam in aliis quaestionibus ex traditione argumentandum sit, imprimis diligenter et accurate expolienda est. Quare in quaedam capita ita dividitur, ut a clarioribus et posteriorum temporum testimoniis ad minus clara prioris ecclesiae aetatis procedatur.

1. Medio aevo universalis in ecclesia exstitit consensus de existentia characteris sacramentalis. — Revera definitio hac in re a Concilio Tridentino statuta non est nisi authentica expressio et declaratio doctrinae, quam tota ecclesia iam diu communiter profitebatur. Etenim

id patet *primo* ex decreto ad Armenos supra (n. 2.) iam relato. *Deinde* huius rei testis est *Gregorius IX.* in litteris ad Archiepiscopum Baranensem declarans: „Consultationi tuae taliter respondeo, quod eos qui extra tempora statuta sacros ordines receperunt, characterem non est dubium recepisse; quos pro transgressione huiusmodi (primo eis poenitentia imposita competenti) sustinere poteris in susceptis ordinibus ministrare" (Decret. l. 1. t. 11. c. 16.). *Item* testis est *Innocentius III.* decreto adversus Petrobrussianos, in quo disertis verbis de charactere baptismali agit: „Inter invitum et invitum, coactum et coactum alii non absurde distinguunt, quod is, qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, et ne detrimentum incurrat, baptismi suscipit sacramentum, talis sicut et is, qui ficte ad baptismum accedit, characterem suscipit christianitatis impressum et ipse tamquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam fidei christianae . . . Ille vero, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit sacramenti, quia plus est, expresse contradicere, quam minime consentire . . . Dormientes autem et amentes, si prius quam amentiam incurrerent aut dormirent, in contradictione persisterent, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, etsi fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt sacramenti; secus autem, si prius catechumeni exstitissent et habuissent propositum baptizandi, unde tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare. Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariae non invenit obsistentem" (Decret. l. 3. t. 42. c. 3.). *Denique* idem ostendit *constans et universalis theologorum scholae consensus*; utpote, qui ad unum omnes existentiam characteris ad communem fidem pertinere dicunt, quamvis controversias agerent de natura characteris atque de via, qua existentia eiusdem demonstretur. Apposite *S. Thomas*: „Characterem in sacramentis quibusdam imprimi omnes moderni confitentur, sed in modo ponendi ipsum in anima partim differunt et partim conveniunt" (In 4. d. q. 1. a. 1.).

Ex testimoniis propositis iudicium ferri iam potest de 5.
Protestantium contradictione; scilicet *opponunt primo*, ut iam supra dictum est, Innocentiam III. demum characteris inventorem exstitisse; *praeterea opponunt* inter ipsos Scholasticos de charactere sacramentali controversias exstare atque ex eorum opinione nihil certi hac de re statui posse, neque immerito aliquos theologos huius dissensus atque incertitudinis testes adducere videntur. Ita *Scotus* characterem ex documentis fidei non satis demonstrari posse putat atque suam hac de re disputationem concludit: „Propter solam auctoritatem ecclesiae, quantum occurrit ad praesens, est ponendum characterem imprimi“ (In 4. d. 6. q. 9.). Similiter *Durandus*: „Omnes moderni profitentur imprimi characterem in aliquibus sacramentis, et nos loquentes ut plures dicamus cum eis, characterem non nihil esse“ (In 4. d. 4. q. 1.). Item *Caietanus* notat: „quod sacramenta imprimere characterem, ex s. Scriptura non habetur, sed ab ecclesiae auctoritate et non multum antiqua“ (In 3. p. q. 63. a. 1.). *Denique Gabriel Biel*: „Magis videtur consonare determinationi ecclesiae ponere characterem, quam eius oppositum. et communiter schola theologorum tenet“ (In 4. d. 6. q. 2. a. 3. dub. 1.).

R.: haec, quae a Protestantibus opponuntur, eiusmod. non sunt, quibus adducta testimonia ullo modo infirmentur. Et *imprimis* quidem tantum abest, ut Innocentius III. inventor characteris exstiterit, ut ex ipsis eius verbis potius contrarium prorsus manifestum sit. Scilicet tum episcopus interrogans tum Pontifex respondens existentiam characteris sacramentalis tamquam rem omnibus compertam et in communi fide positam supponunt. Atque idem prorsus ex testimonio Gregorii IX. patet. Quod *deinde* dissensum theologorum obiectum attinet, plura notanda sunt: *Primo* distinguendum est inter ipsam existentiam characteris ex una parte et naturam eiusdem necnon argumenta, quibus demonstratur, ex altera parte; iamvero dissensus et controversia theologorum non circa primum sed circa alterum versabantur; quod iam notat *B. Albertus*: „De charactere in sensu, quo magistri disputant, de eo parum invenitur in dictis sanctorum“ (In 4.

d. 6. a. 4.). Existentiam vero characteris communi fide receptam fuisse, ipsa testimonia obiecta demonstrant. *Secundo* iudicium de scholae sententia generatim non ex trium vel quatuor solum theologorum sententia, sed ex doctrina omnium moraliter theologorum formandum est: tres enim vel quatuor dissentientes moralem consensum non tollunt. *Denique tertio* communem medii aevi fidem in antecedenti traditione imo quadantenus in ipsa Scriptura fundari subsequens expositio ostendet.

6. ***2. Eandem doctrinam ecclesia saeculo quinto professa est.*** - Etenim constans fuit inde ab apostolica aetate catholica fides, tria sacramenta: baptismum, confirmationem, ordinem semel valide collata iterari non posse. De *baptismo* id testantur tum Patres et Scriptores ecclesiae (ut *Tertullianus*, de pudicit. c. 16.: *S. Dionysius Alexandrinus* apud Euseb., hist. eccl. l. 7. c. 9.: *S. Irenaeus*, adv. haeres. l. 1. c. 21. n. 2.; *Epiphanius*, haeres. 42. n. 3.: *Optatus Milevitanus*, de schism. Donat. l. 1. c. 10; l. 7. c. 4;) tum decreta conciliorum necnon Romanorum Pontificum (ut *Concilii Arelatensis* can. 1. ap. Denz. Ench. n. 19., *Concilii Nicaeni* can. de baptism. haeretic. 8. 19. ap. D. n. 19. 20., *Concilii Carthag.* I. can. 1., *Concilii Laodiceni* can. 7. et 8., *Concilii Arelatens.* II. c. 16. et 17., *Concilii Constantin. I.* canon quidam, qui tamen Trullanae esse videtur., *Stephani I.* decret. cont. Rebaptizantes ap. D. n. 14., *Liberii* et *Siricii* decreta de baptismo haeretic. ap. D. n. 21., *Innocentii I.* decret. de baptismo haeretic. ap. D. n. 62., necnon S. Leonis epist. 159. ad Nicet. c. 6. et 7. Imo ipsi *Episcopi Africae rebaptizantes* ac postea *Donatistae* huius apostolicae traditionis testes sunt. Cum illis, referente *Cypriano* ep. 73. ad Iubaianum, controversia non fuit de baptismo denuo conferendo, sed potius baptismum simpliciter conferendum spectabat; hi vero ipso S. Augustino in suis contra Donatistas operibus passim testante minime senserunt, baptismum semel valide collatum iterari non posse, sed illud solum pertinaciter contendebant, baptismum extra ecclesiam vel etiam intra ecclesiam a peccatore saltem publico administratum valere non posse. *Item*

ex communi antiquitatis fide *confirmatio* iterari non potest, utpote quod sacramentum, quia simul cum baptismo conferebatur eiusque perfectio dicebatur, etiam in hac quaestione sub uno cum baptismo comprehendebant (cf. *Optatus Milev.* de schism. Donat. l. 7. c. 4). *Denique* sacramentum *ordinis* quoque semel rite collatum iterari non posse, in communi ecclesiae professione erat, cuius rei testes sunt: *Optatus Milevitanus* (l. c. l. 2. c. 23.), *S. Hieronymus* (Dial. adv. Lucifer. n. 14.), *Concilium Carthaginense III.* (can. 38.).

Porro illa cum Donatistis controversia catholicis occasio 7.
et ratio fuit, ut communem fidem de non iterandis illis tribus sacramentis accuratius stabilirent eiusque fundamentum inquirerent et aperirent; id enim maxime haec Donatistarum ratio argumenti postulabat: Sacramenta extra ecclesiam nihil sunt, quia Spiritus Sancti gratia extra ecclesiam non est ideoque extra ecclesiam nec haberi nec obtineri potest: ergo baptismus haereticorum invalidus idcoque in ecclesia iterandus est. Iamvero catholici haereticorum doctrinam et maxime istud argumentum refutantes tamquam fundamentum catholici dogmatis de non iterandis tribus sacramentis characterem sacramentalem ab iisdem impressum assignarunt. Scilicet docuerunt, tria illa sacramenta in suscipiente aliquid efficere a gratia independens, perpetuo haerens planeque indelebile, quod appellarunt signum, sigillum et characterem, quo suscipiens specialiter Christo consecretur et mancipatus maneat. Quia vero in controversia cum Donatistis S. Augustinus catholicorum antesignanus erat, ipse imprimis tamquam testis catholicae fidei audiendus est. Itaque:

1) S. Augustinus docet, aliquem effectum sacramenti 8.
operatione Spiritus Sancti productum exstare, qui a gratia sanctificante independens et separabilis sit. — Innumeris fere testimoniis haec assertio vindicari potest; verum modo servato quaedam seligenda sunt, quae in duplicem classem commodo dividuntur:

a) S. Augustinus eam doctrinam *expressis verbis* proponit. Tria scilicet quoad illa sacramenta discernere solet: *primo* ipsum sacramentum, *secundo* operationem Spiritus seu

charisma tributum tum bonis tum malis, *tertio* effectum gratiae, qui nonnisi in bonis esse potest, v. g.: „Cum ergo sit aliud sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit, aliud operatio Spiritus, quae in malis etiam hominibus fieri solet, sicut Saul habuit prophetiam, aliud operatio eiusdem Spiritus, quam nisi boni habere non possunt, sicut est finis praecepti caritas . . . quodlibet haeretici et schismatici accipiant, caritas, quae cooperit multitudinem peccatorum, proprium donum est catholicae unitatis et pacis." (De baptismo l. 3. c. 16. n. 2.). Iterum alibi charisma Spiritus a gratia Spiritus disertis verbis discernit: „Spiritum Sanctum sicut habent filii dilecti, non habent filii maligni, et tamen baptismum habent. Nam Spiritus Sanctus disciplinae fugiet fictum, nec tamen eum fugiet baptismus. Itaque potest baptisma esse, et unde se aufert Spiritus Sanctus . . . Induunt homines Christum aliquando usque ad sacramenti perceptionem, aliquando et usque ad vitae sanctificationem; atque illud primum et bonis et malis potest esse commune; hoc autem alterum proprium est bonorum et piorum. Quapropter si baptisma esse sine Spiritu non potest, habent et Spiritum haeretici, sed ad perniciem non ad salutem, sicut habuit Saul . . ., si autem non habent avari Spiritum Dei et habent tamen baptisma, potest esse sine Spiritu (sc. sanctificante) baptisma" (Ib. l. 5. c. 24. n. 34.).

9. b) Eandem doctrinam saepenumero *aequivalentibus verbis* proponit. Scilicet crebro docet, illa tria sacramenta haerere, manere, esse in homine sive bono sive malo ita, ut amitti vel auferri nunquam possint. „Quomodo desertor habet characterem, et isti baptismum: habent, sed unde damnentur, non unde coronentur; et tamen si desertor ipse correctus incipiat militare, numquid audet quisquam characterem immutare?" (Symbol. c. 8. n. 15.) „An forte minus haerent sacramenta christiana, quam corporalis haec nota (militis), cum videamus, nec apostatas carere baptismate, quibus utique per poenitentiam redeuntibus non repetitur et ideo amitti non posse iudicatur" (Contra epist. Parmeniani l. 2. n. 29.). „In baptizato inseparabiliter baptisma permanere manifestum est;

quia in quodlibet profundum malorum et in quamlibet horribilem voraginem peccatorum irruat baptizatus usque ad apostaticam ruinam, non caret baptismo, et ideo per poenitentiam redeunti non redditur, quia eo non potuisse carere iudicatur" (De baptismo l. 5. c. 15. n. 20.). „Omnes tales (sive haeretici et schismatici sive catholici peccatores) ad nihil valent, nec ideo tamen sacramentum baptismatis, quod eis inest, nihil est. Nam et in ipsis, qui proiiciuntur foras, si resipiscant et redeant, salus eis, quae recesserat, redit; baptisma vero. quia non recesserat, non redit . . . Baptismus Christi in utrisque agnoscendus et in nullis reprobandus est. sive antequam convertantur, quamvis eis nihil prosit, sive cum convertantur, ut prosit" (Ib. l. 6. c. 14. n. 23.). „Si non esset baptisma unum et verum, nisi in ecclesia, non utique esset in eis, qui ab unitate discedunt. Est autem in eis; nam id non recipiunt redeuntes, non ob aliud, nisi quia non amiserant recedentes . . . Venientibus enim ad catholicam pacem, prodesse incipiunt, quae foris inerant, sed non proderant" (Ib. n. 14.). „In hoc unguento *sacramentum chrismatis* vultis interpretari: quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus; sed potest esse in hominibus pessimis, in operibus carnis vitam consumentibus et regnum coelorum non possessuris" (Contra litt. Petilian. l. 2. n. 239.). „Sicut baptismus in iis, ita *ordinatio* mansit integra (in episcopis schismaticis ad ecclesiam redeuntibus), quia in praecisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est. non in sacramentis, quae, ubicunque sunt, ipsa sunt. Et cum expedire hoc iudicatur ecclesiae, ut praepositi eorum venientes ad catholicam societatem honores suos ibi non administrent, non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur, sed manent super eos" (Contra epist. Parmeniani l. 2. n. 28.).

Haec autem aliave similia testimonia intelligi sane non **10.** possunt de ipso signo sacramentali externo visibili, quia hoc. ut ipse Augustinus animadvertit, in actione transeunte consistit ideoque „fit et transit" (cf. c. Faust. 19. c. 16.). Neque intelligi ullo modo possunt de externa illa denominatione,

secundum quam semper verum est et manet, hominem sacramenta illa suscepisse; etenim talis denominatio absone diceretur *manere, inesse, haerere in homine;* insuper talis denominatio non esset propria tribus solum sacramentis, sed omnibus communiter conveniret; Augustinus vero sub respectu, de quo quaeritur, tria illa sacramenta a ceteris distinguit, ut v. g. a poenitentia: „Manuum autem impositio (absolutio sacramentalis) non sicut baptismus repeti non potest. Quid enim est aliud nisi oratio super homines?“ (i. e. sacramentum transiens, non haerens (De baptismo l. 3. c. 16. n. 21.: cf. cont. Crescon. l. 1. c. 30.; cont. litt. Petil. l. 2. n. 108.)

11. 2) *S. Augustinus effectum eundem passim appellat signum dominicum, characterem, characterem dominicum, characterem Imperatoris Christi, eumque confert cum signo circumcisionis, cum signo ovibus impresso, cum corporali nota militibus impressa, necnon cum monetae regiae signatione.* — „Ecce accepit sacramentum nativitatis homo baptizatus: sacramentum habet, et magnum sacramentum, divinum, sanctum, ineffabile . . . Attendat tamen in eor . . . videat, si habeat caritatem . . . Si autem non habet, characterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur“ (In 1. Ioan. tract. 5. n. 6.). „Satis eluxit pastoribus ecclesiae catholicae toto orbe diffusae, per quos postea plenarii concilii auctoritate originalis consuetudo firmata est, etiam ovem, quae foris errabat et dominicum characterem a fallacibus depraedatoribus suis foris acceperat, venientem ad christianae unitatis salutem . . . a vulnere sanari, characterem tamen in eo dominicum agnosci potius, quam improbari“ (De baptismo l. 6. n. 1.). „Quod accepisti approbo; quia foris accepisti improbo. Tene ergo quod accepisti; non mutatur, sed agnoscitur; character est regis mei, non ero sacrilegus; corrigo desertorem, non immuto characterem“ (In Ioan. tract. 6. n. 16.). „Baptizatus ecclesiae, si fuerit desertor ecclesiae, sanctitate vitae carebit . . . sicut desertor militiae caret legitima societate, non caret regio charactere“ (Serm. 8. n. 2.). „Si enim aliqui furtim et extra ordinem, in monetis publicis aurum vel argentum

vel aes percutiendo signaverint: cum fuerit deprehensum, nonne illis punitis, aut indulgentia liberatis, cognitum regale signum thesauris regalibus congeretur? Aut si quisquam, sive desertor sive qui nunquam omnino militavit, nota militari privatum aliquem signet; nonne ubi fuerit deprehensus, ille signatus pro desertore punitur, et eo gravius, quo probari potuerit nunquam omnino militasse, simul secum punito, si eum prodiderit, audacissimo signatore? Aut si forte illum militiae characterem in corpore suo non militans pavidus exhorruerit et ad clementiam imperatoris confugerit, ac prece fusa et impetrata iam venia, militare iam coeperit; numquid, homine liberato atque correcto, character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An forte minus haerent sacramenta christiana, quam corporalis haec nota, cum videamus nec apostatas carere baptismate, quibus utique per poenitentiam redeuntibus non restituitur, et ideo amitti non posse iudicatur?" (Cont. Parmenianum l. 2. c. 13. n. 29.). „Ovis es, Donatistam alloquitur, de grege Domini mei, cum signo errasti; ideo quaero magis, quia ipsum signum habes . . . Nescis, quia desertor de charactere damnatur, de quo militans honoratur? Ideo te quaero, ut non pereas cum signo . . . Hoc enim signum salutis extra tibi inesse potest, prodesse non potest" (Ad pleb. Caes. n. 4.).

3) Idem effectus ex doctrina S. Augustini in consecratione quadam ontologica consistit, qua homo Deo ut miles et minister mancipatur. — „Utrumque sacramentum est (baptismus et ordo) et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur, ideoque in catholico utrumque non licet iterari" (Cont. ep. Parmen. l. 2. n. 28.). „Christiani baptismi sacramentum etiam apud haereticos valet et sufficit ad consecrationem, quamvis ad vitae aeternae participationem non sufficiat; quae consecratio reum quidem facit haereticum extra Domini gregem habentem characterem, corrigendum tamen admonet sana doctrina, non iterum similiter consecrandum" (Ep. 98. ad Bonifacium n. 5.). 12.

4) Denique in eo, quod idem effectus characterem dicit indelebilem vel consecrationem irrevocabilem, S. Augustinus 13.

rationem invenit, ob quam illa sacramenta iterari non possunt. — Huc spectant plura ex testimoniis iam allatis. Insuper vel expressioribus verbis inculcat, illa sacramenta iterari non posse, quin divinis rebus, quae sunt in ipso (suscipiente) iniuria fiat (cont. Crescon. l. 1. c. 30.); quin destruere conemur, quod Christi est, et etiam in sacrilegis per se sanctum est (cont. litt. Petit. l. 2. n. 108.); quin violemus in hominibus sanctitatem sacramentorum, quae in perversis etiam impolluta est ac inviolabilis (Cont. ep. Parmen. l. 2. c. 13.); quin denique Christum super Christum imponamus (In Ps. 39. n. 1.). Speciminis causa hoc ultimum testimonium adscribere praestat, quo sic Donatistas rebaptizantes increpat: „Quid agis? Numquid tollis, quod habet, quia negavit, quod habet? Non facis, ut non habeat, sed ut ad poenam habeat. Quod enim habet, habet. Baptismus ille tamquam character infixus est; ornabat militem, convincit desertorem. Quid enim facis? Christum imponis super Christum."

14. Iam ex omnibus manifestum est, apud Augustinum certissime inveniri eam de charactere sacramentali doctrinam, quae postmodum a magisterio authentico tamquam dogma catholicum proposita est. Haec vero S. Augustini doctrina totius ecclesiae saeculo quinto communis professio erat. Etenim S. Augustinus, ut iam supra dictum est, catholicorum in controversia cum Donatistis antesignanus erat atque contra illos haereticos passim ad communem ecclesiae consuetudinem, ad sensum pastorum ecclesiae toto orbe diffusae, ad sanam et catholicam doctrinam provocat.

15. *Opponunt tamen Protestantes duo S. Augustini testimonia,* ut ostendant, aliam esse eiusdem de charactere doctrinam, quam quae a catholicis ipsi tribuitur. Et *primo* quidem haec opponunt: „Characterem agnosco exterius, et agnitum approbo, et quia agnitum approbo, non rebaptizo" (De baptismo, l. 6.). His scilicet demonstrari putant, S. Augustino characterem nihil aliud esse, nisi ipsum ritum sacramenti sensibilem. — *R.* S. Augustinus verbis allatis respondet quaerentibus, qua ratione cognoscatur, in aliquo reipsa cha-

racterem sacramentalem impressum esse. Cognoscitur, ita reponit S. Augustinus, extrinsecus, i. e. non quidem immediate et in se, sed mediate tamquam effectus in sua causa, utpote quae ipsum signum sensibile sacramentale est.

Secundo et imprimis hoc alterum testimonium opponunt **16.** et urgent: „Qui primo schisma fecit, qui se ab ecclesia catholica separavit, cum his, quos secum traxit, desertor fuit. Ceteri a desertoribus signati sunt, non tamen signo desertoris. Non enim desertor suum characterem fixit. Quid est, quod dico: desertor characterem suum non fixit? Donatus non baptizavit in nomine Donati. Nam si Donatus, quando schisma fecit, in nomine Donati baptizaret, desertoris characterem infigeret. Ego quando vocarem ad unitatem, si invenirem desertoris characterem, exterminarem, delerem, abolerem, abicerem, non approbarem, respuerem, anathematizarem, damnarem; nunc vero ipse desertor characterem fixit imperatoris sui“ (Serm. ad pleb. Caes. n. 2.). Scilicet ex hoc testimonio tale ducunt argumentum: Baptizans in nomine Christi ita Christi characterem imprimit, ut Donatus suo nomine baptizans suum characterem fixisset; atqui Donatus si proprio nomine baptizaret, nihil animis impressisset, sed eosdem solum extrinsecus ad gregem suum aggregasset; alia vero catholicorum de charactere conceptio est; ergo. — *R.* Testimonio allato doctrina catholica non infirmatur, sed confirmatur. Etenim manifestum est, S. Augustinum loqui ex hypothesi impossibili, quod Donatus in suo nomine baptizare posset. Qua hypothesi facta, Donatus utique suum characterem infixisset eumque verum et realem, quemadmodum manifesto ex verbis constat, quibus Augustinus se talem characterem repulsurum esse asserit. Ergo etiam character Christi verus et realis est. Ceterum S. Augustinus proprie nullam comparationem instituit inter characterem Christi et fictitium illum Donati characterem; sed veritate illa, baptizatos a Donatistis characterem impressum habere, tamquam certa supposita, quaerit cuius ille character sit, utrum Christi an Donati. Non Donati sed Christi esse respondet atque sic demonstrat: Illius est character, in cuius

nomine baptismus collatus est; collatus autem est in nomine Christi, non Donati; ergo character non Donati sed Christi est. Quare baptismus iterandus non est.

17. *Tertio* et maxime opponunt testimonium alterum, quod praecedens immediate excipit: „Deus et Dominus noster Iesus Christus quaerit desertores, delet erroris crimen, sed non exterminat suum characterem. Ergo quando venio ad fratrem meum, attendo fidem in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Iste est character imperatoris mei. De isto charactere militibus suis, ut hunc imprimerent iis, quos congregabant castris eius, praecipit dicens: Ite baptizate gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Istum characterem a Domino dictum omnibus credentibus imprimendum, quia noverat Paulus, expavescit ad eos, qui volebant esse Pauli, et dicit eis: Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? Quid vultis esse mei, et non magis Domini mei? Agnoscite, advertite characterem vestrum.“ Quibus verbis S. Augustinus expresse docet, characterem esse fidem in SS. Trinitatem: iamvero aliud omnino catholicis character est; ergo. — *R.* Fides in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, de qua S. Augustinus loquitur, manifesto intelligi nequit fides subiectiva in SS. Trinitatem; etenim *primo* hoc ipsa diversitate expressionum innuitur; *praeterea* ex mente S. Augustini character independens est a fide subiectiva tum ministri tum subiecti sacramenti, quia scilicet a desertore quoque imprimitur et in milite desertore et in ove errante manet: *denique* cum fides subiectiva amitti possit, character secundum S. Augustinum indelebilis perseverat. Ergo fides, quam S. Augustinus ponit esse characterem, intelligenda est verbum fidei obiectivum ‚*in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*‘ sive ipsa forma sacramenti. Scilicet character non solum sensu passivo sumitur et ipsum sigillum impressum significat, sed attenta etymologia etiam magis sensu activo sigillum imprimens designat. Quare hoc altero sensu forma sacramenti vel ipsum sacramentum character vocari potest. Iamvero hoc sensu S. Augustinus invocationem SS. Trinitatis in forma baptismi characterem appellat non utique impressum,

sed imprimentem. Duplex illa significatio etiam occurrit in hac sollemni characteris definitione a *S. Thoma* tradita: „Character est distinctio a charactere aeterno (Filio Dei) impressa animae rationali secundum imaginem consignans trinitatem creatam (animam cum suis facultatibus) Trinitati creanti et recreanti“ (In 4. d. 4. q. 1. a. 2. sol. 2.).

3. Saeculi quarti quoque eadem de charactere sacramentali fides fuit. — Revera aetate Augustinum praecedente eandem hac in re viguisse fidem iam inde constat, quod ex una parte S. Augustinus ad suam doctrinam vindicandam continuo ad traditionem praecedentium saeculorum provocat, ex altera vero parte Donatistae ipso suo silentio traditionem sibi adversari fatentur. — Ceterum non pauca Patrum saeculi quarti testimonia exstant, quibus non solum eadem de charactere doctrina ac ab Augustino et iisdem fere verbis proponitur, sed nonnullis characteris sacramentalis proprietatibus distinctius fere exhibitis doctrina S. Augustini suppletur atque characteris natura accuratius manifestatur; quod ipsis illis testimoniis consideratis facile patet. 18

Itaque *S. Ambrosius* de effectibus baptismi agens ait: „Numquid in aqua vivimus, sicut in Spiritu? In ipso enim vivimus, et ipse est pignus haereditatis nostrae, sicut Apostolus scribens ad Ephesios ait: *In quo credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus haereditatis nostrae* (Ephes. 1, 13. 14.). Sancto igitur Spiritu signati sumus, non natura, sed a Deo, quia scriptum est: *Qui unxit nos Deus, et qui signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris* (2. Cor. 1, 21. 22.) ... . Spiritu signamur, ut splendorem atque imaginem eius et gratiam tenere possimus, quod est utique spirituale signaculum; nam etsi specie signamur in corpore, veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus Sanctus exprimat in nobis imaginis coelestis effigiem“ (De Spiritu Sancto c. 6. n. 78. 79.). 19

S. Cyrillus H. de charactere tum baptismi tum confirmationis egregie testatur eosque ab invicem clare discernit. Baptismi effectus declarans ait: „Magna res est sane, quod 20

verbis proponitur baptisma: captivis pretium, peccatorum remissio, mors peccati, animae regeneratio, luminosum indumentum, signaculum sanctum indissolubile (σφραγὶς ἁγία ἀκατάλυτος), vehiculum ad coelum, paradisi deliciae, regni obtinendi causa, adoptionis donum". (Procatech. n. 16.). Deinde sub finem huius orationis catechumenos ad sacramentum suscipiendum his verbis hortatur: „Firmemus mentem, contendamus animam, praeparemus cor . . . Deleat ille (Deus) chirographum, quod contra vos est, oblivionem autem tribuat vobis priorum delictorum; atque in ecclesiam vos inserat, sibique milites alleget, arma vobis iustitiae circumponens: coelestibus N. T. rebus repleat, et Spiritus Sancti concedat signaculum indelebile in saecula (καὶ Πνεύματος Ἁγίου σφράγιδα δῴη ἀνεξάλειπτον εἰς τοὺς αἰῶνας)." Et alibi iterum exhortatur: „Accedite ad mysticum signaculum, ut a Domino favorabiliter cognosci possitis". (Catech. 1. n. 2.). Et ibidem inferius: „Salutare et admirabile sigillum confert, quod contremiscunt daemones et agnoscunt angeli; ita ut illi quidem fugitent abacti, hi vero ut familiarem et cognatum circumplectantur" (n. 3.). Et similiter iterum alibi: „Hic (Spiritus Sanctus) paratus adest, ut animam tuam obsignet, et dat tibi coeleste quoddam et divinum sigillum, quod daemones horrent . . .; si habeas sigillum in anima, non accedit diabolus, expavescit enim" (Catech. 17. n. 36. 37.). Characterem vero Confirmationis vocat *signaculum communicationis Spiritus Sancti* (Catech. 18. n. 33.); significat eum post baptismum esse collatum (ib.), eum animae imprimi declarat, cum oleo chrismatis frons insignitur: „Oleo caput tuum impinguavit in fronte per signaculum, quod habes Dei, ut efficiaris effigies signaculi, sanctificatio Dei" (Catech. 22. n. 7.).

21. Item *S. Basilius* praeclarus doctrinae catholicae testis est: „Angeline te suscipient, an detinebunt, qui iam tenent? In acie duces tesseram tribuunt sub se militantibus, ut et amici facile se invicem inclament, et si in conflictu cum hostibus commixti, queant citra confusionem seiungi. Agnoscet te nemo, nosterne sis, an hostium, nisi mysticis signis neces-

situdinem affinitatemque ostenderis, nisi signatum sit super te lumen vultus Domini. Quomodo vindicabit te angelus? Quomodo eripiet ex hostibus, nisi agnoverit signaculum? Quomodo dicturus es tu: Dei sum, si notas ac insignia non exhibeas? An ignoras, exterminatorem domos signatas praeteriisse, in his vero, quae signatae non erant, primogenita occidisse? Thesaurus non obsignatus diripi a furibus facile potest; ovi signo carenti tuto struuntur insidiae". (Hom. in s. baptisma n. 4.). Et paulo inferius effectus baptismi enumerans dicit: „Baptismus captivis est redemptionis pretium, debitorum condonatio, mors peccati, regeneratio animae, indumentum lucidum, *sigillum quod nullo conatu frangi potest,* vehiculum ad coelum" (n. 5.).

22. *S. Gregorius Naz.* plures baptismi appellationes enumerat: bonum, gratiam, baptismum, unctionem, illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lavacrum, *sigillum*; et rationem reddens, ob quam sigillum vocetur, sic ait: „quia consecratio est ac dominationis insigne" (orat. 40. in s. baptisma n. 4.). Et inferius ibidem, postquam dixit, fidelem signatum esse anima et corpore, chrismate et Spiritu, quemadmodum Israël nocturno illo cruore, qui primogenitos tuebatur, sic pergit: „Hoc tibi et in vita maximum praesidium ad securitatem, ovis enim signata non facile patet insidiis, non signata vero a furibus facile rapitur, et in morte faustum funerale" (n. 15.).

23. *S. I. Chrysostomus* sic characterem baptismalem extollit: „Ad eundem modum tu quoque in baptismo rex, et sacerdos et propheta efficeris: rex, cum omnes pravas actiones in terram abiecisti, ac peccata interemisti; sacerdos, cum teipsum Deo obtulisti, ac corpus mactasti, atque ipse quoque mactatus es: *Si enim ei commortui sumus*, inquit, *et convivemus ei* (2. Tit. 2, 11.); propheta denique, cum futura discis ac divino numine afflaris atque obsignaris. Quemadmodum enim nota quaedam militibus, ita fidelibus quoque Spiritus imponitur. Quo fit, ut si ordinem deserueris, perspicuus omnibus fias. Iudaei enim signi loco circumcisionem habebant, nos autem pignus Spiritus. Haec igitur scientes ac dignitatem

nostram considerantes, vitam gratia dignam praestemus, ut futuro quoque regno potiamur". (In ep. 2. Cor. Hom. 4.; cf. in Eph. hom. 2. n. 2.).

24. Denique *Ephraem Syrus* ita egregie characterem sacramentalem illustrat: „Spiritus Sanctus per oleum imprimit signum suum ovibus suis. Sicut annulus in cera imprimit suum sigillum, ita signum occultum Spiritus per oleum imprimitur corporibus, quando unguntur baptismo et eodem baptismo signantur". (Ap. Assemanni, Biblioth. orient. I, 94.). Item alibi sigillum vel baptismo vel confirmatione impressum magnifice celebrat: „A populis populum suum separavit per primum circumcisionis signum, per signum autem unctionis populos separavit a populo. Quando populi errore detinebantur, populum suum separavit a populis; nunc autem suo errante populo, populos ab eo separavit". (Hymnus 3. in fest. Epiphan. v. 4. apud Lamy, S. Ephraem Syri Hymni et sermones I. p. 30.). Et iterum: „Mitis humilisque Domini oleum acerbos transmutat Dominoque similes reddit. Gentes lupi erant et duram Moysi virgam reformidabant. Ecce olei obsignatio ex lupis gregales oves efficit. Qui autem virgam effugerunt lupi, nunc ad crucem confugiunt" (Ib. v. 7.); cf. hymn. 7. v. 2. et hymn. 9. v. 6. et 7.

25. Iam ex his testimoniis perfecta, quod characterem attinet, consensio inter doctrinam saeculi 5., prout ab Augustino proposita et vindicata est, atque fidem saeculi 4. vigere manifesto perspicitur. Et *primo* quidem testimoniis allatis character exhibetur tamquam effectus sacramenti ab eodem distinctus; quod vel disertis verbis vel eo fit, quod sigillum illud spirituale esse atque hominem in anima, in corde, in spiritu signare declaratur. *Secundo* character exhibetur tamquam effectus a gratia sanctificante distinctus; etenim tum in desertoribus et apostatis manet tum ad gratiam sanctificantem custodiendam et conservandam excitat et adiuvat. *Tertio* character declaratur esse obsignatio, signaculum, sigillum sanctum, coeleste, divinum, salutare, spirituale, quo signati a ceteris hominibus secernantur, ad familiam Christi aggregentur, Christo configurentur et devoveantur, ab Angelis agnoscantur. *Quarto*

comparatur cum variis signis corporalibus, ut cum circumcisione, cum signatione postium domorum Israël in Aegypto, cum nota militibus et ovibus impressa, cum impressione annuli in cera. *Quinto* denique character tamquam prorsus indelebilis exhibetur.

4. Denique vestigia vel monumenta huius fidei ex tribus prioribus quoque saeculis exstant. 26. — Imprimis huc pertinet insigne testimonium *Theodoti Gnostici* ex saeculo secundo, quod refert *Clemens Alex.* in Eclogis ex Theodoto n. 86.: „Cum Domino numisma oblatum esset, non dicit: cuius est possessio, sed cuius est imago et superscriptio? Caesaris; ut cuius esset, illi redderetur. Sic et fidelis inscriptionem habet per Christum nomen Dei, Spiritum autem velut imaginem (ἐπιγραφὴν μέν ἔχει διὰ Χριστοῦ τὸ ὄνομα τοῦ θεοῦ, τό δὲ πνεῦμα ὡς εἰκώνα.). Quin et muta animalia per signaculum ostendunt, cuius sit unumquodque, et ex signaculo vindicantur; sic etiam anima fidelis, quae veritatis sigillum accepit, stigmata Christi secum portat.“ Praeterea a Patribus primae illius aetatis baptismus v. g. exhibetur ut *sigillum impressum,* quod fideles *immaculatum* servare debeant (Clemens Rom. ad Corinth. ep. 2. c. 7. 8.; Hermae Pastor, Similit. l. 9. c. 16. 17.), ut *sigillum infragile*, quod accipientes fideles consummentur (Constit. ap. l. 2. c. 39.: l. 3. c. 16.), ut *signaculum in Christo muniens contra tentationes* et *perfecta custodia et sigillum Domini* (Act. Theclae c. 8; Clemens A. apud Euseb., Histor. eccl. l. 3. c. 23.), ut *signaculum datum a Domino suis fidelibus, cui character bestiae dandus ab Antichristo opponitur* (S. Hypolytas, de Christo et Antichristo n. 6.), ut *signaculum nostrum* et *signaculum fidei* (Tertullianus, de spectac. c. 4, 24.) ut *signaculum immortalitatem conferens* et *salutare sigillum.* (Vita Constantini ap. Euseb. c. 62.). Denique huc pertinet etiam forma sacramenti confirmationis a Graecis adhiberi solita: sigillum Spiritus Sancti (σφραγίς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου); haec enim forma iam refertur in Concilio Constantinop. I. can. 7. et certe antiquissima est atque ad tempora apostolica referri debet.

27. Iamvero haec priorum saeculorum testimonia in se quidem minus clara et aperta sunt, quam ea, quae ex subsequentibus saeculis exstant; atvero iisdem eandem rem, quam traditio quarti quintique saeculi complectitur, satis manifesto exhiberi, tum ex consensione ratione phraseologiae constat, tum ex canone hermeneutico consequitur, quo obscura et confusa ex claris et distinctis interpretanda sunt, tum denique lege theologica evincitur, secundum quam doctrina saeculorum posteriorum norma manifestativa est, per quam ipsa priorum saeculorum doctrina cognoscitur. Hanc vero legem in rebus fidei tutam atque infallibilem esse facile ex his considerationibus patet: *Primo*: si quando doctrina aliqua ad fidem pertinens in explicita professione et manifesta praedicatione ecclesiastica universali est, talis doctrina necessario originem apostolicam habet. Etenim eiusmodi consensus tamquam certissima et clarissima nota apostolicitatis doctrinae tum theoretice tum practice obortis controversiis semper agnita est. Insuper idem ex permanenti existentia consequitur magisterii authentici, cuius est depositum fidei propagare et illibatum conservare. Ergo solum unius quoque aetatis consensio sufficit, ex qua apostolica alicuius doctrinae origo certo demonstretur et pateat. *Praeterea*: ad idem magisterium authenticum, cuius est depositum fidei illibatum conservare et propagare, etiam pertinet, sub assistentia Spiritus Sancti eiusque directione ea, quae in revelatione implicite solum continentur, luculentius explicare; quae minus diserta sunt, instantius et disertius praedicare; quae ambigua sunt, strictius et explicatius definire. Atque haec, cum non simul omnia fieri possint, decursu temporum a magisterio authentico praestanda sunt atque praestantur. Ergo quae in primis ecclesiae saeculis minus luculenta et clara et magis ambigua et obscura inveniuntur, haec omnia iuxta clariorem propositionem et distinctiorem explicationem saeculorum subsequentium intelligenda et exponenda sunt. Ergo etiam quod characterem sacramentalem attinet, prorsus tenendum est, testimoniis minus claris saeculorum priorum eandem rem proponi, quae

testimoniis magis claris et explicitis saeculorum posteriorum proponitur.

Opponunt ex testimoniis priorum saeculorum videri con- **28.**
stare, sigillum illud sacramentale, quod characterem esse dicimus, a gratia sanctificante non distingui. — *R. n.* Etenim ex testimoniis illis constat quidem, gratiam sanctificantem cum sigillo sacramentali ita esse connexam, ut ex se et divina ordinatione haec cum illo conferri debeat, utpote quae unum totum aliquod et integrum constituere nata sunt; nullo autem modo consequitur, sigillum cum gratia sanctificante identicum esse. Immo hoc ipsum exclusum esse intelligitur tum nomine sigilli, tum quia nonnisi tria sacramenta eiusmodi sigillum imprimere dicuntur, tum denique ex illis testimoniis gratiam amittere nequaquam idem est ac sigillum perdere, sed gratiae iactura sive amissione sigillum solum non servari integrum et illaesum dicitur.

2. p. Eadem doctrina in Scriptura consignata esse videtur.

Cum demonstratio ex Scriptura paulo difficilior sit, con- **29.**
sideratio quaedam circa rationem et momentum huius demonstrationis praemittenda est.

1. De ratione huius demonstrationis. — Demonstratio hucusque instituta satis ostendit, doctrinam catholicam de charactere apostolicae originis esse. Quare si phraseologia eadem, qua ecclesia inde ab antiquitate suam de charactere sacramentali fidem exposuit, item in s. Scriptura occurrat, plane consequi videtur, fidem phraseologia ecclesiastica expressam sacrorum scriptorum quoque animis insedisse. Hinc vero phraseologia et intellectus ecclesiae catholicae virtutem canonis externi habent, quo adhibito Scripturae de charactere sententia determinari potest et debet. Sane quidem, quod de officio et potestate magisterii authentici in genere antea notatum est, hoc profecto idem de eiusdem magisterii officio et potestate circa depositum fidei prout in Scriptura continetur, in specie valet. Videlicet magisterium authenticum atque ideo traditio et consensus Patrum custos est et

interpres Scripturae, a quo, quae implicite magis in Scriptura continentur accuratius explicentur, quae minus diserta sunt disertius praedicentur, quae ambigua magis sunt strictius definiantur. Quare duplici modo ex Scriptura argumentum sumi potest: scilicet aut ex textu et contextu adhibitis solis regulis interpretationis internis arguitur; aut vero prius doctrina Traditionis considerata in lumine huius doctrinae traditae sententia in Scripturis consignata examinatur atque eruitur, doctrinam traditam non esse nisi ulteriorem explicationem, distinctiorem declarationem, logicam evolutionem eius doctrinae, quae in Scripturis comprehenditur.

30. Quae cum ita sint, iam facilius et securius doctrina Scripturae huc pertinens inquiritur. Itaque huc referenda sunt tria testimonia: „*Qui unxit nos Deus* (est): *qui et* (etiam) *signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*“ (2. Cor. 1, 21.). „*In quo et vos, cum audissetis verbum veritatis (Evangelium salutis vestrae), in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus haereditatis nostrae, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriae ipsius*“ (Eph. 1, 13. 14.). „*Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis*“ (Eph. 4, 30.). Iam cum his Scripturae testimoniis velut commentarium connecti Patrum doctrinam et ecclesiasticam de charactere praedicationem, iam ex toto modo dicendi et phraseologia Patrum patere videtur; quare traditionis doctrina tamquam continuatio, explicatio, logica evolutio doctrinae a Scriptura propositae reipsa considerari debet. Et certe cum ex traditione constet, doctrinam de charactere ecclesiae ab Apostolis traditam esse, horum igitur mentibus insedisse atque infixam fuisse hanc doctrinam; S. Paulus supradictis verbis uti non potuisse intelligitur, quin iisdem ecclesiasticam de charactere doctrinam quoad summa capita expressisse censeatur.

31. ***2. Demonstratio in forma proponitur.*** — Iam suppositis iis, quae praemissa sunt, duplex argumentum efformari potest:

1) Demonstratur ex Scriptura in se inspecta. — Huc spectat testimonium S. Pauli 2. Cor. 1, 21. iam supra relatum: „*Qui unxit nos, Deus* (est); *qui et* (etiam) *signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*". Testimonio isto tres distincti effectus exhibentur, qui a Deo in cordibus christianorum producuntur: unctio gratiae, signatio vel sigilli impressio (σφραγισάμενος), pignus Spiritus inhabitantis. Iamvero duos priores effectus, unctionem scilicet et signationem ab Apostolo tamquam res distinctas connumerari, vix dubium esse potest. Etenim secundum sententiae membrum aut est mere synonymum et exegeticum sive declarativum prioris incisi, ita ut unctio et signatio unam eandemque rem designent; aut vero signatio supra unctionem aliquid addit, effectum scilicet a gratia distinctum. Atqui primum sustineri nequit, quia cum constructione et expressionibus ab Apostolo adhibitis pugnat; nam postquam dixit: *Qui unxit nos*, non addit simpliciter: qui signavit nos, sed: *qui et signavit nos* ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς. Iamvero hoc *et* vel καί necessario accipitur pro *etiam*, et ideo sensus incisi est: qui unxit nos et qui etiam i. e. insuper signavit nos. Ergo signatio tamquam effectus distinctus ab unctione vel gratia exhibetur, quamvis cum ea cohaerere intelligatur. Quidnam autem sit talis signatio vel eiusmodi sigillum, nisi character, quem deinceps SS. Patres tradiderunt, Doctores theologi explicarunt. Ecclesia credendum proponit? Ergo vel ex sola Scriptura in se inspecta veritas characteris sufficienter comprobari videtur.

2) Ex Scriptura in lumine Traditionis considerata. — **32.** Testimonia Scripturae allata indubiam characteris testificationem contineri intelliguntur, si sub lumine, quo Traditio Scripturam circumfundit, considerationi subiciantur. Etenim si a doctrina de charactere, ut in Traditione continetur, ascensus fit ad illam doctrinam, quae in Scripturis consignata est, illa huius esse explicatior evolutio et distinctior declaratio facile cognoscitur ita quidem, ut totius doctrinae traditionis semina saltem in Scriptura contineri conspiciantur; quod *Cardinalis Franzelin* sic ostendit: „Sane tota doctrina Traditionis

ad quatuor haec capita potest revocari, quod a) character est signum quoddam spirituale diversum a gratia, quo insigniti in conspectu Dei et angelorum cognoscuntur distincti ab aliis eo carentibus; quo b) consecramur et obligamur in familiam Dei et Christi, cuius est sigillum; quod c) habet relationem praesidii et custodiae ad gratiam acceptam per sacramentum; quod d) sit perpetuum ac indelebile. Atqui tria priora iam continentur in appellatione sigilli, quo insigniri dicimur in Scripturis. Insuper illud primum videlicet sigilli distinctio a gratia satis clare et diserte in iisdem Scripturis exprimitur, ut paulo ante vidimus: *qui unxit nos Deus, qui et* (etiam) *signavit nos* (L. c.). Alterum scilicet consecratio et transscriptio in familiam Dei, cuius character est sigillum, praeter appellationem ipsam sigilli continetur clarius in locutione Scripturarum, qua dicimur signari in Spiritu Sancto Dei: *Nolite contristare Spiritum Dei, in quo signati estis* (Eph. 4, 30.). Tertium praeter coniunctionem, in qua obsignatio ubique ponitur cum gratia, exprimitur simul cum quarto, quando ait Apostolus christianis: *signati estis in diem redemptionis* (ibid., quae scilicet est redemptio perfecta ex omnibus aerumnis in altera vita.) Habes ergo in Scripturis saltem semina totius doctrinae distinctius et abundantius deinde expositae in traditione et in explicatione per charisma doctoratus catholici, quod promissum est pastoribus ecclesiae" (De sacram. in genere, ed. 3., p. 158.).

33. *Confirmatur primo*, quia plures SS. Patres explicite ad illa Apostoli testimonia provocant, ut v. g. *S. Ambrosius*: „Si qua in aqua gratia, non ex natura aquae, sed ex praesentia est Spiritus Dei. Numquid in aqua vivimus, sicut in Spiritu? Numquid in aqua signamur, sicut in Spiritu? In ipso enim vivimus et ipse est pignus haereditatis nostrae, sicut Apostolus scribens ad Ephesios ait: *In quo credentes signati estis.* Sancto igitur Spiritu signati sumus, non natura, sed a Deo, quia scriptum est: *Qui unxit nos Deus et qui signavit nos.* Spiritu signamur, ut splendorem atque imaginem eius et gratiam tenere possimus, quod est utique spirituale signaculum" (De Spiritu S. l. 1. c. 6.).

Confirmatur secundo, quia sicuti SS. Patres, ita etiam theologi ad eadem Scripturae testimonia provocare solent. Ita v. g. S. Thomas, s. th. 3. p. q. 63. a. 1. necnon Catechismus Tridentinus: „Alter vero sacramentorum effectus non quidem omnibus communis, sed trium tantummodo proprius, baptismi, confirmationis et ordinis sacri, est character, quem animae imprimunt. Nam cum Apostolus (2. Cor. 1, 21.) ait: *Unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*, voce illa *signavit* non obscure characterem descripsit, cuius proprium est aliquid signare et notare. Est autem character veluti insigne quoddam animae impressum, quod deleri nunquam potest" (p. 2. c. 2. n. 30.). cf. *Schanz*, Die Lehre von den Sakramenten.

Corollarium.

1. Ratio theologica a S. Thoma proposita. — 34. Ex demonstrationibus et explicationibus adductis intelligitur, *S. Thomam* existentiam characteris optime confirmare et simul explicare hac ratione theologica: „Sacramenta N. L. ad duo ordinantur, videlicet ad remedium contra peccata, et ad perficiendum animam in his, quae pertinent ad cultum Dei secundum ritum christianae vitae. Quicunque autem ad aliquid certum deputatur, consuevit ad illud consignari; sicut milites, qui adscribebantur ad militiam antiquitus, solebant quibusdam characteribus corporalibus insigniri, eo quod deputabantur ad aliquid corporale. Et ideo cum homines per sacramenta deputentur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei, consequens est, quod per ea fideles aliquo spirituali charactere insigniantur. Unde *Augustinus* dicit in 2. cont. Parmenianum c. 13. § 29.. „Si miles ad characterem in corpore suo non militans pavidus exhorruerit, et ad clementiam imperatoris confugerit, ac prece fusa, et impetrata iam venia, militare coeperit, numquid, homine liberato atque correcto, character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An forte minus haerent sacramenta christiana, quam corporalis haec nota"? (S. th. 3. p. q. 63. a. 1.).

35. *Neque contra dici potest,* characterem a ratione signi deficere, utpote qui sensibilis non sit. — Respondetur enim: „Character animae impressus habet rationem signi, in quantum per sensibile sacramentum imprimitur; per hoc enim scitur aliquis esse baptismali charactere insignitus, quod est ablutus aqua sensibili. Nihilominus tamen character vel signaculum dici potest per quandam similitudinem omne, quod configurat alicui, vel distinguit ab alio, etiamsi non sit sensibile; sicut Christus dicitur figura, vel character paternae substantiae secundum Apostolum Heb. 1." (Ib. ad 2.). Addi potest, characterem esse signum distinctivum etiam angelis et altera vita spectatis.

36. ***2. Conclusio quaedam theologica.*** — Recta est conclusio, qua ex eo, quod sacramentum aliquod iterari nequit, infertur, idem sacramentum characterem imprimere. Etenim absolute quidem alia quoque ratio esse posset, propter quam sacramentum nec licite nec valide iterari queat, ut v. g. sola Dei voluntas; verumtamen reipsa in traditione tamquam unica ratio, ob quam sacramenta quaedam iterari nequeant, character indelebiliter impressus exhibetur. Opponuntur quidem aliae quaedam rationes ab adversariis: „Etsi baptismus characterem non imprimeret, eum tamen reiterari non debere aliis ex rationibus, velut *primo*, quia est ianua in ecclesiam, in quam semel ingressus non potest amplius ingredi; *secundo*, quia baptismus ad delendum, originale institutus est, quod est unicum; *tertio*, quia est signaculum foederis, et per illum vita aeterna promittitur; ergo inde, quod repeti non possit, male infertur, quod characterem imprimat; *quarto*, quia est regeneratio; ergo sicut homo corporaliter nascitur semel, ita spiritualiter semel renascitur" (Ap. Wirceb., de sacram. in genere n. 98.). — *R.* enim: Ratio a charactere desumpta sola a Patribus et ecclesia assignatur. „Sed nulla ex allatis rationibus est solida; nam *primo*: Ecclesiae ianua, quae rite baptizatis aperitur, iisdem factis apostatis ac desertoribus, si reverti velint, rursum aperienda est; iuxta orthodoxos quidem tantum per poenitentiam, sed cur non iuxta adversarios per baptismum novum? *Secundo*: Qui ad baptismum ficte ac-

cedit, ab originali non mundatur (?), non commoritur Christo, non regeneratur, nec tamen rebaptizatur, cum recipiscit. Tertio: Tale foedus ac vitae aeternae promissio etiam Eucharistia est; ac tamen potest saepius repeti. Quarto: Saepe potest homo spiritualiter mori; cur ergo non renasci per baptismum, sicut per poenitentiam"? (Ib.).

Articulus tertius.

De natura characteris ontologica.

Thesis 15. **Character ontologica quadam supernaturali forma continetur, quae ad categoriam qualitatis non immerito reducitur.**

Declaratio.

Diversae de natura characteris ontologica sententiae. — Cum de characteris essentia vel natura agitur, primo quidem definiendum est, quid ontologice vel secundum entitatem suam physicam reputandus sit. Iam diversae hac in re theologorum sententiae exstiterunt. 1.

1) Durandi sententia. — Hic theologus docuit, characterem esse solum ens morale vel meram denominationem externam. „Sicut nummus sortitur rationem pretii et merellus rationem signi ex humana institutione, sic . . . character non est nisi relatio rationis ex ordinatione vel pactione divina" (In 4. d. 4. q. 1. n. 11.). Nimirum character ex mente Durandi nihil aliud est, nisi deputatio hominis ad sacras actiones a Deo facta, quae quidem deputatio in se inspecta sane tam externa est ipsi homini deputato, quam laudatum esse homini laudato. Haec prima sententia in 1. parte reicitur.

2) *Aliorum medii aevi theologorum opinio.* — Aliorum theologorum sententia fuit, characterem absolvi meris relationibus, quae quidem reale quid et absolutum in anima non ponant. Quam sententiam refert *S. Thomas*: „Characterem in sacramentis imprimi omnes moderni confitentur; 2.

sed in modo ponendi ipsum in anima partim differunt et partim conveniunt. Conveniunt quidem in hoc, quod omnes dicunt, per characterem importari relationem triplicem. Est enim character signum distinctivum et signum configurativum. In quantum ergo est signum, importat relationem ad signatum; in quantum autem est distinctivum, importat relationem ad ea, a quibus distinguit; in quantum autem est configurativum, importat relationem ad ea, quibus assimilat. Differunt autem in hoc, quia quidam ponunt, istis relationibus non subesse aliquod accidens absolutum, sed immediate in anima fundari istas relationes" (In. 4. d. 4. q. 1. a. 1.). Quae opinio a quibusdam Scoto in 4. d. 6. q. 10. adscribitur. Atque haec sententia in 2. parte refutatur.

3. *3) S. Thomae sententia.* — Hodie communis et simpliciter vera sententia S. Thomae est. Secundum eam character physica quaedam et accidentalis forma est, quae animae impressa est et inhaeret atque ad genus qualitatis reducitur. Quae doctrina in 3. p. demonstratur.

Demonstratio.

I. p. Character sacramentalis mera denominatione externa non constituitur.

4 ***1. Probatur ex SS. Patrum doctrina.*** — Etenim ut ex testimoniis supra allatis patet, ex SS. Patrum doctrina sacramentum characterem imprimens etiam in peccatore non est nihil, atque etiam christianis extra ecclesiam errantibus inest, in ipsis manet atque haeret, sicut in milite nota militaris insidet; praeterea SS. Patribus declarantibus Spiritus Sanctus per sacramenta ovibus suis signum suum imprimit, sicut annulus in cera sigillum infigit vel sicut in moneta effigies regis impressa est; item SS. Patres istud signum characterem, sigillum regis Christi appellant atque sigillum christianismi, quod nullo modo iam deleri possit; denique characterem cum circumcisione Iudaeorum comparant atque docent, per characterem nos discerni atque cognosci ab angelis necnon universim

christianos ab omnibus, qui christiani non sunt, essentialiter distingui. Atque haec omnia non dicunt sane solam denominationem externam, quae ex susceptione sacramenti iam transacta orta sit atque permaneat; verum clare aliquid reale produnt, quod in anima inhaereat atque realiter perseveret. Ergo. Et certe si character denominationem mere externam diceret ex sola susceptione transacta provenientem, ab omnibus sacramentis characterem imprimi dicendum esset, quod falsum est. Ergo.

2. Ex Conciliis. — *Concilium Florentinum* (decret. pro Armenis) atque *Concilium Tridentinum* (sess. 7. can. 9.) disertis verbis docent, per tria sacramenta „imprimi in anima characterem, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile". Iamvero talibus expressionibus character exhibetur sane tamquam ontologica realitas vel forma realis; neque ullo modo dici potest iisdem verbis solam denominationem externam exhiberi, quin ea verba violenter ad sensum alienum detorqueantur. 5.

Confirmatur, quia Concilia alio sensu verba supradicta adhibuisse, quam in scholis theologicis universaliter adhibebantur, censeri nullo modo possunt; iamvero theologi communiter iisdem terminis formam realem ontologicam ab anima distinctam eique inhaerentem semper intellexerunt.

3. Ex communi theologorum consensu. — Theologi concordi fere suffragio ab opinione Durandi recedunt eamque gravissimis censuris notant. Ita *Bellarminus* eandem vix ab haeresi suae aetatis distingui ac in conciliis expresse damnatam videri affirmat (De effectu ss. l. 2. c. 19.). *Conninck* declarat illam opinionem cum Conciliorum doctrina satis aperte pugnare. *Suarez* vero hunc in modum iudicium suum enuntiat: „Haec vero sententia Durandi potuit fortasse suo tempore sine haeresi sustineri, quamquam non sine temeritate, cum non solum esset contra ceteros theologos, sed etiam contra Innocentium IV. in c. Maiores de baptismo (cf. supra n. 9.) . . . Nunc vero non potest haec opinio ab errore in fide vindicari, propter definitiones Concil. Florent. et Trident., quae docent characterem esse spirituale signum animae im- 6.

pressum. Quae non possunt ullo modo convenire relationi rationis aut denominationi extrinsecae . . ." (Disp. 11. s. 2. n. 1.).

7. *Opponunt* tamen aliqui cum *Vasquez*, (disp. 134. c. 2.) a censura illa opinionem Durandi immunem videri; quod ita ostendere conantur: Ecclesia haereticos solum negantes, tribus sacramentis characterem imprimi, condemnavit. Durandus vero id minime negat; etenim animae inhaerere dici potest etiam moralis quaedam denominatio, cum vel ipsis ecclesiasticis formulis peccatum animae inhaerere atque peccato animae maculam imprimi dicatur, quamvis peccatum nihil nisi ens morale sit. — *R.* Hoc argumentum valore caret. Etenim *primo* nemo illorum theologorum affirmat, Durandi sententiam diserte et directe damnatam esse; indirecte autem et virtute damnata est, quia cum illis definitionibus pugnat. Etenim definitiones conciliorum improprio sensu et de denominatione morali intelligi non possunt, quia nulla ratio a proprio sensu recedendi exstat; immo vero ratio urget, ut in proprio sensu accipiantur, quia concilia aperte terminos a schola sancitos et in proprio sensu sumptos adhibuerunt. *Praeterea* nec peccatum morali denominatione in hoc ordine absolvitur, sed privationem rei physicae i. e. gratiae sanctificantis complectitur.

8. ***4. Ratione theologica.*** — Idem ex propria sacramentorum ratione atque ex indole donorum Dei supernaturalium consequitur. Etenim sacramenta causae reales esse ab omnibus reputantur; quare effectus attingunt, qui non sistunt in ordine iuridico vel morali, sed ad ipsum ordinem physicum supernaturalem pertingunt. *Praeterea* ratio donorum Dei ea est, ut non absolvantur nominibus vel titulis, sed reales atque physicas dotes complectantur; sic v g. filiatio divina adoptiva non meram denominationem externam dicit, sed physica supernaturali forma constituitur. Ergo a pari character sacramentalis mera denominatione externa non absolvitur, sed forma physica, reali et supernaturali constitui dicendus est, nisi evidenti ratione oppositum evincatur. Iamvero talis ratio non exstat. Ergo.

2. p. Character non absolvitur relatione, quae fundamentum ullum absolutum in ipsa anima non habeat.

9. ***1. Probatur ex eo, quod character signum distinctivum est.*** — Quam rationem sic exponit *S. Thomas*: „Quidam ponunt istis relationibus (quas fundat character) non subesse aliquod accidens absolutum, sed immediate in anima fundari istas relationes. Hoc autem esse non potest: quia signum per formam, quam sensibus vel intellectui imprimit, facit aliquid in cognitionem venire. Similiter etiam nihil distinguitur ab alio, nisi per aliquam formam. Similitudo etiam est relatio super unitate qualitatis fundata . . . Unde patet, quod quaelibet illarum relationum, quam importat character, requirit aliquam formam substratam; et cum non sit forma substantialis, quia forma substantialis in sacramentis non datur, relinquitur, quod forma substrata sit qualitas quaedam, cuius unitas consignificationis similitudinem facit" (In 4. d. 4. q. 1. a. 1.).

10. ***2. Ex formali actionis ratione.*** — Omnis actio vera et realis necessario aliquid absolutum attingit ita, ut nulla ad solam relationem terminetur; etenim relatio ab actione non attingitur nisi cum absoluto aliquo et propter ipsum, quod per se ab actione attingitur: ratio est, quia relatio non est realis nisi quatenus cum absoluto aliquo identica est; terminus autem actionis realis necessario item realis est. Iamvero character per se et primario et saepe solus vera et reali actione sacramentali producitur. Ergo character mera relatione non absolvitur, sed absolutum quid constituit.

11. ***3. Ex formali ratione relationis realis.*** — Relatio quaevis fundamentum suum habeat necesse est. Atqui negata qualitate absoluta nullum tale fundamentum exstat; etenim *primo* eiusmodi fundamentum non est anima, utpote quae essentialiter eadem est tum in iis, qui characterem habent, tum in iis, qui eum non habent; *neque* fundamentum est gratia, tum quia character natura prior est quam gratia, tum quia character in iis est, qui gratia destituti sunt; *denique* fundamentum non est ipsa susceptio sacramenti moraliter

perseverans, quia sic omnia sacramenta characterem imprimerent, quod falsum est.

12. *Eandem fere rationem S. Thomas sic proponit*: „Relatio, quae importatur in nomine signi, oportet, quod super aliquod fundetur. Relatio autem huius signi, quod est character, non potest fundari immediate super essentiam animae, quia sic conveniret omni animae naturaliter. Et ideo oportet aliquid poni in anima, super quod fundetur talis relatio; et hoc est essentia characteris; unde non oportebit, quod sit in genere relationis, sicut quidam posuerunt" (L. c.). Ex quo argumento patet characterem neque relatione transcendentali neque praedicamentali constitutum esse.

3. p. Character ontologica quadam supernaturali forma continetur, quae ad genus qualitatis reducitur.

13. ***Haec pars ex praecedentibus sponte consequitur.*** — Etenim characterem formam accidentalem esse ab anima realiter distinctam argumentis prolatis iam constat. Eundem autem ad categoriam qualitatis pertinere, facile liquet. Etenim accidentium novem categoriae sunt: Quantitas, qualitas, relatio, locus, tempus, situs, habitus, actio, passio. Iamvero inspectis vel obiter his categoriis manifestum est, characterem nonnisi sub categoria qualitatis subsumi posse. *Praetera* qualitas definiri solet accidens, quo substantia disponitur sive modificatur. Iamvero character, cum forma quaedam supernaturalis animam afficiens sit, nonnisi ut animae quaedam dispositio et modificatio supernaturalis concipi potest. Ergo.

Corollarium.

14. ***Falsa est etiam recentiorum quorundam sententia, secundum quam character realis quidem animae modificatio, non tamen ab eadem realiter distincta esse ponitur.*** – Quam sententiam sic exponit *Berti*: „Cum optime percipiatur signaculum et figura per sigillum impressa, per accedentem habi-

tudinem quandam et subiecti ut inquiunt modificationem, neces ium non est gratiam ipsam constituere in spirituali entitate et re, quae distinguatur ab anima. Idem ergo possumus affirmare de charactere et quidem potiore iure . . . Qui amplectatur hanc nostram opinationem, facile eludet argumentationes cum Scoti, Durandi, Nominalium, recentiorum philosophorum, tum etiam Protestantium . . . Nihil (litis) nobis cum Durando, qui characterem constituit in relatione rationis, dummodo fateatur subiectum huius relationis esse animam intrinsece charactere signatam, ut ratio pretii in nummo relatio quidem est, non tamen argenti utcunque, sed argenti quadam figura et charactere obsignati; nihil cum Scoto, qui relationem illam realem statuminat; nam et Scoto annuemus, modo, ut fatetur Mastrius, huius relationis inhaerentem formam unanimi consensu recipiamus; nihil cum oppugnatoribus peripateticorum accidentium; nostra enim nihil interest, si ut figuram a quantitate et cerae imaginem ab illius dispositione non secernunt, ita nec distinguant ab anima characterem, dummodo sicut in sigillo formam vident inesse, ita characterem revera inhaerere animae fateantur . . . Fatemur characterem esse qualitatem . . . sed eatenus characterem dicimus qualitatem atque potentiam, quatenus est quaedam animae habitudo, sive ipsamet anima affecta spirituali signaculo et connotans collatam sibi divinitus potestatem, quemadmodum intellectus et voluntas appellantur potentiae et nihilominus sunt ipsa animi rationalis substantia, non formaliter considerata, sed dumtaxat connotative" (l. 30. c. 22. prop. 2.). — *Verum haec opinio confusione laborat atque falsa esse satis certo demonstratur*:

1) Ratio prima. — Quae rationes positivas dicunt et **15.** ab invicem separari possunt, realiter distinguuntur; atqui anima et character sacramentalis tum rationes positivas dicunt tum ab invicem separari possunt; ergo character sacramentalis realiter ab anima distinguitur. Minoris prima pars evidens est; altera vero inde patet, quod v. g. ante baptismum susceptum anima characterem baptismalem neque formaliter, neque eminenter, neque aequivalenter in se continet.

2) *Ratio altera.* — Quae diversis actionibus physicis in esse producuntur, realiter ab invicem distinguuntur; atqui anima et character sacramentalis diversis actionibus physicis in esse producuntur, ut manifestum est, ergo anima et character realiter ab invicem distinguuntur.

3) *Ratio tertia.* — Quae sunt ordinum penitus et essentialiter diversorum, entitative identica esse nequeunt: atqui anima et character sacramentalis ad ordines pertinent penitus et essentialiter diversos, illa ad ordinem naturalem, hic vero ad supernaturalem ordinem; ergo iterum realis distinctio est inter animam et characterem sacramentalem.

Argumenta vero et exempla, quae in expositione allata proponuntur, vel falsa vel praeter rem esse intelliguntur. Recte igitur Cardinalis Franzelin in hanc opinionem animadvertit: „Clarum videtur, hos auctores, ut evitent aliquam difficultatem philosophicam non valde gravem, se coniicere in sententias philosophice non certe facile intelligibiles et theologice minime probabiles“ (Thes. 13. p. 167.).

Articulus quartus.

De natura characteris theologica.

Thesis 16. Character sacramentalis secundum rationem suam theologicam consideratus primo dicit physicam expressionem potestatis ministerialis sacrae; qua potestate secundo homo iuridice vel legitime capax fit actionum cultus divini secundum religionem christianam; quare tertio character simul signum cum Christo capite, duce, pontifice configurativum et diversorum ordinum christianorum distinctivum est; unde quarto idem signum etiam cum gratia sanctificante nexu causali cohaerere atque quinto indelebile esse intelligitur.

Demonstratio.

1. ***Argumentum et divisio thesis.*** — Postquam indoles characteris ontologica determinata est, investigandum

restat de ratione characteris theologica, sive explicandum est, in qua habitudine ad Deum vel Christum Deum-hominem character subiectum suum constituat. Quae investigatio ad intimam religionis christianae essentiam cognoscendam multum confert atque argumenti sublimitate et pulchritudine eminet. Iam quinque thesis partibus in ipsa enuntiatione distinctis ad propositam quaestionem respondetur.

Demonstratio.

1. p. Character sacramentalis ex natura sua dicit physicam expressionem potestatis ministerialis sacrae, qua homo capax est actionum cultus divini secundum religionem christianam.

2. ***1. Haec pars ex praecedentibus thesibus consequitur et quoad singula sacramenta characterem imprimentia facile explicatur.*** — Etenim charactere sacramentali homo insignitur tamquam deputatus ad cultum Dei in religione christiana exercendum. Cultores autem Dei in religione christiana hierarchiam quandam vel „multitudinem unam ordinatam uno modo sub principis (Christi) gubernatione“ (S. th. 1. p. q. 108. a. 2.) constituunt. Iamvero in tali hierarchia diversitas ordinum habetur secundum diversa officia et actus. „Non esset multitudo ordinata, sed confusa, si in multitudine diversi ordines non essent. Ipsa ergo ratio hierarchiae requirit ordinum diversitatem. Quae quidem diversitas ordinum secundum diversa officia et actus consideratur, sicut patet, quod in una civitate sunt diversi ordines secundum diversos actus; nam alius est ordo iudicantium; et alius pugnantium, et alius laborantium in agris; et sic de aliis“ (Ib.). Iamvero diversi ordines hierarchiae christianae ad tres reducuntur. *Unus* est eorum, qui potestatem habent recipiendi sacramenta; et huius potestatis expressio physica est character baptismalis; per baptismum enim ecclesiae ianua quasi aperitur et potestas traditur cetera sacramenta suscipiendi et omnia sacra participandi. *Alter* ordo est eorum, quorum est ex officio et speciali deputatione fidem publice confiteri et contra impugnantes defendere; at-

que huius potestatis et officii expressio physica character confirmationis est, quia per hoc sacramentum, ut iam supra dictum est, homo christianus in militem Christi deputatur et consecratur; quae sane iterum potestas ad divinum cultum pertinens est. Denique *tertius* ordo eorum est, quibus competit officium et potestas tradendi divina i. e. administrandi sacramenta, offerendi sacrificium, praedicandi verbum divinum, et ita porro; atque huius sacrae potestatis expressio physica est character sacramenti ordinis; per hoc enim sacramentum sacra potestas ministerii traditur vel ius dispensandi mysteria Dei secundum illud 1. Cor. 4.: „*Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.*“ Ergo inspectis singulis sacramentis characterem imprimentibus satis apparet, characterem non esse nisi specialem quandam potestatem ministerialem physice expressam vel actuatam.

3. ***2. Confirmatur ex SS. Patrum doctrina.*** — Etenim SS. Patres characterem sacramentalem maxime comparant cum charactere vel nota vel habitu militari: quare ex eorum mente character sacramentalis pari vel simili ratione se habet in christiano, quo externus militiae character in milite se habet. Et certe haec comparatio aptissima est. Etenim sicut in exercitu diversi gradus sunt, atque diversis gradibus diversa sunt insignia vel characteres diversi, ita in ecclesia diversi gradus cultorum Dei sunt atque diversis illis gradibus diversus character respondet. Iamvero character militaris non est nisi externa physica expressio potestatis ministerialis, qua quis sub legitima auctoritate constitutus actus militares legitime ponere potest. Ergo pari ratione character sacramentalis non est nisi physica expressio potentiae ministerialis, qua aliquis sub Christo, summo sacerdote, legitime participare potest actiones sacras ad Dei cultum pertinentes.

2. p. Potentia, quam character sacramentalis formaliter impertitur, vel cuius actuatio physica est, non dat formaliter potentiam physicam eos actus ponendi, sed tantum posse eos ex officio ponere largitur.

4. ***1. Probatur ex analogia cum charactere militari.*** — Deputatio ad militiam non largitur potentiam physicam pugnandi, sed solum potentiam moralem, vel dat posse militare ex officio; atque hac potentia morali potissimum miles legitimus a rebello vel praedone distinguitur. Huius vero potentiae legitimae expressio physica est character militaris vel nota, qua homo ut legitimus auctoritatis minister et instrumentum signatur; neque quisquam in bello legitime pugnare censetur, nisi in quantum nota illa vel habitu insignitur. Iam age ex sententia SS. Patrum analogo modo character sacramentalis se habet ac character militaris; ergo etiam character sacramentalis non confert potentiam physicam eliciendi actus illos, ad quos homo per tria illa sacramenta ordinatur, sed posse legitime vel ex speciali officio illos actus ponere largitur.

5. ***2. Ex consideratione singulorum characterum sacramentalium.*** — Profecto diversis characteribus sacramentalibus singillatim consideratis idem apparet. Etenim *primo* character baptismalis nulla ratione dare potest potentiam physicam suscipiendi effectus ceterorum sacramentorum: anima enim per seipsam suscipere potest effectus supernaturales, quia secus ad suscipiendum ipsum characterem baptismalem alia praerequireretur potentia physica supernaturalis, et ad hanc iterum alia et ita porro in infinitum. *Deinde* similiter neque character confirmationis physicam largitur quampiam potentiam, sed potentiam tantum moralem vel posse ex officio impertit; etenim fidei christianae confessio publica et defensio, quam praestat christianus confirmatus, ab ea, quae a christiano non confirmato procedit, profecto nullo modo physice differt, sed eo solum discriminatur, quod confirmatus hoc ex speciali officio et tamquam proprius minister ad hoc deputatus agit, non confirmatus vero tale officium

vel eiusmodi deputationem non habet. *Denique* idem de charactere ordinis valet. Character enim ordinis non dat physicam baptizandi potentiam, quia laicus quoque valide baptizare potest; actio igitur baptizandi a sacerdote procedens et eadem actio a laico posita physice non differunt; verum sacerdos tamquam proprius huius sacramenti minister agit, laicus autem solum in casu extraordinariae necessitatis baptizare potest. Ergo character ordinis sicut ceteri characteres sacramentales non dat posse physice elicere actus respondentes, sed solum posse moraliter vel ex speciali officio impertitur.

6. Imo neque ad valorem illorum actuum semper character requiritur, sed solum quandoque ad hunc effectum necessarius est; atque tunc non propter physicam ullam conditionem actuum, sed ideo tantum requiritur, quia lex institutionis specialem in ministro vel etiam in suscipiente designationem vel deputationem postulat. Ita laicus quoque valide baptizat et non confirmatus fidem confiteri et defendere potest, imo occurrente necessitate id facere debet. Sed ex officio et speciali potestate illud sacerdos, hoc confirmatus facit. Simili quadam ratione quandoque in exercitu occurrente necessitate inferior, ut centurio, officium exsequitur, quod ex regulari officio ad ducem pertinet. Aliqui autem actus sunt, ad quorum valorem ex lege Christi character respondens omnino requiritur, ut ad ordinem impertiendum, sacrificium missae offerendum aliosque.

7. ***3. Ex speciali consideratione sacramenti ordinis.*** — Etenim ad summum character ordinis eiusmodi potentia physica esse videri posset. Atqui neque ipsi ratio potentiae physicae convenire intelligitur sive ipsa sacramenta a sacerdotibus impertita, sive effectus, qui est gratia, sive effectus, qui est character, accurate considerantur. Ergo neque character eiusmodi potentia physica est.

Probatur minoris prima pars. Ipsa sacramenta secundum esse suum physicum considerata nihil aliud dicunt, quam actionem aliquam sensibilem. Iamvero talem actionem ab homine charactere non instructo physice poni posse apertum

sane est. Ergo character non impertit potentiam physicam ipsum sacramentum administrandi.

Probatur minoris secunda pars. Characterem sacerdo- 8.
talem neque rationem potentiae physicae efficientis gratiam possidere, sic probatur: Character hanc vim aut immanente aut transeunte actione exereret: atqui neutrum dici potest; ergo character non est potentia physica relate ad gratiam producendam. Et *primo* quidem character gratiam non attingit actione immanente. Etenim nulla alia immanens sacerdotis actio necessaria est ad valorem sacramenti praeter intentionem sacramentum conferendi; atqui intentioni tali producendae par est et sufficit sola voluntas, cui cognitio obiectum volendum repraesentans praelucet; quia scilicet intentio entitative supernaturalis minime requiritur. sed intentio mere naturalis etsi pravo fine informata esset, prorsus sufficit. Deinde *secundo* character gratiam non attingit actione transeunte. Etenim ex una parte docentibus SS. Patribus et Conciliis actio ministri etiam charactere instructi tota quanta est in ponendo ipso ritu sensibili atque nonnisi mediante hac actione sensibili gratiam attingit; atque ex altera parte, ut supra iam probatum est, virtus physica finita, ut esset character, gratiam producere nullo modo neque instrumentaliter potest. Ergo. Confirmatur, quia idem prorsus effectus est, sive baptismus a sacerdote sive a laico confertur, quod impossibile foret, si character causa physica relate ad gratiam esset. — De sacramento Eucharistiae idem dicendum est. Scilicet character sacerdotalis neque relate ad transsubstantiationem causa physica est: etenim solis verbis consecrationis minister hanc mirabilem conversionem attingit; gratia vero, quam hoc saramentum confert, ex applicatione eiusdem est, quam per se et absolute loquendo etiam aliquis sacerdotali charactere non ornatus facere potest.

Probatur minoris tertia pars. Scilicet neque character 9
episcopalis rationem causae physicae habet relate ad characterem sacerdotalem, ut videri posset. Etenim *primo* nulla ratio est, cur character episcopalis aliter ad ordinandum, quam ad confirmandum concurrere credatur. *Praeterea* talis effi-

cientia aliena est a conditione qualitatis spiritualis; etenim tales qualitates prae actibus immanentibus quidem activae sunt, non autem per actiones transeuntes in aliis subiectis qualitates sibi similes generant.

10. *Ex dictis patet*, characterem esse participationem quandam sacerdotii Christi. Etenim character, ut dictum est, formaliter confert potestatem ministerialem in actiones hierarchicas; hae vero actiones hierarchicae sive actiones sunt ministrantium divina sive recipientium sive contra impugnantes defendentium, ad summum sacerdotem N. L., Christum, respectum involvunt, quia omnes illae actiones ex Christi auctoritate et mandato ponuntur, Christus enim cultus christiani non solum auctor et institutor, sed etiam principalis sacerdos est, utpote de quo Apostolus dicat: „*Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in coelis, sanctorum minister et tabernaculi veri*" (Heb. 8, 1. 2.). Sacerdotis autem principis profecto est principatus cuiusque religionis, ideoque ad eundem pertinet actiones hierarchicas instituere et ordinare.

11. *Ex dictis consequitur praeterea*, characterem sacramentalem signum esse distinctivum diversorum ordinum et officiorum, quam veritatem ipsa Concilia proponunt. Etenim cum character, ut dictum est, physica expressio sit diversarum potestatum vel diversorum officiorum, charactere discernuntur, quinam ad diversas sacrorum ministrationes sive receptiones deputandi vel admittendi sint. Neque obstat, quod character in se spectatus invisibilis est ideoque sub hoc respectu rationem signi distinctivi pro hominibus habere nequit; etenim mediate visibilis est propter necessariam, absolutam, infallibilem connexionem suam cum sacramento visibili externo. Ergo ut talis etiam rationem signi distinctivi habet.

3. p. Character signum est configurativum cum Christo capite, duce, pontifice.

12. ***1. Ex praecedentibus consequitur.*** — Etenim character, ut dictum est, physicam expressionem dicit pote-

statis ministerialis in actiones hierarchicas sub Christo summo sacerdote: atque propterea participatio aliqua ipsius sacerdotii Christi est. Iamvero per physicam qualitatem eius naturae homo sane similis Christo redditur, in quo potestas hierarchica principalis est et qui summus sacerdos est per ipsum Verbum divinum, naturam humanam quasi informans. Ergo reipsa per characterem sacerdotalem homo christianus Christo conformatur vel configuratur: quod enim in Christo est substantiali unione, idem analogice homo christianus habet accidentali informatione.

2. Item ex SS. Patrum doctrina consequitur. 13. — Etenim *primo* SS. Patres, ut supra ostensum est, characterem sacramentalem cum charactere militari necnon cum sigillo regio monetis impresso comparare solent: *praeterea* eundem vocant signum Dominicum, characterem Dominicum, characterem Regium et characterem Regis et Imperatoris Christi. Iamvero sigillum monetae impressum eam principi configurat, et character militaris, quo antiquitus milites insigniebantur, ipsos quadam ratione duci militari configurabat. „Milites, inquit *S. Thomas*, qui deputantur ad pugnandum, insigniuntur signo ducis, quo quodammodo ei configurantur" (S. th. 3. p. q. 63. a. 3. ad 2.). Ergo character sacramentalis simili ratione christianos Christo configurat. Configuratio sane intelligitur metaphorica, non propria: utpote quae consistat non in terminatione eadem quantitatis, sed in similitudine proprietatis spiritualis.

3. Ex analogia fidei illustratur. — Etenim omnia 14. dona supernaturalia eo spectant docente Scriptura, ut imagini Filii Dei conformes reddamur et ipsum induamus, atque ut ipse in nobis formetur primogenitus in multis fratribus atque ita sit omnia in omnibus. Ergo merito in donis supernaturalibus vis quaedam ponitur conformativa et configurativa cum Christo, quae quidem diverse est pro doni diversitate. Iamvero character sacramentalis donum quoddam est permanens et supernaturali ordini omnino proprium. Ergo character quoque peculiari modo christianos cum Christo conformat atque configurat.

15. ***4. Ex lege quadam ordinis supernaturalis confirmatur.*** — Nimirum in ordine supernaturali compertum est hanc vigere legem: *Omnia et in omnibus Christus.* Tota enim ecclesia corpus Christi est et plenitudo (i. e. complementum) eius, qui omnia in omnibus adimpletur (Eph. 1, 23.): Christus vero ecclesiae caput est, a quo totum corpus per aptam omnium membrorum cum capite et inter se connexionem apte coagmentatur et constituitur et per iugem et efficacem influxum in diversa membra pro diversa sua ratione sustentatur, augescit, proficit in caritate et tota vita supernaturali (Eph. 1, 23.: ib. 4, 15.; 5, 30.: 1 Cor. 12, 27.). Quae ecclesiae eiusque membrorum cum Christo unio tanta est, tam arcta atque mirabilis, ut S. Paulus ecclesiam simpliciter Christum vocet (1 Cor. 12, 12.). Iamvero tam mirabilis ecclesiae et membrorum eius cum Christo unio concipi nequit, quin simul configurationem quandam et conformationem membrorum ecclesiae cum Christo capite comprehendere intelligatur. Atqui in ratione diversorum membrorum Christi homines constituuntur per characteres sacramentales. Ergo per characteres sacramentales homines Christo pro diversa ratione, qua membra eius sunt, diversimode conformantur et configurantur.

16. *Ex dictis intelligitur primo*, nomen Christiani non designare solum moralem quandam et externam relationem: sed rem plane divinam et coelestem significat, necnon dignitatem, quae omnem dignitatem naturalem infinite exsuperat; praeterea illud S. Pauli: ‚*Non estis vestri*' intelligitur intimam rationem Christiani explanare.

17. *Intelligitur secundo*, characterem sacramentalem christianos Christo configurare potissimum, quatenus est summus sacerdos. Apposite *S. Thomas*: „Deputatur quisque fidelis ad recipiendum vel tradendum aliis ea, quae pertinent ad cultum Dei: et ad hoc proprie deputat character sacramentalis. Totus autem ritus christianae religionis derivatur a sacerdotio Christi. Et ideo manifestum est, quod character sacramentalis specialiter est character Christi, cuius sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales charac-

teres, qui nihil aliud sunt, quam quaedam participationes sacerdotii Christi ab ipso Christo derivatae" (S. th. 3. p. q. 63. a. 3.).

Intelligitur tertio, nihilominus unumquemque characterem speciali quadam ratione subiectum suum Christo configurare. Scilicet character baptismalis configurat Christo simpliciter tamquam capiti, character confirmationis vero Christo tamquam duci configurat, et character ordinis speciali modo tamquam sacerdoti Christo subiectum suum conformat. Nulla autem in hac assertione cum praecedenti contradictio est. Etenim functiones Christi tamquam capitis et ducis sub functione sacerdotis tamquam culmine suo subsumuntur. Nimirum per baptismi characterem homo corpori Christi mystico incorporatur, capiti Christo eiusque influxui subiicitur atque capax fit ad actiones hierarchicas, quae ad functiones sacerdotales pertinent. Per characterem confirmationis vero christianus Christo duci configuratur eo, quod ex speciali officio deputatur ad publice profitendam et defendendam fidem, pro qua instituenda Christus ipse pugnavit adversus hostes usque ad mortem. Quae fidei professio et defensio iterum sub functionibus sacerdotalibus subsumitur. Denique per characterem sacerdotalem homo christianus Christo configuratur, quatenus ex speciali officio deputatur ad bona fidei aliis communicanda. 18.

Paulo aliter alii theologi diversitatem triplicis characteris explicant: „In Christi familia pro statu adhuc militante triplex ordinum distinctio consideranda est, quibus tres distinctae consecrationes, tres distincti characteres sacramentales respondent. Sicut enim Christus in scripturis exhibetur Rex, Propheta et Sacerdos; ita prae regno, supremo magisterio et sacerdotio Christi in ecclesia, mystico Christi corpore, triplex est status et gradus subditorum fidelium, bonum certamen certantium pro fide, ministrantium in mysteriis redemptionis; atque ideo triplex obligatio, consecratio et conformatio ad Christum per characterem Baptismi, Confirmationis, Ordinis. ‚Character in his solum sacramentis imprimitur, quae respiciunt statum fidei determinatum; tres 19.

autem sunt status, fidei scilicet genitae, roboratae et iam multiplicatae . . . ideo tria sacramenta imprimunt characterem.' S. Bonaventura 4. d. 6. p. 1. q. 4.; Halensis p. 4. q. 8. m. 8. a. 1." (*Franzelin,* th. 13. n. II. in fine.).

4. p. Character sacramentalis cum gratia cohaeret quidem nexu causali, essentialiter vero ab invicem differunt.

20. Ad intimam characteris naturam melius cognoscendam eiusdem ad gratiam relationem considerare iuvabit; quae relatio duplex est: scilicet *primo* character gratiam exigit tamquam complementum connaturale: *secundo* multiplex inter characterem et gratiam differentia est.

1. Character gratiam tamquam complementum suum connaturale postulat. — Huc pertinent rationes, quae iam in praecedentibus partibus continentur et superius quoque indigitatae sunt: quare eas in unum colligere atque paucis evolvere satis est.

1) Ratio prima. — Imprimis huc spectat doctrina SS. Patrum, secundum quam character *primo* est signaculum, quo consignamur ad futuram haereditatem vel obsignamur, ne cum filiis irae coniuncti simus: *praeterea* ab iisdem character dicitur signaculum, quod spectet ad tenendum splendorem imaginis Dei, ad gratiam conservandam, ad obtinendum praesidium angelorum, ad munimentum contra tentationes procurandum. Iamvero eiusmodi characteris indoles secum ferre intelligitur internum et necessarium inter characterem et gratiam nexum, ita ut haec ab illo exigatur eiusque connaturale complementum sit. Ergo.

21. *2) Ratio altera.* — Charactere, ut supra dictum est, aliquo modo cum Christo conformamur vel configuramur. Atqui in hoc ordine supernaturali quaevis cum Christo conformatio, quae non est per gratiam, connaturaliter ad conformationem per gratiam tendit, utpote quae in hac vita finis est ceterorum donorum Dei supernaturalium: quod vero connaturaliter ad gratiam tendit, eam tamquam complementum suum exigere intelligitur. Ergo.

3) *Ratio tertia.* — Denique per characterem ad Christum 22.
referimur tamquam membra ad caput, tamquam milites ad ducem, tamquam sacerdotes ad summum sacerdotem. Iamvero unaquaeque harum relationum gratiam sanctificantem manifesto tamquam necessarium suum complementum postulat. Et *primo* quidem ratio membri id postulat; etenim membro ius competit participandi vitam corpori propriam; vita vero corpori Christi mystico propria gratiam sanctificantem tamquam principium connaturale habet. *Praeterea* Christus membra corporis sui speciali amore prosequitur (Eph. 5, 25); necnon Deus ipse membra corporis Christi singulari amore complectitur, unde et Salvator omnium maxime fidelium dicitur; iamvero illud, quo speciali modo ad amorem Christi et Dei referimur, gratiam appellare et habere tamquam complementum suum manifestum est. Ergo.

Secundo item ratio militis Christi gratiam postulare in- 23.
telligitur. Etenim ille, cuius est fidem publice profiteri et defendere, fidem ipse perfecte possideat, convenit et necesse est: atqui fides perfecta non est, nisi sit caritate formata: caritate autem formata non est, nisi subiectum eius gratia sanctificante instructum sit; ergo ratio militis Christi ad profitendam et defendendam fidem constituti gratiam sanctificantem tamquam connaturale complementum postulat.

Tertio denique etiam ratio sacerdotis Christi gratiam postu- 24.
lat. Etenim cum ipse summus sacerdos Christus etiam spectata natura humana substantialiter sanctus sit propter eius cum Verbo divino substantialem unionem, sane convenit, ut qui sacerdotium Christi accidentaliter participant, etiam sanctitatem eius accidentaliter participent accidentali cum Deo unione; atqui haec accidentalis cum Deo unio et participatio substantialis sanctitatis in gratia sanctificante continetur; ergo. Ceterum iam ipsum munus sacerdotis in se spectatum in hoc ordine supernaturali sanctitatem postulare satis intelligitur.

Ex omnibus intelligitur, characteri aliqua ratione ratio- 25.
nem signi practici respectu gratiae convenire. Apposite *S. Bonaventura*: „Character est signum sacramentale; quia signacu-

lum sacramentale, ideo gratiam significat, et non tantum significat, imo aliquo modo praeparat, quia usus sacramentorum non est tantum in significando, sed in efficiendo aliquo modo. Et quia gratiam significat et ad gratiam disponit, hinc habet aliquam similitudinem cum gratia, quae est similitudo Dei, ideo aliquo modo configurat Deo, et quia omnes configurat uni, ideo etiam assimilat gregem Domini inter se." (In 4. d. 6. q. 2.).

26. ***2. Character sacramentalis et gratia sanctificans multipliciter differunt.*** – Principales inter utrumque donum supernaturale differentiae ad has reduci possunt.

1) Differentia prima. – Gratia sanctificans hominem formaliter participem reddit naturae divinae filium Dei adoptivum constituit atque formalis causa sanctificationis supernaturalis est. Character vero nil nisi consecratio aliqua est, qua homo ad cultum divinum certo ordine exsequendum deputatur ideoque potius inter gratias gratis datas, non gratum facientes recensetur.

2) *Differentia altera.* — Gratia sanctificans altera natura est et hominem ea informatum causam connaturalem actuum supernaturalium constituit, sive gratia ut principium in actus supernaturales immediate sive mediate influere dicitur. Character autem potentiam quampiam physicam non confert, sed potentiam solum moralem vel iuridicam impertitur.

27. *3) Differentia tertia.* — „Gratia est in anima, sicut quaedam forma habens esse completum in ea; character autem est in anima, sicut quaedam virtus instrumentalis" (*S. Thomas*, s. th. 3. p. q. 63. a. 5.). Quae differentia cum priore quidem pugnare videri posset; attamen non ita est nam S. Thomas hunc in modum explicandus est: Gratia homini competit, quatenus sui iuris vel propria in se constituta persona est. Econtra character homini imprimitur, quatenus debet esse minister Christi atque sub Christo certo officio religioso cultus divini mancipatur.

4) Differentia quarta. — Gratia amitti potest et quidem per quodvis peccatum mortale reipsa amittitur; gratia enim hominem cum Deo suprema bonitate intime unit; peccatum

vero sub eodem respectu a Deo separat. Character autem amitti nequit, ut statim probatur, neque per ipsum peccatum grave deletur, utpote qui non est gratia gratum faciens, sed ad gratias gratis datas pertinet, ut dictum est.

5) Differentia quinta. — Gratia ad genus habituum **28.** pertinet, character autem potius ad potentiae genus reducitur. Primum illud in tractatu de gratia explicatur, alterum vero iam ex supradictis constat et a *S. Thoma* hoc modo declaratur: „Sacramenta N. L. characterem imprimunt, in quantum per ea deputantur homines ad cultum Dei secundum ritum christianae religionis . . . Divinus autem cultus consistit vel in recipiendo aliqua divina, vel in tradendo aliis. Ad utrumque autem horum requiritur aliqua potentia: Nam ad tradendum aliquid aliis requiritur quaedam potentia activa; ad recipiendum autem requiritur potentia passiva. Et ideo character importat quandam potentiam spiritualem ordinatam ad ea, quae sunt divini cultus. Sciendum tamen quod haec spiritualis potentia est instrumentalis, sicut etiam supra dictum est de virtute quae est in sacramentis. Habere enim sacramenti characterem competit ministris Dei: minister autem habet se per modum instrumenti . . . Et ideo sicut virtus, quae est in sacramentis, non est in genere per se, sed per reductionem, eo quod est quiddam fluens et incompletum, ita etiam character non proprie est in genere vel specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis" (potentiam) (S. th. 3. p. q. 63. a. 2.; cf. in 4. d. 4. q. 1. a. 1.).

5. p. Character sacramentalis tum in hac tum in altera vita indelebilis est.

Haec pars quoad primam assertionem de fide definita **29.** est, quoad alteram vero assertionem, etsi expressum dogma non sit, ita tamen theologice certa est, ut opposita assertio merito temeraria esse dicatur; quod ex argumentis ipsis constabit.

1. Character indelebilis est in hac vita. — Argumenta huius partis iam in superioribus pleraque contenta hic in unum colliguntur et paucis evolvuntur.

1) Probatur ex SS. Patrum doctrina. — Etenim SS. Patres, ut ex testimoniis supra allatis constat, sigillum hoc sacramentale dicunt esse insolubile, indelebile, infragile, independens a gratiae conservatione vel amissione, independens a fide, spe et charitate: atqui haec praedicata saltem valent de charactere pro hac vita spectato, quia secus nullam veritatem haberent; ergo.

30. *2) Ex conciliis Florentino et Tridentino.* — Primum enim in decreto pro Armenis ita statuit: „Inter haec sacramenta tria sunt: baptismus, confirmatio et ordo, quae characterem, i. e. spirituale quoddam signum a ceteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile; unde in eadem persona non iterantur" (D. 590.). Alterum vero sic decernit: „Si quis dixerit in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione, et ordine non imprimi characterem in anima, h. e. signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt: anathema sit" (Sess. 7. can. 9. de sacram. in gen. D. n. 734.).

31. *3) Ex Catechismo Tridentino.* — Sic enim doctrinam catholicam proponit eiusque rationem reddit ex *S. Augustino*: „Est autem character veluti insigne quoddam animae impressum, quod deleri nunquam potest, eique perpetuo inhaeret, de quo ita apud *S. Augustinum* (Tract. 6. in Ioan.) scriptum est: ‚An minus forte sacramenta christiana, quam corporalis haec nota, qua scilicet miles insignitur, potuerunt? Illa namque militi ad militiam, quam deseruisset, revertenti non nova imprimitur, sed antiqua cognoscitur et approbatur" (P. 2. c. 2. n. 30.).

4) Ex eo, quod sacramenta characterem imprimentia non iterantur. Scilicet huius rei optima ratio redditur per characterem, qui irrevocabiliter hominem consecrat ideoque indelebilis est: alia autem ratio nec reddita est, nec reddi potest; ergo.

32. ***2. Character etiam in altera vita indelebilis est.*** — Etiam haec assertio diversis argumentis certo probatur:

1) Ex testimoniis traditionis supra adductis. — Nimirum tum SS. Patres, tum Concilia communiter characterem simpliciter et sine restrictione indelebilem dicunt; ergo cum nulla ratio exstet, ob quam haec testimonia ad sensum limitatum de indelebilitate characteris in hac vita restringenda sint, iisdem characterem etiam in altera vita indelebilem dici, merito asseritur.

2) Ex diserta SS. Patrum et theologorum doctrina. — **33.** Nullus enim SS. Patrum est, qui vel innuat characterem in altera vita delendum esse, econtra vero plures Patres characterem etiam in altera vita indelebilem esse expressis verbis docent. Ita Cyrillus H. characterem appellat „indelebilem in aeternum" (Procatech. n. 17.); Gregorius Naz. „faustum munus funerale" (Or. 40. n. 15.); et Macarius docet, oves Christi etiam in extremo iudicio charactere insignitas fore. — Theologi vero communiter idem expressis verbis docent. Audiatur pro omnibus *S. Thomas*: „Post hanc vitam remanet character et in bonis ad eorum gloriam et in malis ad eorum ignominiam; sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam et in his, qui vicerunt, ad gloriam, et in his, qui victi sunt, ad poenam" (S. th. 3. p. q. 63. a. 5.).

3) Ex natura characteris ontologica. — Etenim Deus **34.** cum potius conservator rerum sit, ea non destruit, quae natura sua incorruptibilia sunt, nisi aliquod contrarium vel defectus finis interitum iam postulant. Quo referri possunt verba Scripturae: „*Didici, quod omnia opera, quae fecit Deus, manent in aeternum*" (Eccl. 3. 4.). Atqui character ex natura sua forma incorruptibilis est neque per contrarium expelli potest neque fine in aeternum carebit. Ergo character in aeternum indelebilis est. *Minor probatur.* Etenim *primo* character neque per se corruptibilis est, quia est forma spiritualis, neque corrumpi potest ratione subiecti deficientis, quia subiectum eius anima spiritualis et aeterna est. *Secundo* neque per contrarium expelli potest, quia tale contrarium solum peccatum esset; atqui peccatum sicuti impressioni, ita nec conservationi characteris obstat. *Tertio* neque fine caret

character in altera vita, quia finis sufficiens imo optimus iam supra verbis S. Thomae assignatus est.

35. ***4. Ex natura characteris theologica.*** — Characterem sacramentalem in aeternum indelebilem esse, *S. Thomas* merito inde confirmat, quod sacerdotii Christi quaedam participatio est. „Character sacramentalis est quaedam participatio sacerdotii Christi in fidelibus eius, ut scilicet sicut Christus habet plenam spiritualis sacerdotii potestatem, ita fideles eius ei configurentur in hoc, quod participant aliquam spiritualem potestatem respectu sacramentorum et eorum, quae pertinent ad divinum cultum. Et propter hoc etiam Christo non competit habere characterem, sed potestas sacerdotii eius comparatur ad characterem, sicut id, quod est plenum et perfectum, ad aliquam sui participationem. Sacerdotium autem Christi est aeternum, secundum illud ps. 109, 4.: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Et inde est, quod omnis sanctificatio, quae fit per sacerdotium eius, est perpetua, re consecrata manente. Quod patet etiam in rebus inanimatis; nam ecclesiae vel altaris manet consecratio semper, nisi destruatur. Cum igitur anima sit subiectum characteris secundum intellectivam partem, in qua est fides, ut dictum est, manifestum est, quod sicut intellectus perpetuus est et incorruptibilis, ita character indelebiliter manet in anima" (S. th. 3. p. q. 63. a. 5.).

Corollarium.

36. ***1. Ex doctrina de charactere confirmatur explicatio causalitatis sacramentorum supra tradita:*** — Quod apta ratione sic ostendit *Billot*: „Si enim sacramentum primo et immediate solum characterem inducit, ex indelebilitate characteris evidentissime sequitur initerabilitas sacramenti. Sin autem, ut quibusdam placet, character et gratia essent effectus aeque immediati, nulla foret connexio, saltem ex natura rei. Nam licet sacramentum repetitum non haberet adaequatum illum effectum, quem per se causare natum est, adhuc tamen haberet effectum immediatum principalem, sci-

licet effectum gratiae, quae semper potest augeri. Ratio ergo initerabilitatis sumi omnino nequit ex parte characteris, nisi ponas sacramentum non inducere gratiam, nisi mediante charactere, et dependenter a charactere prius natura producto" (De sacram. t. 1. p. 146.).

2. Ex proposita doctrina intelligitur, cur tria tantum sacramenta characterem imprimant. — Et quidem *reipsa tria tantum sacramenta characterem imprimere* certum est tum ex doctrina SS. Patrum, qui tribus tantum hunc effectum tribuunt et de aliis sic implicite saltem negant, tum ex communi theologorum consensu, tum ex concilio Tridentino, quod item hoc de tribus explicite asserit ideoque de aliis implicite negat, tum denique ex decreto Eugenii IV pro Armenis, qui expressis verbis alia praeter illa tria characterem producere negat. **37**

Ratio autem, ob quam tria illa sacramenta characterem imprimant, ex doctrina stabilita facile intelligitur. Scilicet character non sanctificatione sed consecratione continetur, qua homo Deo divinisque rebus dicatur. Quare cum statu quodam supernaturali permanente in corpore Christi mystico necnon cum diversorum ordinum in Christi familia distinctione cohaeret. Nimirum per baptismum, confirmationem, ordinem homines membra, milites, sacerdotes ministri Christi consecrantur ideoque statum quendam supernaturalem in corpore Christi mystico acquirunt necnon in triplicem ordinem in familia Christi discernuntur. Hunc vero in finem characterem convenienter imprimere intelliguntur. **38.**

Ratio igitur, ob quam cetera quatuor sacramenta characterem non imprimant, in eo est, quod per eadem homo non directe ad cultum divinum ordinatur. Quod consideranti facile patet. Etenim *poenitentia* et *extrema unctio* in remedium peccati post baptismum commissi ordinantur, atque per ea homo simpliciter in statum pristinum restituitur, in quo ante peccatum erat. Pari ratione *matrimonium* non ordinatur directe in cultum divinum, sed magis institutum est ad sanctificandum officium naturale atque ad cultum divinum tantum praeparative vel dispositive se habet, quatenus per **39.**

hoc sacramentum coniuges ad generandam et educandam prolem christianam et populum fidelem multiplicandum deputantur; quare per matrimonium neque speciale officium ad cultum divinum pertinens suscipitur neque novus status hierarchicus obtinetur. Denique in *ss. Eucharistiae sacramento* duo distingui possunt: *primo* consecratio, quae ipsa sacramentalis actio est; *secundo* sumptio sacramenti vel sacra communio. Et consecratio quidem characterem imprimere non posse illico intelligitur; etenim non consecrat cultorem Dei, sed ad exteriorem materiam terminatur atque suprema cultus actio sive N. L. sacrificium est. Neque receptio huius sacramenti characterem imprimit; etenim propter summam perfectionem suam hoc sacramentum non deputat hominem ad aliquid ulterius recipiendum vel agendum quoad cultum Dei, sed potius omnium finis et consummatio est. Cf. S. Th., s. th. l. c. a. 6.

Scholion.

40. ***De subiecto, in quo character inhaereat.*** — Diversae hac de re exstant theologorum sententiae. *Prima* est Nominalistarum, qui realem potentiarum, intellectus et voluntatis, ab essentia animae distinctionem non agnoscentes totam quaestionem inanem atque inutilem habent; verum immerito ita procedunt, quia etiam hac suppositione facta quaestio posita omni momento non careret, cum quaeri tunc posset, utrum anima secundum esse an secundum intellectum vel voluntatem, potentias virtualiter distinctas, a charactere informetur. *Altera* sententia Scoti est et aliorum, qui docent, characterem in sola voluntate immediate recipi. *Tertiam* sententiam S. Bonaventura aliique tenent, qui dicunt intellectum simul et voluntatem characteris subiectum exstare. *Quarta* sententia est, quam tenent uterque Victorinus, Cardinalis de Lugo, Bellarminus, Suarez, Vasquez multique alii, qui docent, ipsam animae essentiam esse immediatum characteris subiectum. *Quinta* denique *sententia* S. Thomae est eumque plerique Thomistae sequuntur; qua sententia statu-

itur characterem immediate in solo intellectu tamquam in subiecto recipi. Secunda et tertia sententia satis probabiles esse non videntur, utpote pro quibus vix solidae rationes afferri possint. Tum quarta vero tum quinta probabilitatem suam habent, quod paucis ostendendum est.

1) Probabile est, characterem in ipsa essentia animae **41.** *recipi.* — Tribus praesertim argumentis hanc assertionem ostendere solent:

a) *SS. Patres et Concilia,* cum de characteris subiecto vel explicite vel implicite loquuntur, ut tale subiectum ipsam animam considerare videntur; etenim characterem v. g. animae imprimi, animae sigillum esse crebro dicunt. Iamvero vix credibile est, eosdem hoc nomine potentias animae, intellectum vel voluntatem intellexisse, quin unquam id innuerent. Ergo.

b) *Ratione theologica* sic arguunt: Character natura sua **42.** signum configurativum cum Christo est, quo christiani ad Christum ut membra ad caput, ut milites ad ducem, ut sacerdotes ministri ad sacerdotem summum referuntur. Iamvero eiusmodi configuratio ad ordinem essendi potius, quam ad ordinem operandi spectare videtur. Ergo ipsa essentia animae. non vero potentia aliqua characteris subiectum est. *Confirmatur*, quia character consecrationem ontologicam dicit, qua totus homo cultui divino mancipatur.

c) Item *ratione mere philosophica* utuntur: Potentia ali- **43.** qua characteris subiectum esse posse non videtur. Quia enim potentia quaevis ad agendum destinata est ideoque ex ordine ad actus et obiecta esse suum suamque speciem habet, ea subiectum esse posse non videtur nisi vel alicuius actus secundi, vel actus cuiusdam primi, qui disponat atque vim tribuat vel ad agendum simpliciter, vel ad facilius et perfectius agendum. Character vero eiusmodi actus nec primus nec secundus alicuius potentiae esse videtur. Ergo.

2) Probabilis tamen etiam sententia S. Thomae est, se- **44.** *cundum quam character in potentia intellectus recipitur.* — Quam doctrinam ipse *S. Thomas* triplici argumento probat:

a) Et *primo* quidem ostendit characteris subiectum potentiam aliquam esse. „Sicut in praemissa definitione characteris (‚Character est distinctio a charactere aeterno impressa animae rationali secundum imaginem, consignans Trinitatem creatam Trinitati creanti et recreanti, et distinguens a non configuratis secundum statum fidei.') continetur, character imprimitur animae rationali secundum imaginem. Sed imago Trinitatis in anima attenditur secundum potentias. Ergo character in potentiis animae existit" (S. th. 3. p. q. 63. a. 4.).

45. b) „Character est quoddam signaculum, quo anima insignitur ad suscipiendum vel aliis tradendum ea, quae sunt divini cultus. Divinus autem cultus in quibusdam actibus consistit. Ad actus autem proprie ordinantur potentiae animae, sicut essentia ordinatur ad esse. Et ideo character non est sicut in subiecto in essentia animae, sed in eius potentia" (Ib.).

46. c) *Secundo* vero characterem afficere potentiam intellectus non voluntatis, sic ostendit: „Character ordinatur ad ea, quae sunt divini cultus, qui quidem est quaedam fidei protestatio per exteriora signa. Et ideo oportet, quod character sit in cognitiva potentia animae, in qua est fides" (Ib. ad 3).

Ad argumenta vero prioris sententiae hoc modo responderi potest:

47. *Ad primum:* Si character immediate in potentia inhaeret. mediate tamen ipsam animam afficit ideoque simpliciter animae imprimi dici potest. Sic etiam habitus fidei et caritatis animae infundi dicuntur, quamvis prior immediate intellectum. alter immediate voluntatem afficiat.

Ad secundum: Istam configurationem character non alio modo praestat, quam quatenus est physica expressio potentiae ministerialis, quae participationem aliquam accidentalem sacerdotii Christi dicit. Iamvero talis potentia eiusque expressio reipsa magis ad operandi quam ad essendi ordinem spectat. Ergo. Neque obstat, quod character consecratio est, quia praecise in ordine ad certas actiones homo charactere consecratur.

Ad tertium: Praeter simpliciter agere et facilius vel perfectius agere tertium habetur, scilicet agere posse ex offi-

cio vel deputatione atque hoc a charactere tribuitur. Apposite etiam *S. Thomas*: „Essentia animae est subiectum potentiae naturalis, quae ex principiis essentiae procedit. Talis autem potentia non est character, sed est quaedam spiritualis potentia ab extrinseco adveniens. Unde sicut essentia animae, per quam est naturalis vita hominis, perficitur per gratiam, qua anima spiritualiter vivit, ita potentia naturalis animae perficitur per spiritualem potentiam, quae est character. Habitus enim et dispositio pertinent ad potentiam animae, eo quod ordinantur ad actus, quorum potentiae sunt principia. Et eadem ratione omne, quod ad actum ordinatur est potentiae tribuendum" (Ib. ad 2.).

48. *Quartum argumentum* ab ipso *S. Thoma* sic proponitur: „Character . . . dicitur esse dispositio ad gratiam. Sed gratia est in essentia animae sicut in subiecto . . . Ergo videtur quod character sit in essentia animae, non autem in potentiis" (ib. arg. 1.). — *R.* „Subiectum alicui accidenti atribuitur secundum rationem eius, ad quod propinque disponit, non autem secundum rationem eius, ad quod disponit remotè vel indirecte. Character autem directe quidem et propinque disponit animam ad ea, quae sunt divini cultus exsequenda. Et quia haec idonee non fiunt sine auxilio gratiae . . . ex consequenti divina largitas recipientibus characterem largitur gratiam, per quam digne impleant ea, ad quae deputantur. Et ideo characteri magis est attribuendum subiectum secundum rationem actuum ad divinum cultum pertinentium, quam secundum rationem gratiae" (Ib. ad 1.).

49. *Nota.* De natura characteris sacramentalis ontologica et theologica recenter egit speculative magis, quam positive *Dr. L. Farine* in opusculo: *Der sacramentale Character.* Statuit *primo*: repugnare intrinsecus quodvis accidens supernaturale; *secundo*: etsi possibile sit accidens supernaturale, nihilominus impossibile esse, ut character eiusmodi accidente supernaturali contineatur; *tertio* ex Scripturae et Traditionis doctrina ipsum Spiritum Sanctum tamquam characterem considerandum esse. — Iamvero haec doctrina *primo* nullis solidis rationibus internis nititur: *secundo* cum communi theologorum

consensu prorsus pugnat; *tertio* nullo modo Scriptura vel Traditione fulcitur, verum Traditione recte intellecta plane excluditur; *quarto* rationibus theologicis et philosophicis certo refutatur. Atque hoc de illa theoria iudicium fundatum et verum esse, facile colligitur et constat ex tota superiore de charactere tractatione necnon quod possibilitatem accidentium supernaturalium attinet ex iis, quae hac de re in tractatu de Deo uno (th. 31. n. 44. ss.) disputata sunt. Quare illam novam theoriam ex professo et propriis argumentis hoc loco refutare, longum simul et supervacaneum est.

Quaestio quarta.

De institutore sacramentorum.

Articulus primus.

De potestate auctoritatis et potestate excellentiae in sacramentorum constitutione.

Thesis 17. Solus Deus suprema potestate auctoritatis sacramentorum institutor est, Christo vero secundum humanam naturam spectato potestas excellentiae competebat.

Declaratio.

1. ***1. Quaestionis argumentum et divisio.*** — De causis internis sacramentorum iam supra tractatum est in quaestione de interna constitutione eorundem ex materia et forma sive ex rebus et verbis. Item de causa finali sacramentorum satis iam ex iis constat, quae de eorum causalitate et effectibus disputata sunt. Restat igitur ad complendam tractationem de causis sacramentorum, ut de causis efficientibus quoque eorum agatur. Porro sacramenti causa efficiens duplex est: una est instituens, atque haec signis sensibilibus significationem sacram imponit et virtutem ad sanctificationem efficiendam largitur; altera est ministerialis atque haec proxime sacramentale signum iam institutum efficit

et applicat. Iamvero explicatione causae ministerialis ad proximam quaestionem dilata in praesenti de sola causa instituente investigandum est. Quod argumentum commode tribus articulis absolvetur:

1) De potestate auctoritatis et potestate excellentiae in sacramentorum institutione.

2) De immediata sacramentorum per Christum institutione.

3) De materiae et formae sacramentorum determinatione.

2. ***Potestatis auctoritatis et potestatis excellentiae notio.*** — In sacramentorum institutione duplex causa spectanda est: *principalis*, cui potestas auctoritatis competit, et *altera* principali subordinata, in qua potestas excellentiae invenitur. *Potestas* vero *auctoritatis* ea esse intelligitur, quae relate ad effectum aliquem simpliciter et absolute principalis est, ita ut propria atque effectui ex omni parte proportionata virtute agat, atque omnem aliam causam eundem effectum agentem sibi ministerialiter vel instrumentaliter subordinatam habeat. *Potestas excellentiae* autem definiri solet: potestas ministerii principalis, ubi per ministerium intelligitur non solum applicatio sacramenti iam instituti, sed imprimis ratio causae subordinatae vel instrumentalis in ipsa sacramentorum institutione. Hanc inter potestatem auctoritatis et potestatem excellentiae distinctionem relate ad sacramentorum efficientiam tradit *S. Thomas*: „Interiorem sacramentorum effectum operatur Christus et secundum quod est Deus et secundum quod est homo, aliter tamen et aliter. Nam secundum quod est Deus, operatur in sacramentis per auctoritatem; secundum autem quod est homo, operatur ad interiores effectus sacramentorum meritorie et efficienter, sed instrumentaliter. Dictum est enim, quod passio Christi, quae competit ei secundum humanam naturam, causa est nostrae iustificationis et meritorie et effective non quidem per modum principalis agentis sive per auctoritatem, sed per modum instrumenti, in quantum humanitas est instrumentum divinitatis eius. Sed tamen, quia est instrumentum coniunctum divinitati in persona, habet quandam principalitatem et causali-

tatem respectu instrumentorum extrinsecorum, qui sunt ministri ecclesiae, ut ex supradictis patet. Et ideo sicut Christus, in quantum Deus habet potestatem auctoritatis in sacramentis, ita in quantum homo habet potestatem ministerii principalis sive potestatem excellentiae" (S. th. 3. p. q. 64. a. 3.).

3. Itaque potestas excellentiae *primo* ministerialis sive relate ad potestatem auctoritatis subordinata vel instrumentalis est; *secundo* principalis ministerialis est sive omnes alias causas concurrentes praeter potestatem auctoritatis sibi subordinatas tamquam instrumentales vel ministeriales habet. Iamvero his de notione potestatis auctoritatis et potestatis excellentiae praemissis in 1. parte thesis demonstratur, Deum potestate auctoritatis sacramenta instituisse, in 2. vero parte Christo homini potestatem excellentiae in sacramentorum institutione competivisse ostenditur.

Demonstratio.

I. p. Solus Deus potestate auctoritatis sacramenta instituere potuit.

4. ***Probatur ex ipsa rei natura.*** — Ut supra dictum est, sacramenta instituere nihil aliud est, nisi signis sensibilibus significationem sacram imponere atque virtutem ad sanctificationem efficiendam largiri; potestas vero auctoritatis soli causae illi competit, quae absolute et simpliciter principalis ideoque effectum virtute omni ex parte propria et proportionata attingit. Ergo manifesto consequitur, eam solam causam potestate auctoritatis sacramenta instituere potuisse, quae virtutem sanctificatricem ut causa principalis et proportionata largitur. Atqui solus Deus ut causa principalis et proportionata virtutem sanctificatricem largiri potest. Ergo solus Deus potestate auctoritatis sacramenta instituere potuit.

5. *Probatur minor:* Solus Deus ut causa principalis et proportionata effectus gratiae sanctificantis et characteris sacramentalis producere potest; ergo etiam solus Deus ut causa principalis et proportionata largiri potest virtutem sanctificatricem, utpote qua hi effectus attinguntur.

Antecedens constat quoad gratiam sanctificantem. Etenim „nulla res potest agere ultra suam speciem, quia semper oportet, quod causa potior sit effectu. Donum autem gratiae excedit omnem facultatem naturae creatae, cum nihil aliud sit, quam quaedam participatio divinae naturae, quae excedit omnem aliam naturam. Et ideo impossibile est, quod aliqua creatura gratiam causet“ (S. th. 1. 2. q. 112. a. 1.). 6.

Antecedens constat etiam quoad alterum effectum nonnullorum sacramentorum, qui in charactere continetur. Quamvis enim character, cum ad gratias gratis datas pertineat, talem divinae naturae participationem non contineat, qualis est gratia sanctificans; nihilominus entitate intrinsecus supernaturali constituitur; quod ex superiore de charactere tractatione plane manifestum est. Atqui eiusmodi entitatem intrinsecus supernaturalem solus Deus tamquam causa principalis et proportionata attingere potest. Ergo etiam character soli Deo tamquam causae principali et proportionatae adscribi debet. — *Praeterea* idem ex alia ratione patet, quam *S. Thomas* adducit: „Quia solus Deus illabitur animae“ (S. th. 3. p. q. 64. a. 1.). Scilicet ut alibi (in 2. d. 8. q. 2. a. 5. ad 3.) explicat, nulla creatura propria virtute terminos substantiae spiritualis ita ingredi potest, ut ibi intrinsecus operetur, sed hoc solus Deus creator facere potest; atqui character in anima inhaeret, non prout forma corporis, sed prout spiritualis substantia est; ergo solus Deus propria virtute effectum characteris attingere potest. 7.

2. p. Christo, in quantum homo est, potestas excellentiae in sacramentorum institutione competebat.

Item ex natura rei probatur. — Etenim Christo in quantum homo est, potestas competebat iuridica, signis sensibilibus significationem sacram imponere atque virtutem sanctificatricem largiri; atque haec potestas relate ad potestatem divinam auctoritatis subordinata quidem et ministerialis vel instrumentalis est; omnes vero alias causas ad sa- 8.

cramenta constituenda concurrentes sibi tamquam ministeriales vel instrumentales subordinatas habet. Atqui eiusmodi Christi hominis potestas excellentiae potestas est in institutione sacramentorum. Ergo Christo, in quantum homo est, potestas excellentiae in sacramentorum institutione competebat. Minor manifesta est ex notionibus supra explicatis; maior facile probatur secundum triplicem assertionem, quam continet.

9. *1) Christo in quantum homo est, potestas competebat iuridica, signis sensibilibus significationem sacram imponere atque virtutem sanctificatricem largiri.* — Revera enim Christo homini potestas competebat applicandi meritum, quod passione sua atque morte sibi comparavit. Ergo etiam media constituere poterat, quibus illud suum meritum applicaretur; atqui in potestate eiusmodi media constituendi continetur sane potestas signis sensibilibus significationem sacram imponere atque virtutem sanctificatricem largiri; ergo etiam haec potestas sive potestas iuridica sacramenta instituendi Christo homini competebat.

10. 2) *Haec Christi hominis potestas relate ad potestatem divinam auctoritatis subordinata et ministerialis vel instrumentalis erat.* — Etenim *primo* eiusmodi potestas principalis quidem est in ratione causae meritoriae, non autem in ratione causae physice efficientis effectum sacramentorum; iamvero causa meritoria etiam suprema supremae causae efficienti physicae necessario subordinata est; ergo. Quod inde quoque vel magis elucet, quia ratio eiusdem potestatis iuridicae in dignitate meritorum Christi continetur; etenim haec dignitas meritorum Christi hominis a persona divina Verbi procedit, cui ut *principio quod* per naturam humanam velut per *principium quo* operatur, operationes Christi meritoriae omnes adscribendae sunt; atqui eiusmodi principium quo principio quod certe subordinatum est; ergo etiam potestas excellentiae potestati auctoritatis subordinata esse intelligitur.

11. *Praeterea* Christus homo ut causa meritoria Deo subordinatus est tamquam causa instrumentalis vel ministerialis, quia scilicet virtute vel dignitate non innata vel naturali, sed a Deo per gratiam derivata vel supernaturali operatur; quare

Deus per Christum hominem nos redemisse recte dicitur. Atqui quod de Christo homine causa meritoria et redemtrice recte dicitur, idem quoque de potestate excellentiae in sacramentorum efficientia dicendum esse manifestum est. Ergo Deus per Christum sacramenta instituit, sive potestas excellentiae, quae Christo in sacramentorum institutione competebat, potestati divinae auctoritatis instrumentaliter vel ministerialiter subordinata erat.

3) Potestas excellentiae omnes alias causas ad sacramenta concurrentes sibi tamquam ministeriales vel instrumentales subordinatas habet. – Quod ex dictis iam manifesto intelligitur. Etenim *primo* humanitas Christi verbo divino ut propria eiusdem natura tamquam instrumentum internum coniunctum est ideoque infinitam eius dignitatem participat; iamvero talis natura sibi omnes alias causas sanctificatrices tamquam instrumenta Dei externa vel causas ministeriales externas plane subordinat. *Praeterea* humanitati Christi relate ad creaturas plenum in merita, quae acquisivit, dominium competere intelligitur; ergo in horum meritorum applicatione ideoque in sacramentorum constitutione pro lubitu causas alias creatas sibi ministerialiter vel instrumentaliter subordinat. 12.

Scholion.

1. De ambitu potestatis excellentiae. — Ex definitione potestatis excellentiae facile intelligitur, eam ad sacramentorum institutionem non restringi, sed latius patere. Porro *S. Thomas* ambitum eiusdem sic definit: „In quantum homo, (Christus) habet potestatem ministerii principalis sive potestatem excellentiae; quae quidem consistit in quatuor: primo quidem in hoc, quod meritum et virtus passionis eius operatur in sacramentis, ut supra dictum est. Et quia virtus passionis copulatur nobis per fidem secundum illud Rom. 3. 25.: *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius,* quam fidem per invocationem nominis Christi protestamur; ideo secundo ad potestatem excellentiae, quam Christus habet in sacramentis, pertinet, quod in eius nomine 13.

sacramenta sanctificantur. Et quia ex eius institutione sacramenta virtutem obtinent, inde est quod tertio ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse, qui dedit virtutem sacramentis, potuit instituere sacramenta. Et quia causa non dependet ab effectu, sed potius e converso, quarto ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse potuit effectum sacramentorum sine exteriori sacramento conferre" (S. th. 3. p. q. 64. a. 3.). Atque haec quidem omnia reipsa Christo convenire, ex Scriptura ipsa confirmatur:

14. *1) Tota sacramentorum efficacia ex meritis Christi derivatur.* — Etenim s. Scriptura omnem gratiam ideoque etiam gratiam sacramentalem meritis vel passioni et morti Christi adscribit; quod quidem enucleatius in tractatu de Verbo incarnato demonstratur, sed paucis testimoniis consideratis satis patet: „*De cuius plenitudine nos omnes accepimus, gratiam pro gratia*" (*Ioh. 1, 16.*). „*Una enim oblatione consummavit in aeternum sanctificatos*" (Heb. 10, 14.). „*Christus dilexit ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae*" (Eph. 5, 25, 26.). „*Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus*" (Rom. 6, 3.). Huc ea quoque testimonia spectant, quibus Christus *mediator Dei et hominum* (1 Tim. 2, 5), *melioris testamenti mediator* (Heb. 8, 6.) *novi testamenti mediator* (ib. 9, 15; 12, 24.) dicitur.

15. *2) Sacramenta Christi nomine sanctificantur vel administrantur.* — Quia scilicet sacramentis Christus sua merita applicat, ideo eius nomine et auctoritate administrari debent. Huc pertinent v. g. haec Scripturae testimonia: „*Unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli; ego autem Apollo; ego vero Cephae; ego autem Christi. Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?*" (1 Cor. 1, 12. 13.). „*Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto*" (Ioh. 1, 33.). Illa quoque ex actibus Apostolorum testimonia huc pertinent, quibus baptismus in nomine Iesu collatus commemoratur (cf. act. 2, 38.; 8, 12.).

3) Christus omnia sacramenta ipse instituit. — De qua institutione in sequenti thesi ex professo tractatur.

4) Christus sacramentorum effectum sine sacramentis **16.** *conferre potuit.* — Etenim Christus, qua volebat ratione sua merita applicare poterat. Quare etiam extra sacramenta peccata remisisse et gratiam contulisse in Scriptura legitur: „*Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. Et coeperunt, qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua te salvam fecit; vade in pace*“ (Luc. 7, 48—50). „*Et videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico: confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: surge et ambula? Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit et abiit in domum suam*“ (Matth. 9, 2—7.).

2. De communicabilitate potestatis excellen- **17.** ***tiae.*** — A theologis quaeri solet, num haec potestas excellentiae, Christo propria et quasi connaturalis, ab eo Apostolis aliisque ecclesiae pastoribus communicari potuerit. *S. Thomas*, quem plerique hac in re sequuntur affirmative respondet: „Christus in sacramentis habuit duplicem potestatem: unam auctoritatis, quae competit ei secundum quod Deus, et talis potestas nulli creaturae potuit communicari, sicut nec divina essentia; aliam potestatem habuit excellentiae, quae competit ei, secundum quod homo, et talem potestatem potuit ministris communicare; dando scilicet eis tantam gratiae plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus, ut ad invocationem nominum ipsorum sanctificarentur sacramenta, et ut ipsi possent sacramenta instituere, et sine ritu sacramentorum effectum sacramentorum conferre solo imperio. Potest enim instrumentum coniunctum, quanto fuerit fortius, tanto magis virtutem suam instrumento separato tribuere,

sicut manus baculo“ (S. th. 3. p. q. 64. a. 4.). Quibus positis duo insuper notanda sunt:

18. *Primo*, cum ea ratione, qua exponit S. Thomas, Christus excellentiae potestatem conferre posset, manifesto consequitur. Christum etiam meris hominibus potuisse communicare potestatem tum instituendi sacramenta meritis Christi fundata tum sanctificandi homines sine sacramentis solo imperio ex virtute meritorum Christi.

19. *Secundo* notatu dignum est, quod sacramenta hominum meritis fundata duplici vel triplici modo a Christi sacramentis differrent. Ad rem *Cardinalis de Lugo*: „Ceterum in duobus differret (talis homo sacramenta instituens) a Christo Domino. Primo, quia, licet posset mereri de condigno gratiam, non tamen remissionem peccati mortalis, nec iustificationem peccatoris . . . atque adeo non posset his sacramentis conferre per valorem condignum suorum meritorum virtutem ad iustificandum; qualem habent alia Christi sacramenta. Secundo, quia, cum totus valor illorum meritorum esset finitus, non posset instituere sacramenta, quae absque ullo termino haberent virtutem communicandi gratiam pluribus, et pluribus suscipientibus, sed solum usque ad talem terminum, qui tamen terminus non oportet, quod sit in sacramentis Christi, cuius merita habent valorem infinitum“ (Disp. 7. s. 2. n. 22.). Addi potest tertia differentia, quod scilicet eiusmodi potentia excellentiae homini communicata eatenus quoque secundaria et subordinata esset relate ad potestatem excellentiae Christi primariam, quod illa in hac vel in meritis Christi inniteretur. — Sed relicta iam hac quaestione de mera possibilitate, ipsum factum institutionis inquirendum venit; quod in nova thesi praestandum est.

Articulus secundus.

De immediata sacramentorum per Christum institutione.

Thesis 18. **Tamquam certum doctrinae catholicae caput considerandum est, omnia N. L. sacramenta immediate ab ipso Christo, non vero mediate per Apostolos instituta esse.**

Declaratio.

1. Status quaestionis explicatur. — Christum, prout homo est, omnia N. L. sacramenta vera quadam ratione instituisse, ad doctrinam fidei pertinet. Atvero ea vel immediate vel mediate per Apostolos sive ecclesiam instituere potuit; quare iam quaeritur, utrum mediate solum an vero immediate per seipsum omnia instituerit. Ut vero huius quaestionis inquisitio ab omni ambiguitate, qua nimis apud aliquos theologos involuta est, penitus liberetur, imprimis accurate determinandum est, quid per immediatam necnon mediatam sacramentorum institutionem intelligatur. Itaque immediatus institutor sacramentorum Christus dicendus est, si per se ipsum ad certos illos fines vel status sacramentales peculiarem et determinatam gratiam vel sanctificationem conferendam esse decrevit, atque eam gratiam signis quibusdam sensibilibus saltem in genere determinatis ita alligavit, ut eiusdem signa practica sive signa demonstrativa simul et causae instrumentales sint. Dixi signa sensibilia sacramentalia ab immediato institutore in genere saltem determinanda esse; scilicet ad immediatam institutionem non requiri videtur, ut in specie determinentur, ut infra magis patebit. Hinc v. g., si Christus sacramentum ordinis instituens decreverit solum in genere, effectum huius sacramenti aliquo signo sensibili apto conferendum esse, electionem vero certi et determinati signi ex diversis aptis apostolis vel ecclesiae reliquerit, nihilominus immediatus sacramenti ordinis institutor esse intelligitur. 1.

Mediatus vero tantum institutor sacramentorum esset, si apostolis vel ecclesiae potestatem fecisset determinandi gra- 2.

tiam pro certis finibus vel statibus sacramentalibus eamque pro lubitu certis quibusdam actionibus sensibilibus tamquam signis practicis annectendi; in eiusmodi enim hypothesi sacramenta ab Apostolis vel ecclesia, quamvis in ea re a Christo dependentibus, immediate in ratione signorum sacrorum practicorum instituta esse intelligerentur.

3. Neque mediatus vero sacramentorum institutor Christus esset in duplici casu memorando: *primo* scilicet, si potestatem excellentiae quibusdam creaturis ita communicasset, ut sacramenta meritis ipsorum propriis fundata pro lubitu suo instituerent; *secundo* si Spiritus Sanctus post Christi ascensionem per Apostolos tamquam organa revelationis sacramenta instituisset; in quo casu etiam Apostoli potius promulgatores sacramentorum a Deo institutorum, quam eorundem institutores esse intelligerentur.

4. ***2. Quorundam medii aevi doctorum doctrina.*** — Singulares quasdam sententias hac in re aliqui medii aevi theologi proposuerunt. Ita extremam unctionem ab Apostolis institutam esse, docuerunt *Hugo a S. Vict.* (De sacram. l. 2. p. 15. c. 2.) et *Petrus Lombardus*, cuius haec sunt verba: „Hoc sacramentum unctionis infirmorum ab Apostolis institutum legitur. Ait enim Iacobus cap. ult.: ‚*Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesiae etc.*‘ (L. 4. d. 23.). *Alexander Halensis* vero asserere non dubitavit, sacramentum confirmationis post Apostolorum aetatem „institutum fuisse Spiritus Sancti instinctu in concilio Meldensi, quantum ad formam verborum et materiam elementarem, cui etiam Spiritus Sanctus contulit virtutem sanctificandi“ (S. th. 4. p. q. 9. m. 1.). Quae sententia non solum in se valde singularis est, sed etiam eatenus mirabilis apparet, quatenus ex decretis illius concilii ne cum probabilitatis quidem specie deduci possit, sed potius ob expressam ad auctoritatem Innocentii I. provocationem oppositum consequatur (cf. can. 44. 45. 46.). Denique similem de confirmatione et extrema unctione sententiam *S. Bonaventura* professus esse videtur. Scilicet de confirmatione agens dicit: „Potest dici, et melius ut credo, quod illud sacramentum Christus nec dispensavit nec

instituit, quia post ascensionem suam decebat Apostolos confirmari et Spiritum eis ad robur dari. Unde *Spiritus Sanctus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus?* Non, inquam, datus in plenitudine vel ad robur, sed hoc quidem fuit in die Pentecostes. Unde confirmati sunt a Spiritu Sancto immediate sine ministerio et sacramento: et ideo ipsi alios confirmabant etiam sine verbo. Sed postquam bases Ecclesiae, Apostoli scilicet, qui a Deo, non per homines erant ordinati, praelati et confirmati, defecerunt, instituit Spiritus Sanctus huius sacramenti formam, cui etiam virtutem sanctificandi dedit" (In 4. d. 7. a. 1. q. 1.). Et de extrema unctione: „Aliqui, inquit, dicere voluerunt, omnia sacramenta instituta fuisse a Christo, quoniam ipse fuit legislator. Unde quamvis non expresse legatur de confirmatione et extrema unctione, tamen credendum est ipsum instituisse. Et hoc aliquo modo innuitur de confirmatione, cum manus pueris imposuerit; de extrema unctione, cum discipulos ad praedicandum misit, qui *oleo ungebant infirmos et curabantur*, sicut dicitur Marc. 6, 13: nec dubium est, quin per mandatum ipsius hoc fecerint. Si autem Apostoli dicuntur aliqua instituisse, hoc est quia institutionem promulgaverunt, sicut beatus Iacobus confessionis et unctionis. Sed tamen, cum in evangelio sufficienter lex evangelica exprimatur, et evangelica lex contineat Christi statuta et facta, et magis statuta quam facta; quomodo probabile est, ut omnes evangelistae sic sub silentio tam nobilia sacramenta pertransissent, si Christus instituisset, cum ex his nostrae salutis adminiculum eliciatur? Et ideo probabilius alii dicunt et Magister videtur hoc sentire, imo aperte dicit, quod Spiritus Sanctus per Apostolos hoc sacramentum instituit, sicut supra dictum est de sacramento confirmationis" (Ib. d. 23. a. 1. q. 2. — Forte dici potest cum novissimis editoribus operum S. Bonaventurae (in 4. d. 7. scholion.), eundem hanc sententiam ob auctoritatem Magistri magis, quam ex propria persuasione admissam postea correxisse et aliquatenus retractasse. Etenim in Breviloquio sacramenta baptismi, eucharistiae, ordinis opponit sacramentis confirmationis et extremae unctionis atque illa dicit

a Christo instituta esse „initiando et consummando et in semetipso suscipiendo", haec vero „insinuando et initiando: confirmationem manum parvulis imponendo et praedicendo discipulos baptizandos Spiritu Sancto; unctionem vero extremam discipulos ad curandum mittendo, qui infirmos ungebant oleo, sicut dicitur in Marco 6, 13" (Brevil. l. 6. c. 4.).

Ut ex testimoniis allatis apparet, secundum Magistrum, Alexandrum Halensem necnon S. Bonaventuram aliquorum sacramentorum Christus ne mediatus quidem institutor dicendus est.

5. ***3. Doctrina statuenda.*** — Contra opiniones relatas communis theologorum praesertim post Concilium Tridentinum sententia est, Christum hominem non tantum quacunque ratione vel mediate, sed immediate omnia N. L. sacramenta instituisse. Et quidem sacramenta N. L. fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta simpliciter, a Concilio Tridentino (sess. 7. c. 1.) definitum ideoque dogma fidei est. An vero haec definitio etiam contineat, omnium sacramentorum institutionem immediate quoque a Christo factam esse theologi non consentiunt, cum alii, ut *Bellarminus* (Controv. 3. l. 1. c. 23.), *Vasquez* (In 3. p. d. 135. c. 1.), *Gonetus* (clyp. thom. d. 5. a. 1.) id affirment, alii vero magnae item auctoritatis, ut *Suarez* (In 3. p. q. 64. d. 12. s. 1. n. 3.), *Tournely*, (de sacram. in gen. q. 5. a. 1.). *Billuart* (de sacram. in comm. d. 5. a. 1.) negent. In eo autem omnes iam conveniunt, immediatam omnium N. L. sacramentorum per Christum institutionem ita certam esse et cum dogmate connexam, ut catholico theologo eam negare vel in dubium vocare nullo modo fas sit.

6. Iam haec doctrina in praesenti thesi ita statuitur, ut in 1. parte demonstretur, omnia N. L. sacramenta ad Christum hominem tamquam institutorem suum vera ratione referenda esse; in 2. vero parte ostendatur, Christum vel immediate omnia N. L. sacramenta instituisse. Ex demonstratione vero huius 2. partis simul elucebit, verius dici, immediatam omnium sacramentorum per Christum institutionem dogma catholicum esse.

Demonstratio.

I. p. Christum omnia N. L. sacramenta instituisse credendum est.

1. Probatur ex s. Scriptura. — Ex Scriptura duplex argumentum facile componitur. 7.

1) Ex muneribus Christi. — Christus, prout homo est, secundum s. Scripturam *primo* redemptor omnium hominum est atque omnem gratiam meruit, quae unquam hominibus tribuitur; quod iam ex tractatu de Verbo Incarnato luculenter constat. — Hinc *secundo* ecclesiae fundator (Matth. 16, 18.: Eph. 5, 25 ss.), novi testamenti auctor, sponsor, mediator est: „*Et ideo* (sc. quia sanguine suo nos redemit) *novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt aeternae hereditatis. Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris*" (Heb. 9, 15. ss.). „*In tantum melioris testamenti sponsor factus est Deus*" (Ib. 7, 22.). „*Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto et melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est*" (Ib. 8, 6.). „*Accessistis ad . . . testamenti novi mediatorem Iesum*" (Ib. 12, 24.). — Porro *tertio* in hoc novo testamento a se fundato Christus summus sacerdos est, a quo omnis alia potestas sacerdotalis vel ministerialis derivatur. Praeter plura capita ex epistola ad Hebraeos (cc. 4. ss.), ubi Apostolus id ex professo exponit, huc pertinent v. g. haec testimonia: „*Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos*" (Matth. 28, 18. 19.). „*Sicut misit me Pater, et ego mitto vos . . . Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*" (Ioh. 20, 21. 23.). „*Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum; et dedit nobis ministerium reconciliationis: quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhor-*

tante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo" (2. Cor. 5. 18. ss.). „*Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi . . . Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in sanctificationem corporis Christi*" (Eph. 4. 7. ss.). — Denique *quarto* caput ecclesiae est, a quo tota corporis vita derivatur: „*Et ipse est caput corporis ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt*" (Col. 1. 18 ss.; cf. Eph. 1, 22; 4, 15; 5, 23. ss.; Col. 2, 10.). — Iamvero cum his muneribus Christi aperte connexum est, eum saltem mediatum sacramentorum institutorem esse. Ergo.

8. *Probatur minor: Primo* enim, qui omnes gratias hominibus acquisivit, eius quoque est, rationem atque instrumenta determinare, quibus eaedem gratiae iisdem hominibus applicentur; saltem independenter ab eo eiusmodi media determinari nequeunt. — *Secundo* ad ecclesiae fundatorem sane pertinet, essentialia eiusdem elementa determinare; atque auctoris, sponsoris, mediatoris novi testamenti esse intelligitur, conditiones vel media statuere ad eiusdem testamenti promissiones consequendas; iamvero sacramenta, utpote quae ad vitam ecclesiae supernaturalem generandam, augendam, fovendam ordinantur, ad essentialia eiusdem elementa pertinent necnon media sunt ad promissiones N. T. consequendas: ergo. — *Tertio*, qui ita summus sacerdos N. L. est, ut omnis alia potestas circa sacra ab eo derivetur, illico sane intelligitur etiam sacramenta, utpote quae potissima N. L. sacra sunt, sua auctoritate ordinasse vel saltem in eorum institutionem essentialiter influxisse. - *Quarto* denique qui ea ratione, qua Christus, caput ecclesiae est, in hoc suum corpus totam illam vitam supernaturalem, qua vivit, iugiter influit ideoque etiam principia eligit vel determinat, quibus haec

vita influenda est: iamvero sacramenta eiusmodi vitae supernaturalis ecclesiae principia sunt; ergo.

Itaque dubitari nullo modo potest, quin in ipsis Christi muneribus a Scriptura declaratis contineatur, quod omnia N. L. sacramenta vel immediate ab ipso Christo vel mediate saltem sive dependenter ab auctoritate et voluntate humana Christi instituta sunt. 9.

2. Per directam exclusionem sententiae oppositae. — Si Christus neque mediatus sacramentorum institutor esset, dicendum esset, Spiritum Sanctum vel immediate vel mediate per ecclesiam sacramenta instituisse. Atqui id dici nullo pacto potest. Ergo. 10.

Minor probatur: Scilicet huius institutionis sacramentorum a Spiritu Sancto sive immediate sive mediate factae nullum vestigium neque in Scriptura neque in Traditione exstat; imo ex ipsa sacra Scriptura oppositum potius constat. Etenim Spiritus Sanctus ecclesiae promissus est tamquam doctor, illuminator, revelator non vero tamquam legislator vel institutor; quod constat ex his aliisque testimoniis: „*Et ego rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere . . . Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit*“ (Ioh. 14. 16. 17.). „*Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de iustitia et de iudicio . . . Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso; sed quaecunque audiet loquetur, et quae ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis*“ (Ib. 16, 7. ss.). Atqui sacramenta instituere legislatoris vel fundatoris ecclesiae est, non vero doctoris, illuminatoris, revelatoris. — Ergo.

2. Ex Concilio Tridentino. — Etenim sess. 7. can. 1. sacrum concilium definivit: „Si quis dixerit, sacramenta 11.

N. L. non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta . . .: anathema sit." Cum haec definitio prorsus clara sit, quaeri solum potest, num Christo, prout homo est, sacramentorum institutionem adscribat; atqui hoc quoque plane certum est. Etenim *primo* appellatio „Dominus noster" in modo loquendi ecclesiastico Christum etiam secundum humanitatem et praesertim secundum humanitatem spectatum designare solet. *Praetera* Concilium sacramentorum institutionem certis quibusdam actionibus adscribit atque determinata quaedam institutionis adiuncta commemorat, quae ad Christum spectant prout homo est. Etenim plura sacramenta, ut eucharistiam, poenitentiam, ordinem declarat a Christo instituta esse verbis ab evangelistis relatis (cf. sess. 13. cc. 1. et 2.; sess. 14. c. 1. can. 2.); item ab eodem exhibetur Christus eucharistiam instituisse „discessurus ex hoc mundo" et poenitentiam „a mortuis excitatus". Iamvero eiusmodi verba et actionum adiuncta Christo conveniunt prout homo est sive secundum naturam humanam. Ergo ex definitione concilii Tridentini de fide est, Christum prout homo est sive humana sua natura et voluntate sacramentorum institutorem exstitisse.

2. p. Christus omnia N. L. sacramenta immediate instituit.

12. ***1. Probatur ex s. Scriptura.*** — Tria argumenta ex doctrina Scripturae peti possunt, quae se invicem confirmant et saltem simul sumpta rem prorsus evincere videntur.

1) Ex diserta institutionis aliquorum sacramentorum relatione. — Etenim Scriptura claris et expressis verbis duorum sacramentorum, baptismi scilicet et eucharistiae institutionem immediate a Christo factam refert (Matth. 26. 28. etc.): item alia duo non eadem quidem perspicuitate sed satis certo exhibet immediate a Christo instituta esse: nimirum poenitentiam verbis: *„Quorum remiseritis peccata, remittuntur iis; et quorum retinueritis retenta sunt"* (Ioh. 20, 23.); et ordinem aliis illis verbis: *„Hoc facite in meam commemorationem* (Luc. 26, 19.). Hinc vero propter paritatem rationis conclu-

datur oportet, cetera quoque sacramenta omnia a Christo immediate instituta esse, nisi ratio solida in oppositum adducatur. Atqui tum ratio quaevis in oppositum deficit, tum illa paritas revera urget, quia omnia N. L. sacramenta signa practica gratiae sunt ideoque ad fundamenta ecclesiae pertinent, quae ab ipso fundatore ecclesiae immediate posita esse debent.

13. *2) Confirmatur primo ex muneribus, quae a Scriptura Apostolis assignantur.* — Revera si qui praeter ipsum Christum immediati sacramentorum institutores habendi essent, haec praerogativa imprimis Apostolis tribuenda esset, utpote qui sub Christo primario fundamento ecclesiae fundamenta vocantur: „*Estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu*“ (Eph. 2, 19. 20.). „*Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni*“ (Apocal. 21, 14.). Atqui Apostoli semper tamquam dispensatores vel ministri sacramentorum, nunquam vero tamquam institutores exhibentur: „*Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus? Ministri eius, cui credidistis*“ (1. Cor. 3, 4. 5.). „*Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*“ (Ib. 4, 1.). Ergo Christus immediatus sacramentorum institutor est.

14. *3) Confirmatur secundo ex iis, quae Christus post resurrectionem suam egisse exhibetur.* — In actibus Apostolorum legimus: Christus „*praebuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei*“: λέγων τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ (Act. 1, 3.). Iamvero ad haec τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ maxime et imprimis fundamentalia sacramentorum instituta pertinent, ut recte insinuat *S. Leo*: „Non ii dies, dilectissimi, qui inter resurrectionem Domini ascensionemque fluxerunt, otioso transiere decursu; sed magna in his confirmata sacramenta, magna sunt revelata mysteria“ (Serm. 1. de Ascens. n. 3.). Ergo.

15 ***2. Ex SS. Patrum doctrina.*** — Ad duas rationes unam generalem, alteram magis specialem hoc argumentum revocatur.

1) Ex communi eorum loquendi ratione. — Nullum scilicet vestigium apparet, SS. Patres unquam inter immediatam aliquorum et mediatam ceterorum sacramentorum institutionem distinxisse; verum simpliciter et sine restrictione Christum ipsum tamquam auctorem sacramentorum exhibent, ut v. g. *auctor operis de sacramentis:* „Auctor sacramentorum quis est, nisi Dominus Iesus? De coelo ista sacramenta venerunt" (l. 4. c. 4.). Iamvero haec procedendi ratio non obscure eorum mentem immediatae sacramentorum institutioni adhaerentem prodit; tum quia eos immediata aliquorum per Christum institutio a Scriptura non latebat, tum quia magis simpliciter et proprie et sine restrictione ille solus sacramentorum institutor esse intelligitur, qui ea immediate instituit. Ergo.

16. 2) *Ex disertis S. Augustini testimoniis.* — Speciatim immediatae sacramentorum per Christum institutionis *S. Augustinus* testis est triplici testimonio.

Primum sic habet: „Primo itaque tenere te volo ... Dominum nostrum Iesum Christum ... levi iugo suo nos subdidisse et sarcinae levi. Unde sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione praestantissimis, societatem novi populi colligavit, sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis et sanguinis ipsius et si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur; exceptis iis, quae servitutem populi veteris pro congruentia cordis illorum, et prophetici temporis onerabant, quae et in quinque libris Moysis leguntur. Illa autem, quae non scripta (sc. in s. Scriptura), sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque instituta retineri" (Ep. 54. ad Ianuar. c. 1.). Scilicet his verbis Augustinus aperte docet, non solum duo, sed omnia N. L. sacramenta directe et immediate ab ipso Christo instituta esse ita, ut nullum ab ecclesia immediate institutum sit. Etsi enim

duo tantum, baptismum scilicet et eucharistiam, diserte nominet, cetera saltem innuit verbis: ‚et si quid aliud in Sripturis canonicis commendatur'. Itaque sensus verborum Augustini est: nullum esse proprie dictum N. L. sacramentum, quod a Scriptura ut tale non exhibeatur vel innuatur; omnia vero, quae in Scriptura exhibentur instituta, ab ipso Christo immediate, nequaquam vero ab Apostolis vel ecclesia esse ordinata. Iamvero omnia N. L. sacramenta in s. Scriptura commemorantur. Ergo ex mente S. Augustini omnia ab ipso Christo immediate instituta sunt. Quae vero addit Augustinus: ‚Illa autem, quae non scripta etc.' sensu restricto ad aliquas caeremonias, ut est celebratio Paschalis, intelligenda sunt sine dispendio traditionis, ut ex reliqua S. Augustini doctrina apertum est.

Secundum testimonium Augustinus praebet, cum de sacra- 17.
mentis N. L. agens declarat: „Quaedam pauca pro multis eademque factu facillima, et intellectu augustissima, et observatione castissima ipse Dominus et Apostolica tradidit disciplina" (De doctrina christiana c. 9.). Quibus verbis certe Christus, ut auctor vel institutor, Apostoli vero ut promulgatores sacramentorum exhibentur.

Tertium denique testimonium est: „Populus timore con- 18.
strictus tempore servitutis in vetere lege multis sacramentis onerabatur. Hoc enim talibus utile erat ad desiderandam gratiam Dei, quae per Prophetas ventura canebatur. Quae ubi venit, ab ipsa Dei sapientia homine assumpto, a quo in libertatem vocati sumus, pauca saluberrima sacramenta constituta sunt, quae societatem christiani populi, hoc est sub uno Deo liberae multitudinis continerent" (De ver. relig. c. 17. n. 33.). Quibus verbis obvie inspectis aperte Filio Dei ut est incarnatus sive Christo secundum naturam humanam in mortali vita constituto immediata sacramentorum institutio adscribitur. Quod ex contextu confirmatur, quia de iis ibi generatim tractat, quae Christus egit secundum naturam humanam, quando ‚*in terris visus est et cum hominibus conversatus est.*'.

3. Ex Concilio Tridentino. — Quadruplex argu- 19.
mentum ex doctrina huius concilii recte derivatur:

1) Argumentum primum. — Sess. 7. can. 1. s. concilium definivit: „Si quis dixerit, sacramenta N. L. non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta . . ., a. s.“ Iamvero haec definitio rationabiliter nonnisi de immediata per Christum institutione intelligi potest. Etenim ex usu loquendi ille institutor alicuius rei sensu obvio et proprio dicitur, qui eam per se ipsum instituit; quare is ecclesia etiam auctoritate a Christo accepta sacramenta ordinasset, eorum institutrix recte diceretur. Iamvero Concilium nonnisi ipsi Christo sacramentorum institutionem adscribit. Ergo. Maior argumenti vel inde etiam constat, quod theologi immediatam aliquorum sacramentorum per Christum institutionem negantes nunquam simpliciter vel sine restrictione dixerunt, ea sacramenta a Christo instituta esse.

20. *Confirmatur argumentum primo*, quia certe concilio ita definienti propositum erat, sacramenta speciali modo ad Christum Dominum referre; atqui per mediatam institutionem specialis relatio ad Christum non habetur; tali enim relatione omnia instituta ecclesiastica auctoritate a Christo accepta ordinata ad Christum referuntur; ergo.

21. *Confirmatur secundo* ex generali ecclesiae considerandi et loquendi in eiusmodi quaestionibus ratione. Etenim tres species institutorum in ecclesia vigentium discernuntur: *Prima* eorum, quae Christus ipse in terris visibiliter degens ordinavit; *secunda* est eorum, quae ab Apostolis per potestatem a Christo acceptam statuta sunt; *tertia* denique illorum est, quae post mortem Apostolorum ecclesia decursu temporis item auctoritate a Christo accepta constituit. Iamvero ecclesiae statuta non iuris divini sed iuris ecclesiastici esse dicuntur atque ipsi ecclesiae, non vero Christo adscribi solent; item ea, quae Apostoli post ascensionem Domini tradiderunt, sive tamquam promulgatores legis divinae sive ut legislatores agebant, non Christo homini, sed Spiritui Sancto adscribi consueverunt. Quare Concilium Tridentinum, cum Christum omnia N. L. sacramenta instituisse decernit, sane declarare intelligendum est, eum in mortali sua vita, cum ecclesiae suae fundamenta ponebat, sacramenta instituisse.

2) *Argumentum secundum.* — Sess. 14. can. 1. idem 22.
concilium definit, extremam unctionem, de cuius institutione maxime poterat esse quaestio, „esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum et a beato Iacobo Apostolo promulgatum". Quibus verbis concilium aperte inter institutionem et promulgationem huius sacramenti distinguit atque illam Christo, hanc vero Iacobo Apostolo adscribit; iamvero hac ratione non obscure Christo immediata huius sacramenti institutio tribuitur et quaevis eiusdem institutio per Iacobum facta excluditur; secus enim non solum promulgatio sed etiam institutio Apostolo adscribenda esset. Quod vero de extrema unctione valet, sine ulla ratione de aliis sacramentis negatur. Ergo ex doctrina Concilii Tridentini omnia N. L. sacramenta immediate ab ipso Christo instituta sunt.

3) *Argumentum tertium.* — Idem s. concilium institu- 23.
tionem sacramenti poenitentiae et sacramenti ordinis ita Christo tribuit, ut ex ipsa forma loquendi de immediata institutione intelligendum sit: „Dominus autem sacramentum poenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos dicens: *accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt*" (Sess. 14. c. 1.). „Corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri (Christus) obtulit; ac sub earundem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit" (Sess. 22. de sacrif. missae.). „Si quis dixerit, illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem,* Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes, offerrent corpus et sanguinem suum; a. s." (can. 2). Sane haec omnia, cum de mediata institutione intelligi nequeant, de immediata accipienda sunt. Ergo quando idem concilium sess. 7. can. 1. generatim institutionem omnium sacramentorum Christo tribuit, item de immediata institutione intelligi debet. Consequentia manifesta esse videtur; etenim eadem ratione loquendi concilium in utroque casu utitur, quin ullo modo aliquam significationis diversitatem insinuat. Ergo

iterum secundum mentem Concilii Tridentini omnia sacramenta ab ipso Christo immediate instituta sunt.

24. *4) Argumentum quartum.* — Denique eadem s. synodus docet: „Declarat hanc potestatem perpetuo in ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum veneration[i], pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire iudicaret" (Sess. 21. c. 2.). Quibus verbis s. concilium aperte asserit, ecclesiae quidem competere potestatem in ritus sacramentorum accidentales, nullam vero ei potestatem traditam esse circa substantiam sacramentorum, utpote quae immutabiliter eadem permanere debeat. Atqui potestas instituendi sacramenta in se complectitur potestatem substantiam eorum constituendi vel immutandi. Ergo ex mente concilii Tridentini, cum ecclesia hanc non habeat, neque illam habere dicenda est; quare ipse Christus immediate sacramenta instituit. Vel paulo aliter: Christus ita ecclesiae sacramenta tradidit, ut substantiam eorum immutabilem vellet. Iamvero qui ecclesiae sacramenta tradidit quoad substantiam immutabilia, immediatus eorum institutor est. Ergo.

25. ***4. Ex ratione theologica.*** — Huc spectant imprimis plura, quae supra (in thes. praec.) de potestate excellentiae explicata sunt. Duplicem insuper congruentiae rationem adducit S. Thomas:

1) Ratio prima: „Apostoli et eorum successores sunt vicarii Dei quantum ad regimen ecclesiae constitutae per fidem et fidei sacramenta. Unde sicut non licet eis constituere aliam ecclesiam; ita non licet eis tradere aliam fidem, neque instituere alia sacramenta; sed per sacramenta, quae de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata ecclesia" (S. th. 3. p. q. 64. a. 2. ad 3.).

26. 2) *Ratio secunda*; „Christus non ex invidia praetermisit potestatem excellentiae ecclesiae ministris communicare, sed propter fidelium utilitatem, ne in homine spem ponerent, et ne essent diversa sacramenta, ex quibus divisio in ecclesia oriretur; sicut apud illos, qui dicebant: *‚Ego sum Pauli, ego*

autem Apollo, ego vero Cephae', ut dicitur 1. ad Cor. 1, 12" (ib. a. 4. ad 1.). Eandem rationem *S. Augustinus* quoque iam proposuit: „Potuit autem Dominus Iesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui servo suo, ut daret baptismum suum tamquam vice sua, et transferre a se baptizandi potestatem et constituere in aliquo servo suo: et tantam vim dare baptismo translato in servum, quantam vim haberet baptismus datus a Domino. Hoc noluit ideo, ut in illo spes esset baptizatorum, a quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo servum ponere spem in servo. Ideoque clamabat Apostolus, cum videret homines volentes ponere spem in seipso: ‚*Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis?*' 1 Cor. 1, 13. Baptizavit ergo Paulus tamquam minister, non tamquam ipsa potestas: baptizavit autem Dominus tamquam potestas. Intendite. Et potuit hanc potestatem servis dare, et noluit. Si enim daret hanc potestatem servis, id est, ut ipsorum esset, quod Domini erat, tot essent baptismi, quot essent servi . . . Ergo ne tot baptismata dicerentur, quot essent servi, qui baptizarent accepta potestate a Domino; sibi tenuit Dominus baptizandi potestatem, servis ministerium dedit" (Tract. 5. in Ioh. n. 7.).

Corollarium.

27. ***1. Sacramenta V. L. immediate ab ipso Deo instituta sunt.*** — Etenim sicut tota illa lex divinam originem habet, ita etiam sacrificia eius et sacramenta a Deo instituta sunt. Quod de circumcisione in Genesi 17. 14., de universa vero lege et ceteris sacramentis et sacrificiis in Exodo et Levitico expressis verbis declaratur; ubi relatio institutionis eorundem semper inchoatur verbis: *Dixit Dominus ad Moysen.* Neque obstat, quod lex ab evangelista per Moysen, ab Apostolo vero per Angelos data esse dicitur; quia sive Moyses sive Angeli nonnisi ministri Dei vel promulgatores legis fuisse intelliguntur.

28. Rationem, ab quam horum quoque institutorum Deus voluit esse auctor immediatus, duplicem assignat *Suarez:*

„Ratio huius assertionis praecipua est, quia Deus voluit lege ac caeremoniis a seipso latis populum illum singulariter sibi coniungere. et a ritu gentilium segregare. Deinde, quia quod ad circumcisionem attinet. cum in ea danda esset gratia ad remittendum originale peccatum, necessaria erat auctoritas et promissio divina: quod vero spectat ad alia sacramenta illius legis, quamvis hoc sensu vacua essent, quod in eis non daretur gratia praeter meritum suscipientium, erant tamen quodam modo gravida mysteriorum et sacramentorum N. L., quae in illis praefigurabantur et promittebantur. et ideo etiam in illorum institutione erat necessaria divina sapientia et auctoritas: illa, quae futura mysteria cognosceret et accommodatis signis posset indicare; haec, quae potestatem haberet promittendi talia mysteria. et gratiam per sacramenta legis novae conferendam" (D. 12. s. 1. n. 8.).

29. *Excipi potest*, ex statuta assertione consequi, sacramenta V. L. quoad auctorem et institutionem digniora fuisse, quam sacramenta N. L., cum illa a Deo secundum divinam naturam, haec vero a Christo homine per humanam naturam instituta sint. Attamen haec illatio legitima consequentia caret. Etenim „licet Christus per humanitatem instituerit nostra sacramenta, hoc tamen non excludit, quin prima et principalis causa et ratio huius institutionis fuerit voluntas divina. ad quam Christus ut homo suam humanam voluntatem conformabat; atque ita in hoc est quaedam aequalitas inter vetera et nova sacramenta: in hoc autem nostra superant, quod illa per purum hominem immediate data sunt: haec vero per hominem Deum. Item quod circa illorum institutionem nullam potestatem vel auctoritatem habuit ille homo, per quem a Deo data sunt. sed nudum ministerium promulgandi voluntatem divinam: in nostris vero sacramentis instituendis, simul cum divina voluntate et auctoritate, intercessit voluntas Christi hominis. qui etiam ut homo. id est in humanitate sua habuit potestatem excellentiae, qua sicut potest leges ferre, et gratiam dare. ita etiam sacramenta potuit instituere et gratiam per ea dandam promittere, et ad ea suscipienda obligare. Quod quidem pertinet ad dignitatem humanitatis assumptae et sa-

cramentorum dignitatem non minuit, sicut, quod nunc datur gratia per sacramenta, pertinet ad ipsorum sacramentorum dignitatem et nihil minuit de perfectione et dignitate ipsius gratiae, cum semper principalis eius auctor sit Deus" (Ib. n. 9.).

2. Sacramentum legis naturae quoque immediate ab ipso Deo institutum est. — Ratio manifesta est ex ipsa huius sacramenti natura supra declarata. Etenim „supponendo, fuisse in ea lege aliquod sacramentum, in quo dabatur gratia et delebatur originale peccatum, necessario dicendum est, illud manasse ex divina institutione, quia nullus poterat talem medicinam adhibere peccato originali, nec gratiam sub tali signo promittere, nisi solus Deus, vel ex commissione eius; non potest autem apparenti aliquo fundamento dici hoc fuisse alicui homini commissum; nam si hoc in lege vetere et nova factum non est, nec fieri decuit, multo minus in lege naturae fieri oportebat. **30.**

Dices: tunc non fuit a Deo determinatum aliquod signum, sed voluntate humana determinabatur, et verisimile est, ut supra dixi, fuisse tunc potestatem in fideli republica definiendi huiusmodi signum seu caeremoniam, et obligandi fideles ad utendum illo signo et non alio; ergo institutio talis signi fuit humana et non divina. Respondetur argumentum solum concludere, institutionem Dei non fuisse eiusdem modi, cuius fuit in lege vetere vel nova, non tamen, quod non fuerit divina institutio; Deus enim voluit et instituit, ut signo aliquo sensibili applicaretur remedium originalis peccati per externam fidei professionem et applicationem, in qua gratia daretur; hoc enim non fuit inventum humanum, sed divinum. Liberum autem reliquit hominibus, ut hoc vel illo signo uterentur. Unde solum fit, determinationem signi fuisse ex voluntate humana vel privata vel publica; non tamen ipsam sacramenti institutionem" (Ib. n. 10.). **31.**

Scholion.

32. ***Duplex difficultas expeditur.*** — Restat, ut duplex obiectio solvatur, quae in verbis *S. Bonaventurae* supra relatis continetur, vel ex eis deduci potest.

1) Nec sacramenti confirmationis nec sacramenti extremae unctionis ulla mentio fit in evangeliis. Iamvero, quae in evangeliis non commemorantur, a Christo instituta non sunt, ut vel etiam ex verbis S. Augustini item supra iam citatis constare videtur. Ergo — R. Primo gratis et falso ponitur, omnia, quae Christus instituit vel ordinavit, ab evangeliis esse relata. Evangelistae enim certos quosdam et speciales fines prosequebantur ideoque ea ex vita Christi retulerunt, quae in illum finem assequendum conducebant, alia vero plura omiserunt. Quod *confirmatur* ex Actibus Apostolorum, utpote secundum quos Christus per quadraginta dies Apostolis apparebat atque de regno Dei sive de ecclesia loquebatur, cum tamen pauca solum ex his sermonibus ab evangeliis referantur. Huc plura capita vitae, doctrinae, institutionum Christi, quae in evangeliis non inveniuntur, in actibus Apostolorum et in epistolis apostolicis referuntur; et iterum alia, quae neque in tota Scriptura inveniuntur, ut v. g. paedobaptismus, in sola Traditione, quae alter est fons revelationis, continentur. Etsi igitur in tota Scriptura nulla duorum illorum sacramentorum mentio fieret, de iis tamen ex sola Traditione constaret, utpote quae manifesto ea tamquam a Christo instituta refert. Ceterum de confirmatione in actibus Apostolorum et de extrema unctione in epistola S. Iacobi ita sermo est, ut iisdem institutis rationem sacramenti convenire satis appareat, ut in tractatu de iisdem sacramentis in specie demonstratur. Quo supposito demonstratione supra facta concluditur, eadem sacramenta esse immediate a Christo instituta. *Denique* illud quoque animadvertendum est, etsi illorum sacramentorum immediata per Christum institutio a Scriptura expresse non referatur, multo minus tamen eandem Apostolis adscribi; unde hoc totum argumentum ex silentio Scripturae vel evangeliorum in adversarium retorqueri potest.

2) *Quaecunque sacramenta Christus instituit, ea ante ascensionem administrari potuisse videntur; utpote quae ante ascensionem a Christo instituta esse dicenda sunt. Atqui confirmatio ante ascensionem administrari non potuit, ut ex his Scripturae verbis patere videtur*: „*Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*“ (*Ioh. 7, 38. 39.*). *Ergo confirmatio a Christo instituta esse non videtur.* — *R. primo,* negari posse maiorem argumenti, quia non intelligitur, cur Christus non potuerit ante ascensionem instituere sacramenta tempore demum post ascensionem suscipienda. *Secundo* transmissa maiore negatur minor. Etenim verba Scripturae adducta probabilius non de confirmatione in specie, sed de infusione charismatum Spiritus sancti generatim in N. L. agunt, eamque tamquam publicam et largam exhibent in oppositione ad infusionem gratiae in V. L., quae potius privata et magis egena erat. **33.**

Articulus tertius.

De materiae et formae sacramentorum determinatione.

Thesis 19. Multo probabilius est, Christum in specie determinasse materiam et formam omnium sacramentorum.

Declaratio.

1. Status quaestionis. — Christum aliqua ratione materiam et formam sacramentorum determinasse, ex eo certum est, quod eadem immediate instituit, ut in praecedenti thesi demonstratum est. Cum enim materia et forma partes essentiales sacramentorum sint, sacramenta instituisse dici nequit, qui non aliqua saltem ratione has partes constitutivas determinavit. Haec autem determinatio duobus modis fieri potuit: scilicet vel in genere vel in specie. *In genere mate-* **1.**

riam et formam Christus determinasse dicendus est, si constituto fine sacramenti et determinata gratia eo conferenda, statuit hanc gratiam signo aliquo apto significandam et conferendam esse, electionem vero eiusmodi signi ecclesiae reliquerit. *In specie vero Christus materiam et formam determinavit,* si ipse ex signis pluribus aptis unum certum elegit eique significationem et efficientiam sacram annexuit. Quae distinctio ut rite percipiatur, duo notanda sunt.

2. *Primo, ut species signi a Christo determinata sit, requiritur et sufficit, ut tum actionem tamquam materiam proximam tum verba tamquam formam quoad sensum determinaverit.* Neque vero requiritur, ut verba materialiter sumpta secundum certum idioma et certa vocabula, neque ut materia remota secundum qualitates v. g. panis azymi vel fermentati et vini rhenani vel Africani determinentur.

Secundo etsi Christus solum generice materiam et formam sacramentorum determinasset, nihilominus verus et immediatus sacramentorum institutor esset. Etenim sacramentorum verus et immediatus institutor sane est, qui finem eorum statuit, gratiam per eadem conferendam determinat et sensibilibus signis sacram significationem et efficaciam in actu secundo tribuit, vel brevius: qui signa sensibilia in ratione sacramentorum constituit; atqui haec omnia Christo conveniunt, etsi ceteris ab ipso praestitis ecclesiae potestatem fecerit inter sacra signa apta certa quaedam eligendi. Ergo. Scilicet discrimen inter genericam et specificam determinationem non est, nisi quod in primo casu Christus sacram significationem et efficaciam annexuit materiae et formae ab ecclesia designatis vel oblatis, in altero autem casu signis a se ipso electis; quod discrimen nullam proprie essentialem differentiam in ipsa institutione sacramentorum facere videtur, quia magis extra essentialem constitutionem sacramentorum est. Et sane etsi ecclesia illam signorum sacramentalium electionem fecisset, in constitutionem sacramentorum, ut sacramenta sunt, proprie et directe non influxisset.

3. Quae cum ita sint *primo* certum esse intelligitur, Christum non determinasse materiam remotam singulorum sacramen-

torum secundum qualitates; hoc enim manifestum est ex praxi ecclesiae, cum v. g. Latini panem azymum, Graeci vero panem fermentatum consecrent. — *Secundo* item certum est, Christum non determinasse formas singulorum sacramentorum secundum verba materialiter sumpta nec secundum phrasin grammaticam vel constructionem; in his enim omnibus diversitas invenitur vel inveniebatur in ecclesia tum inter occidentales et orientales, tum inter diversas ecclesias occidentales, tum in eadem ecclesia inter diversas aetates. Neque sane conveniens fuit, ut ea ratione signa sacramentalia determinarentur, quia valida administratio moraliter impossibilis evasisset. — *Tertio* item certa et communis sententia est, materiam et formam baptismi et eucharistiae in specie ab ipso Christo determinatas esse. — Quaerendum igitur restat, num ceterorum quoque sacramentorum materia et forma ab ipso Christo in specie determinatae sint.

4. ***2. Diversae theologorum sententiae.*** — Iam in quaestione proposita solvenda aliqua sententiarum diversitas inter theologos invenitur. Etenim plures theologi posttridentini sententiam defenderunt, Christum quorundam sacramentorum, ut ordinis, materiam et formam solum in genere non vero in specie determinasse. Ita v. g. *Cardinalis de Lugo* (Disp. 2. s. 5.) et *Wirceburgenses* (de sacram. in gen. n. 117.) necnon quadantenus *Tournely* (de sacram. in gen. q. 1. a 4.), utpote qui utramque ex oppositis sententiis probabilem habuit. Econtra tum antiquiores tum recentiores theologi communiter docent, Christum omnium sacramentorum materiam et formam in specie determinasse. Ita v. g. *Cardin. Franzelin* (de sacram. in gen. th. 5.), *De Augustinis* (de re sacramentaria l. 1. th. 13.). *Sasse* (de sacram. t. 1. th. 22.) etc. Ansam vero dubitationis hac in re praebuerunt imprimis sacramentum ordinis, confirmationis, matrimonii, utpote quae cum alia materia vel forma in ecclesia occidentali et orientali administrata esse videri possint. De qua re inferius in ipsa hac thesi paulo accuratius dicendum est.

Iam in praesenti thesi tamquam multo probabilius ne dicam certum defendendum est, omnium et singulorum sacra-

mentorum materiam et formam ab ipso Christo in specie determinatas esse.

Demonstratio.

5. ***1. Probatur ex Concilio Tridentino.*** — Etenim haec s. synodus expressis verbis inter substantiam sacramentorum atque ritus, quibus in ecclesia administrantur, accurate discernit; atque declarat, ecclesiam in hos quidem potestatem habere ideoque eos immutare posse, in substantiam vero eorundem nulla auctoritate pollere, ideoque eam mutare nullo modo posse; „Declarat, hanc potestatem perpetuo in ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire iudicaret" (Sess. 21. c. 1.). Iamvero materia et forma partes essentiales sunt ipsam substantiam sacramenti constituentes. Ergo ex doctrina Concilii Tridentini ecclesia in materiam et formam sacramentorum potestatem nullam neque indirectam habet easque immutare nequit. Atqui in sententia adversa ecclesia hanc potestatem habuisset, quia materiam et formam aliquorum sacramentorum constituisse dicitur: atque eandem etiam nunc haberet et sacramentorum materiam et formam immutare posset, quia, quae potestas primitivae ecclesiae competebat, eandem etiam ecclesia posterioris et praesentis aetatis habet. Ergo sententia opposita cum concilio Tridentino satis manifesto pugnat ideoque dicendum est materiam et formam omnium et singulorum sacramentorum ab ipso Christo determinatas esse.

6. ***2. Ex consideratione historica.*** — Si ecclesiae potestas ulla in materiam et formam sacramentorum competeret, ita ut eas in specie determinare vel immutare posset, huius potestatis ecclesiae traditae vel ab ea exercitae in Scriptura vel in monumentis Traditionis aliqua certe mentio occurrere deberet; secus gratis et improbabiliter talis potestas ecclesiae asseritur; ipsa enim rei natura considerata convenientius et probabilius apparet, ipsum Christum insti-

tutorem sacramentorum materias et formas determinasse. Atqui neque in Scriptura neque in monumentis Traditionis ullum vestigium eiusmodi potestatis ecclesiae apparet. Apposite *Benedictus XIV*: „Gratis omnino fingitur, quod ecclesia ea potestate usa fuerit; dicant ubi, quando, in quo concilio, a quo Pontifice facta sit eiusmodi mutatio" (De synodo dioeces. l. 8. c. 10. n. 10.).

7. ***3. Ex auctoritate SS. Patrum et veterum theologorum.*** — *Primo* enim SS. Patres rectum usum materiae et formae sive rei et verborum secundum Christi institutionem tamquam normam considerabant, secundum quam de valore sacramentorum etiam ab haereticis collatorum iudicarent. Ergo certa eorum sententia erat, sacramenta constitui materia et forma ab ipso Christo determinatis. Antecedens pluribus testimoniis demonstrari potest; satis sit, duo exempli causa adducere: „Videtur tamen interdum Apostolus etiam solius Spiritus fecisse mentionem in baptismo. ‚*Omnes enim*, inquit, *in uno corpore in unum Spiritum baptizati sumus*' (1. Cor. 12, 13.). His et illud consonat: ‚*Vos autem baptizabimini in Spiritu Sancto*' (Act. 1, 5.); et ‚*ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto*' (Luc. 3, 16.). At non ideo quis dixerit, perfectum esse baptisma, in quo solum Spiritus nomen invocatum est. Oportet enim inviolabilem semper manere Traditionem, quae in vivifica gratia data est. Nam vitam nostram de corruptione qui liberavit, potestatem nobis renovationis dedit: quae potestas causam habet ineffabilem, et in mysterio reconditam, sed magnam animabus salutem conferentem, ut quidquam addere aut detrahere plane sit ab aeterna vita excidere" (*Basilius,* De Spiritu Sancto c. 12). „Quomodo aquam mundat et sanctificat homicida? quomodo benedicunt oleum tenebrae? Si autem Deus adest sacramentis et verbis suis, per qualeslibet administrentur, et sacramenta Dei ubique recta sunt et mali homines, quibus nihil prosunt, ubique perversi sunt" (*Augustinus,* de baptismo c. Donatist. l. 5. c. 20.).

8. *Secundo* eadem veterum theologorum sententia est. Audiantur pro ceteris *S. Thomas* et *Hadrianus VI.* Prior igitur

haec habet: „Quia sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res, quibus sanctificetur; sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Et ideo in sacramentis N. L., quibus homines sanctificantur secundum illud 1. Cor. 6, 11: *Abluti estis, sanctificati estis*, oportet uti rebus ex divina institutione determinatis" (S. th. 3. p. q. 60. a. 5.). „Etsi idem potest per diversa significari, determinare tamen, quo signo sit utendum ad significandum, pertinet ad significantem. Deus autem est, qui nobis significat spiritualia per res sensibiles in sacramentis et per verba similitudinaria in Scripturis. Et ideo sicut iudicio Spiritus Sancti determinatum est, quibus similitudinibus in certis Scripturae locis res spirituales significentur, ita etiam debet esse divina institutione determinatum, quae res ad significandum assumantur in hoc vel in illo sacramento" (Ib. ad 1). „Illa, quae aguntur in sacramentis per homines instituta, non sunt de necessitate sacramenti, sed pertinent ad quandam sollemnitatem, quae adhibetur sacramentis ad excitandam devotionem et reverentiam in his, qui sacramenta suscipiunt; ea vero, quae sunt de necessitate sacramenti, ab ipso Christo instituta sunt, qui est Deus et homo. Et licet non sint omnia tradita in Scripturis, habet tamen ea ecclesia ex familiari Apostolorum traditione, sicut Apostolus dicit 1. Cor. 11. 34: *Cetera cum venero, disponam*" (q. 64. a. 2. ad 1.). „Apostoli et eorum successores sunt vicarii Dei quantum ad regimen ecclesiae constitutae per fidem et fidei sacramenta. Unde sicut non licet eis constituere aliam ecclesiam; ita non licet eis tradere aliam fidem, neque instituere alia sacramenta: sed per sacramenta, quae de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata ecclesia Christi" (Ib. ad 3.). Similiter Hadrianus: „Praemitto, quod ecclesia non posset novam formam baptismi aut alterius sacramenti instituere aut institutum quovis modo mutare. Patet, quia, ut solius Dei est, animam a labe peccati emundare . . . ita solus, quae ministerialiter sanctificant animam, potest instituere. Unde noverit se ecclesia non esse dominam sacramentorum, sed ministram, nec posse magis formam aliquam sacramentalem destituere aut novam

instituere, quam legem aliquam divinam abolere" (De baptismo.).

4. Ex ratione theologica. — Rationibus congruis, quae iam in allatis S. Thomae testimoniis continentur, alias quasdam adiungit *Suarez*: „Quibus addere possumus, pertinuisse ad perfectionem sacramentorum N. L., ut a Christo essent determinata, sicut in vetere lege Deus ipse sacramentorum caeremonias definivit, tum quia hoc confert ad maiorem claritatem et proportionem necessariam in significatione sacramenti; tum etiam quia, cum haec sacramenta futura essent instrumenta gratiae, debuerunt ab ipso auctore gratiae definiri; tum *praeterea*, quia ad maiorem ecclesiae unitatem et consensionem necessarium fuit, ut in sacramentis et sacrificio, in quibus consistit essentialis ritus exterior colendi Deum, tota ecclesia conspiraret et conveniret: sicut oportuit, ut esset unum baptisma, quod est ianua ecclesiae, ad unitatem commendandam; non posset autem haec unitas servari in universa ecclesia, nisi essent a Christo determinatae materia et forma sacramentorum. *Denique* hoc maiorem reverentiam conciliat ipsis sacramentis, quando intelligimus ritu ab ipso Christo tradito et verbis eiusdem Christi confici" (Disp. 2. s. 3. n. 2.). 9

5. Ex labilitate fundamenti praecipui, in quo sententia adversa innititur. — Theologi nobis adversantes ideo praesertim oppositam sententiam amplexi sunt, quia in administratione trium sacramentorum ordinis scilicet, confirmationis, matrimonii, vel mutationem substantialem in decursu historiae christianae factam esse vel substantialem diversitatem inter ecclesiam occidentalem et orientalem et hac in re existere opinabantur. Atqui haec ipsa opinatio solido fundamento caret. Ergo opposita sententia probabilis esse non videtur. — Cum minor huius argumenti in tractatu de singulis illis sacramentis accuratius demonstretur, hic brevis rei explicatio sufficiet: 10.

1) Materia et forma ordinis nunquam substantialiter mutatae sunt. — Etenim quod dicunt, inde a saeculo 12. traditionem instrumentorum cum verbis episcopi eam comitantibus esse materiam et formam ordinis vel saltem tamquam partem integram ad eas pertinere, cum antea impositio ma- 11

nuum cum oratione coniuncta partes essentiales huius sacramenti constituerent et adhuc in ecclesiis orientalibus constituant, plane improbabile est. Etenim neque vestigium exstat alicuius decreti, quo ecclesia materiam et formam huius sacramenti mutare voluisse dici possit. Traditio vero instrumentorum cum verbis adnexis in administratione huius sacramenti saeculo 12. invalescens ideo tantum addita est, ut potestas sacrificium celebrandi per manuum impositionem et orationem tradita expressius significaretur; nullo autem modo illam traditionem huic impositioni substituere vel tamquam essentialem sacramenti partem substituere intentum erat. Atque hunc esse sensum illius additionis, satis manifesto patet ex testimoniis doctorum, qui illa aetate floruerunt, qua haec invocatio invalescere coepit. Ita v. g. *Hugo a S. Victore* integrum ritum ordinationis describens, postquam impositionem manuum cum benedictione retulit, cum aliis simul caeremoniis, quae ad essentiam sacramenti manifesto non pertinent, etiam traditionem instrumentorum commemorat, atque earundem caeremoniarum scopum esse dicit, ut potestas tradita et officia imposita melius intelligantur: „Presbyteri cum ordinantur Episcopo eos benedicente et manus super capita eorum tenente, omnes presbyteri, qui praesentes sunt manus iuxta manum episcopi super capita eorum levant; et Spiritum Sanctum super eos, qui ordinantur, invocant. Unguntur presbyteris manus, sicut episcopis, ut cognoscant se hoc sacramento gratiam consecrandi accipere; et opera misericordiae erga omnes pro viribus exercere debere. Unctio capitis specialiter ad episcopum pertinet, ut intelligat se vicarium illius esse, de quo scriptum est: *unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae.* Hi post invocationem S. Spiritus stolam super utrumque humerum accipiunt, quae in modum sustentaculorum dextrum latus munit et sinistrum; ut ex hoc intelligant, se par arma iustitiae a dextris et a sinistris esse munitos, ut eos nec adversa frangant, nec prospera extollant. Accipiunt et calicem cum vino et patenam cum hostiis de manu episcopi: quatenus his instrumentis potestatem se accepisse agnoscant placabiles Deo hostias offerendi. Ad ipsos pertinet sacramentum cor-

poris et sanguinis Domini in altare Dei conficere, orationes dicere, et benedicere dona Dei" (De sacram. l. 2. p. 3. c. 12.). Similiter etiam Magister rationem traditionis instrumentorum explicat. Omnes vero illius et subsequentis aetatis theologi, etsi eam traditionem cum verbis coniunctis tamquam materiam et formam huius sacramenti considerabant, nullo modo eas ab ecclesia statutas esse opinati sunt, sed sicuti ceterorum omnium, ita huius quoque materiam et formam a Christo secundum speciem determinatas sine haesitatione asseruerunt.

Excipi potest ex decreto *Eugenii IV.* pro Armenis, **12.** quippe in quo definitum esse videtur, traditionem instrumentorum materiam ordinis constituere. — *R.* Eugenio IV. et Patribus concilii Florentini propositum non erat constitutionem dogmaticam condere, sed scopus illius decreti erat, Armenos edocere, quaenam tunc doctrina in scholis recepta esset et quaenam praxis vigeret; quod satis ex ipsa forma et indole decreti patet et accuratius alibi demonstratur.

2. *Nulla diversitas substantialis est circa materiam et* **13.** *formam confirmationis inter ecclesiam occidentalem et orientalem.* — Aliqui theologi opinati sunt, eiusmodi diversitatem substantialem hac in re exstare, quia tamquam forma huius sacramenti ab occidentalibus adhibentur verba: *Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*; apud orientales vero his verbis forma continetur: Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. Insuper cum materia huius sacramenti olim fuerit sola manuum impositio, nunc chrismatione continetur. Verumtamen haec substantialem diversitatem vel mutationem non efficiunt.

Etenim *primo quod materiam huius sacramenti attinet*, tuto dici potest, semper substantialiter eandem adhibitam esse. Vel enim dicitur, materiam in sola manuum impositione contineri; et tunc nulla difficultas restat, quia ex una parte haec manuum impositio semper et ubique adhibita est, ex altera vero parte, si quandoque solum, non ubique et semper, simul chrismatio adhibita est, in facta hypothesi haec chrismatio non ut pars integralis sive necessaria materiae addita est.

sed solum ad expressiorem effectus sacramenti significationem addita esse dicenda est. Vel potius dicitur, materiam huius sacramenti tum manuum impositione tum chrismatione sive chrismatione, qua una simul manus imponuntur, contineri: atque tunc quoque res difficultate caret, quia scilicet probabilissimum est, hanc chrismationem semper et ubique esse adhibitam: ut in tractatu de sacramento confirmationis in specie demonstratur. Itaque in neutro casu ullam factam esse mutationem substantialem satis intelligitur.

14. *Secundo item quod formam attinet.* diversitas inter ecclesiam orientalem et occidentalem substantialis non est. Etenim de forma secundum significationem iudicandum est: manente eadem significatione, forma manet eadem: mutata significatione, etiam forma iam alia est. Ratio manifesta est, quia non sonus verborum, sed sola significatio verborum ab institutore sacramentorum rationabiliter intenta esse potest. Omnis igitur alia mutatio vel diversitas, quae non ipsam significationem, sed sola verba, constructionem grammaticam, modum significandi attingit, non substantialis sed solum accidentalis est. Atqui diversitas inter formam latinam et formam graecam confirmationis non ipsam significationem sed solum verba, constructionem grammaticalem vel modum significandi attingit. Ergo substantialis diversitas non est. Apposite *Cardinalis Franzelin*: „Forma ab institutore determinata est non secundum materialem sonum verborum (non enim, inquit Augustinus in Ioh. tract. 80. n. 3., verbum sanctificat, quia dicitur, sed quia creditur, et aliud in eo est sonus transiens, aliud virtus manens), neque determinata est secundum phrasim grammaticam, sed secundum significationem pro diversitate sacramentorum vel distinctam vel saltem in confuso. Sic distincta requiritur expressio personarum ss. Trinitatis cum nominis tamquam essentiae unitate in baptismo ut sacramento et initiatione christianae fidei. Sufficienter autem in sacramento confirmationis particulare donum gratiae exprimitur sive verbis usurpandis in ecclesia latina: ‚signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti', sive verbis Ecclesiae graecae:

„Sigillum doni Spiritus Sancti — σφραγὶσ δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου"; significatio enim formae in coniunctione praesertim cum materia utrimque eadem est, licet modus significandi sit diversus" (Thes. 5. p. 46.).

15. *3) Nulla denique quoad matrimonium mutatio substantialis ab ecclesia inducta est.* Nam videri quidem posset, ecclesiam materiam et formam huius sacramenti restrinxisse ideoque substantialiter mutasse eo, quod consensum contrahentium impedimentis dirimentibus oppositis pro nonnullis casibus irritavit; sic enim factum esse videtur, ut aliquid, quod antea materia vel forma valida sacramenti erat, nunc iam non sit. Atvero haec mera et falsa apparentia est, ut egregie explicat *Cardinalis de Lugo*: „Respondetur facile, ecclesiam non variasse ibi formaliter loquendo materiam sacramenti, sed solum materialiter; nam materia, quam Christus voluit ad sacramentum matrimonii, non erat qualiscunque consensus contrahentium, sed consensus legitimus et validus ad translationem iuris in corpora; ecclesia autem potuit reddere invalidum et illegitimum consensum praestitum absque tali sollemnitate, sicut respublica reddit illegitimum et invalidum consensum pupilli ad transferendum dominium absque auctoritate tutoris; quare consequenter non poterit esse materia sacramenti, quae deberet esse consensus legitimus et validus. Sic etiam possent homines facere, quod haec verba non sufficerent ad consecrationem Eucharistiae: *Hoc est corpus meum*; faciendo scilicet, quod haec vox *corpus* significaret lapidem, et haec vox *lapis* significaret corpus; tunc enim deberet aliis verbis consecrari; non tamen mutassent formam sacramenti formaliter loquendo, sed solum materialiter; quia forma instituta a Christo sunt verba, quae ex hominum institutione significare possint talem sensum et per consequens homines possunt reddere inefficacia verba, quae prius erant efficacia; sic in praesenti" (Disp. 2. s. 5. n. 84.

Scholion.

16. ***Principia quaedam et regulae circa materiam et formam sacramentorum.*** Cum iam in prae-

cedentibus huius thesis explicationibus nonnulla per transennam adnotata sint, quae ad iudicium ferendum de integritate materiae et formae sacramentalis conferunt, hoc loco primaria principia et principales regulas hac in re servandas componere et uno conspectu exhibere ad meliorem rei intelligentiam proficuum erit.

1) Principium fundamentale. — Ex praecedentibus manifestum est eam solam materiam et formam validam esse, quae a Christo sacramentorum institutore determinata est. Quare ut de valore materiae et formae iudicari possit, voluntas Christi eas determinantis cognoscenda est. Haec autem, sicut in aliis quaestionibus, ita etiam in praesenti ex Scriptura et Traditione tum theoretica tum maxime practica sive ex doctrina et constanti et universali praxi ecclesiae cognoscitur, utpote quae revelatae doctrinae infallibilis magistra et interpres et institutorum Christi imprimis sacramentorum indeficiens custos est. — Porro ex hoc principio fundamentali aliae quaedam regulae vel deducuntur vel intelliguntur.

17. *2) Regula prima.* — Materia et forma alicuius sacramenti certo integrae et validae sunt, quando omnia ea, quae ab ecclesia tamquam essentialia vel necessaria praescripta sunt, rite observantur. Qua ratione quaestio affirmans, quid ad materiae formaeque integritatem certo sufficiat, semper sine ulla dubitatione solvi potest.

3) Regula secunda. — Non vero semper cum certitudine solvi potest quaestio negativa, quid scilicet certo ad substantiam sacramenti habendam non sufficiat. Ratio est, quia hoc aliquando neque ex doctrina neque ex praxi ecclesiae erui potest. — Porro dubitatio hac in re tum materiam tum formam respicere potest.

18. Et dubitatio quidem, quae materiam respicit *primo* inde oriri potest, quod non plene constat, num totum illud, quod ad instar materiae se habet, ex institutoris voluntate derivetur an vero aliquid eius ab ecclesia adiectum sit. *Secundo* inde oriri potest, quod non certo constare videatur, num aliqua materiae mutatio essentialis sive substantialis an accidentalis sit. *Tertio* denique inde oriri potest, quod in ritu ad mate-

riam spectante aliqua diversitas eruatur inter ecclesiam orientalem et occidentalem.

Dubitatio autem, quae formam spectat inde maxime originem habet, quod aliquando definiri nequit, utrum forma adhibita eam habeat significationem, quam inesse sacramenti institutor voluit. — Iam ad eiusmodi dubitationes quantum fieri potest tollendas sequentes regulae inserviunt.

4) *Regula tertia.* — Quod materiam attinet, ea omnis **19.** et sola mutatio vel diversitas substantialis est, qua fit, ut materia, de qua agitur, spectato usu humano et communi cogitandi loquendique modo nec ratione nec nomine cum materia ab institutore praescripta conveniat; alia autem quaevis mutatio accidentalis est. Dixi ex consulto, *attento usu humano communique cogitandi et loquendi modo;* quia scilicet mutatio substantialis vel accidentalis hac in re de materia affirmatur, non prout ipsa est hoc ens physicum simpliciter et absolute consideratum, sed prout est haec res comparate ad usum humanum et rationem habet, quae nomine ipsius communiter ab hominibus concipitur et significatur. Ita v. g. lacrimae, saliva, liquores ex plantis expressi, ut aqua rosacea, materiam validam baptismi non constituunt, quia secundum communem hominum conceptionem aqua nec nominantur nec sunt. Ratio huius regulae est, quia Christus sacramenta instituens eo sane modo processit, qui intelligentiae et capacitati congruit hominum, in quorum usum sacramenta ordinavit.

5) *Regula quarta.* — Quod formam attinet, regula valet **20.** iam supra adducta: Quaevis formae mutatio, quae verum sensum formae tollit, substantialis est; omnis autem alia, quae verum sensum non destruit, accidentalis solum est. Ratio est, quia institutor sacramentorum rationabiliter formam solum quoad sensum determinare potuit. — Iam haec generalis de forma regula in particulares quasdam resolvenda est, quae applicationem illius continent.

a) Mutatio formae, qua unum idioma alii sive una vox alii significatione servata substituitur, sive qua verba figurata pro propriis usurpantur eodem sensu retento accidentalis est. Sic v. g. si in formula baptismi nominibus *Patris* et *Filii*

substituantur vocabula *Genitoris* et *Geniti* integra manet formula.

b) Item mutatio formae, qua casus vocis variatur vel activa constructio in passivam mutatur, dummodo maneat idem essentialiter sensus accidentalis solum est. Hinc nulla essentialis differentia inter formam baptismi latinam: *Ego te baptizo in nomine etc.* et graecam: *Baptizatur servus Dei in nomine etc.* esse intelligitur.

21. c) Pariter mutatio formae, quae in sola transpositione vocum continetur, accidentalis est, dummodo sensus non corrumpatur. Sic sane perinde est sive dicitur: *Hoc est corpus meum*, sive: *hoc corpus meum est.*

d) Item si verba quaedam formae, repetantur sensu formae non mutato, mutatio accidentalis solum est. Qua ratione a *Stephano III.* validus declaratus est baptismus a sacerdote quodam his verbis collatus: *In nomine Patris te baptizo, et Filii te baptizo, et Spiritus Sancti te baptizo.* Econtra si tali repetitione sensus mutatur vel ambiguus redditur, invalidus est vel dubius propter mutationem certo vel probabiliter substantialem. Quare *Innocentius IV.* dubium iudicavit esse baptismum, quem sacerdos quidam his verbis contulit: *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti;* repetitio enim termini *in nomine* bis facta significare poterat, diversam esse in tribus personis divinis auctoritatem, quod falsum et haereticum est.

22. e) Mutatio formae per additionem verborum facta vel substantialis vel accidentalis est, prout verba addita sensum formae legitimum vel corrumpunt vel integrum relinquunt. Quod speciatim verba in fine formae addita spectat, ea vel adduntur, ut propositionem, quae est forma determinent, vel tamquam nova propositio adduntur, quae sensum formae non determinet, sed sermonem solum continuet. In hoc casu mutatio formae solum accidentalis est; in illo autem substantialis vel accidentalis est, prout sensum verum formae mutat et corrumpit vel non. Ex his sequentes casus intelliguntur: Consecratio aliquorum ubiquistarum facta verbis: *Hoc est corpus meum, quod est ubique locorum* a *Pio V.* valida iudi-

cata fuit. Etsi enim additamentum haereticum erat, sensum tamen verae formae non corrumpebat. Similiter ab *Alexandro VIII.* validus declaratus est baptismus a ministro Calviniano his verbis collatus: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti auctoritate mihi a Calvino concessa.* Ratio eadem est ac in praecedenti casu. Econtra vero invalidus pronuntiatus est baptismus Paulianistarum, qui hac forma utebantur: *Ego te baptizo in nomine Patris maioris, Filii minoris et Spiritus Sancti.* Ratio aperta est, quia error verbis additis expressus ipsam formam afficit eiusque sensum corrumpit.

f) Mutatio formae, quae detractione verborum fit, item **23.** substantialis vel accidentalis est, prout detractione sensus verus formae essentialiter vel mutilatur vel integer relinquitur. Sic omissio vocabuli *ego* in forma baptismi sane accidentalis solum mutatio est; omissio autem verbi *meum* in forma consecrationis panis substantialem mutationem constituit et consecrationem invalidam reddit.

g) Si ipsa verba aliqua formae sacramentalis corrumpuntur, sive non integra sed secundum partem mutantur triplex casus distinguendus est cum *Suarez* (disp. 2. s. 6.) pro triplici modo, quo minister in hac mutatione se habere potest.

Primus modus est, quando minister bona fide procedens **24.** nullam existimat se mutationem efficere, sed ex imperitia linguae verba corrumpit, quia ita proferri putat; vel quando quis ex naturali linguae impedimento verba corrumpit. Iamvero in eiusmodi casu corruptio aut est tanta, ut verus sensus tollatur et alius oriatur: et tunc est substantialis; aut vero solum tanta est, ut secundum communem modum concipiendi adhuc verum sensum generet in auditoribus et tunc solum accidentalis mutatio habetur. Huc pertinet vulgatum exemplum sacerdotis cuiusdam, quod S. Pontifex *Zacharias* in epistola ad Bonifacium narrat: „Detulerunt (nuntii tui) quod fuerit in eadem provincia sacerdos, qui latinam linguam penitus ignorabat, et dum baptizaret, nesciens latine eloqui, linguam infringens dixerit: Baptizo te in nomine Patria et Filia et

Spiritua Sancta: et per hoc tua reverenda fraternitas consideravit rebaptizare. Sed, sanctissime frater, si ille qui baptizavit non errorem inducens aut haeresin, sed pro sola ignorantia romanae locutionis infringendo linguam, ut supra fassi sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizentur" (Migne 89, 929. cf. Algerus, de sacram. corp. et sang. Dominici l. 3. c. 13.). — Ad totam hanc regulam intelligendam multum confert monitum, quod *Suarez* l. c. addit: „Fortasse magis conferet observare, an corruptio talis sit, ut cum illa verba non habeant alium legitimum et cohaerentem sensum praeter sensum formae, nam tunc regulariter eundem sensum retinent, atque ita corruptio erit accidentalis, et eiusmodi est illa: In nomine Patrias etc.: quando vero per corruptionem transeunt verba in aliam significationem valde diversam, legitimam et cohaerentem orationi, quae resultat ex verbis sic corruptis, tunc regulariter est mutatio substantialis, vel, ut minimum, reddit formam valde dubiam, ut patet in illis mutationibus: In nomine Matris, vel: Ego baptizor, et sic de aliis" (Ib. s. 4. n. 13.).

25. *Secundus modus* est, quando minister sciens et videns voluntarie eiusmodi mutationem facit, non quidem animo introducendi novum ritum, sed ex indiscreta et superstitiosa devotione vel alio vano motivo. In eiusmodi casu similiter sicuti in priore dicendum est. Si corruptio solum tanta est, ut adhuc secundum communem concipiendi modum verus sensus generetur, et minister debitam intentionem habet, mutatio solum accidentalis est et sacramentum validum exstat; aliter autem dicendum est, si verba verum sensum iam nullo modo fundant vel si intentio deficiat, ut in eiusmodi casu facile suspicari potest.

26. *Tertius modus* est, quando minister non solum ex certa scientia mutationem efficit, verum etiam per eam intendat novum ritum et errorem in ecclesiam introducere. In hoc quoque casu distinctione quadam egregrie rem explicat *Suarez*: „*Primo* quando per mutationem nullo modo variatur sensus formae, non potest esse substantialis propter solam intentionem ministri volentis introducere novum ritum; neque

etiam propter eam causam praecise sumptam sacramentum erit nullum, quia cum illa intentione simul potest esse intentio faciendi sacramentum et ita poterunt concurrere omnia ad veritatem sacramenti necessaria. Quod si interdum defuerit intentio faciendi sacramentum, tunc quidem sacramentum erit nullum, non tamen propter mutationem formae aut materiae, quae de se sufficerent, cum solum accidentalis mutatio in eis facta sit, sed ex alio defectu intentionis . . . . *Secundo* quando per mutationem redditur ambiguus sensus formae, tunc, si minister ita intendat introducere novum ritum, ut non intendat verum sensum, sed falsum atque erroneum per talem formam significare, tunc mutatio est substantialis et sufficiens ad irritandum sacramentum, non solum ex defectu intentionis, sed etiam ex defectu verae formae . . .; et patet ex supra dictis de mutatione proprii verbi formae in aliud verbum aequivocum; diximus enim, si fiat animo significandi aliud, quam per formam significetur, mutationem esse substantialem: sed idem est in praesenti. Et ratio est clara, quia in eo casu formaliter et proprie aliud est signum, quod minister exhibere intendit, quam quod Christus instituit: nam quod materialis sonus sit idem vel diversus, non refert, ut supra dictum est, sed significatio est attendenda: hic autem, licet verba quoad materialem sonum sint eadem vel parum diversa, tamen significatio, quae intenditur, est longe alia: et per intentionem proferentis determinantur verba ad talem significationem: fit ergo tunc substantialis mutatio, sicut e contrario est substantialis identitas, quando significatio est eadem, licet sonus vocis varietur“ (Ib. s. 5. n. 9. et 10.).

Quaestio sexta.

De sacramentorum administratione.

Articulus primus.

De ecclesiae potestate circa sacramentorum administrationem.

Thesis 20. Ecclesiae catholicae a Christo Domino suprema dispensationis auctoritas circa sacramenta concessa est; quare primo ab ea omnis potestas sacramenta sive legitime sive etiam valide administrandi derivatur; secundo ecclesia caeremonias in sacramentorum administratione servandas instituere vel immutare potest.

Declaratio.

1. ***1. Argumentum et divisio quaestionis.*** — Absoluta iam quaestione de causis sacramentorum institutricibus, quaerendum restat de causa sacramentorum ministeriali seu administratoria. Iamvero duplex quoad administrationem seu dispensationem sacramentorum auctoritas discernenda est: Potestas auctoritatis et potestas ministerialis. Cum enim Christus homo immediatus sacramentorum institutor iam non visibiliter in terra versetur sacramenta autem tamquam visibilia signa practica, visibiliter administrari oporteat, aliis hominibus viatoribus hoc ministerium commisit. Quia vero, quae a Deo necnon a Christo Deo-homine inter homines instituta sunt, recto ordine composita sint atque insigniantur necesse est, ideo etiam, quod sacramentorum administrationem attinet, certus ordo vel certi gradus existere debent. Hinc *primo* aliqua visibilis suprema dispensationis auctoritas inter homines existit, quae immediate a Christo descendit et a qua omnis alia potestas circa sacramentorum administrationem derivatur. *Secundo* haec altera potestas a prima derivata simpliciter ministerialis vocatur eaque ministri insigniri debent, qui immediate sacramenta conficiunt et administrant. De utraque

hac potestate in praesenti quaestione agetur ita, ut tribus articulis tota tractatio absolvatur.

Articulus primus: De ecclesiae suprema dispensationis auctoritate.

Articulus secundus: De fide et sanctitate ministri.

Articulus tertius: De intentione ministri.

2. ***Argumentum et partitio thesis.*** — Cum in sacramentorum administratione triplex proprietas discerni valeat, scilicet primo quod legitime vel licite, secundo quod valide, tertio quod convenienter et digne administrantur, sub triplici hac ratione suprema dispensationis auctoritas potestatem simpliciter ministerialem sibi subordinat. Iamvero hunc in sensum verae Christi ecclesiae, quam esse ecclesiam catholicam hic supponitur, suprema dispensationis auctoritas in triplici thesis parte vindicatur: **2.**

1) In prima igitur parte ostendendum est, a suprema ecclesiae auctoritate in ministros derivari potestatem administrandi sacramenta legitime adeo, ut quicunque ab ecclesia id munus non acceperit, eo ipso semper illicite, quamvis aliquando valide sacramenta administret.

2) In secunda parte demonstratur, etiam valorem sacramentorum a suprema ecclesiae auctoritate aliqua ratione pendere, quatenus eadem normam exhibet, cui minister per intentionem saltem implicitam se conformare debeat, ut sacramentum valeat.

3) In tertia denique parte probandum est, ecclesiae vi suprema dispensationis auctoritatis competere, illud quoque providere, ut sacramenta administrentur ratione digna, decenti, convenienti; atque id ecclesia praestat variis sacris caeremoniis vel visibilius actionibus sive aliis adiunctis, quibus essentiam sacramenti circumdat atque exornat; quales sunt vocales orationes, genuflexiones, inclinationes, oculorum elevationes, oscula, signa crucis, usus vestium et luminarium aliaeve eius generis. Itaque asseritur in hac parte ecclesiam potestatem habere instituendi vel immutandi caeremonias a ministris in sacramentorum administratione servandas, quibus dignae, decenti, convenienti sacramentorum administrationi consulatur. **3.**

Quam ecclesiae potestatem Protestantes et praesertim Calvinistae vel negare vel mutilare saltem conati sunt, quatenus quidem, caeremonias in Scripturis relatas, ut orationes, gratiarum actiones, psalmodiam adhiberi, necnon ecclesiam sive coetum fidelium aliquem ordinem in iisdem servandum praescribere posse concedebant, sed ecclesiam potestatem habere alias caeremonias in sacramentorum dispensatione statuendi easque immutandi pertinaciter negabant. *Concilium Tridentinum* autem hanc potestatem ecclesiae expressa definitione vindicavit: „Si quis dixerit, receptos et approbatos ecclesiae catholicae ritus in sollemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni aut sine peccato a ministris pro lubito omitti, aut in novos alios per quemcunque ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit" (Sess. 7. can. 13.).

Demonstratio.

I. p.: Ab ecclesiae auctoritate in ministros derivatur potestas, qua legitime sacramenta administrari possint.

4. ***1. Ex s. Scriptura.*** — Etenim s. Scriptura testante quaecunque potestas sacramenta legitime dispensandi tota quanta ex missione derivatur, quam Christus Apostolis eorumque successoribus dedit: quod manifestum est ex ipsius verbis: „*Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*" (*Matth. 28, 19.*). „*Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur iis, et quorum retinueritis, retenta sunt*" (*Ioan. 20, 22.*). „*Hoc facite in meam commemorationem*" (*Luc. 22, 41.*) Atque sane potestas illa aliunde esse non posse manifesto intelligitur: etenim eiusmodi potestas homines supernaturaliter sanctificandi necessario a Deo vel a Christo Deo-homine promanat: atqui Deus vel Christus homo sola illa via missionis apostolicae hanc potestatem contulisse cognoscuntur: ergo. Iamvero missio apostolica apud nullam sectam, sed apud solam veram Christi ecclesiam i. e. catholicam

invenitur et permanet. Ergo quicunque minister singularis nonnisi ab ecclesia catholica facultatem habere potest sacramenta legitime dispensandi.

Probatur minor. — Cum accuratior huius minoris de- 5.
monstratio ad tractatum de ecclesia spectet, hoc loco solummodo principia eiusdem obiter notanda sunt. Itaque *primo* Christus Apostolis eorumque successoribus illam potestatem non dedit, nisi quatenus sub visibili capite et principe unum ordinatum collegium sive unam hierarchiam constituunt; atqui in sola ecclesia catholica hoc ordinatum collegium sive haec sacra hierarchia perseverat: ergo apud solam catholicam ecclesiam illa missio apostolica invenitur; nullo autem pacto apud quamcunque sectam vel quemcunque coetum a Romana sede separatum inveniri potest. — *Praeterea paulo aliter:* Missio apostolica apud eos coetus esse non potest, qui ab Apostolis non descendunt: atqui nullus coetus praeter ecclesiam catholicam ab Apostolis descendit: etenim omnium eiusmodi coetuum ut v. g. Protestantium et Schismaticorum Orientalium origo postapostolica historice manifesta est: ergo.

2. Ex doctrina S. Augustini. — Certa est doc- 6.
trina quam nominatim *S. Augustinus* iterum iterumque contra Donatistas urget, sacramenta non haereticorum vel schismaticorum, sed solius Christi necnon ecclesiae catholicae propria bona esse. „Sacrilegus non est, qui unicum baptisma, non quod tuum, sed quod Christi est, iterare non audet. Christi est enim unica hominis in baptismate consecratio, tua est autem unici baptismatis iteratio. Corrigo in te, quod tuum est, agnosco quod Christi est“ (De unico baptism. c. 3.). „Frustra ergo nobis dicunt: Si baptismum nostrum acceptatis, quid minus habemus, ut nobis de vestra unione consulendum putetis? Respondemus enim: Non baptismum vestrum acceptamus quia non est baptismus ille schismaticorum vel haereticorum, sed Dei et ecclesiae, ubicunque fuerit inventus, et quocunque translatus. Vestrum autem non est, nisi quod prave sentitis, et sacrilege agitis et impie separamini“ (De bapt. l. 1. c. 14.). Et sane recte ita Augustinus; cum enim sacramenta principia sanctitatis, verae fidei protestationes, fructus

meritorum capitis ecclesiae sint, haereticorum vel schismaticorum propria bona esse nullo modo possunt. Iamvero bona Christi ecclesiae concredita nonnisi facultate accepta ab ecclesia legitime dispensari possunt. Ergo quicunque minister singularis sacramenta legitime non ministrat nisi potestate ab ecclesia derivata; et quicunque sive haereticus sive schismaticus sive alius sine eiusmodi potestate sacramenta dispensare audet, illegitime, illicite, sacrilege agit. Hinc S. Augustinus Donatistas tamquam sacrilegos bonorum ecclesiae usurpatores et sacramentorum violatores notat et sugillat.

7. *Notandum autem hic est primo,* eum, qui bona fide sacramenta ab haeretico vel schismatico recipiat, sane non peccare ideoque etiam fructus sacramenti percipere; sicuti neque minister haereticus vel schismaticus, qui bona fide procedit, ullum peccatum subiectivum contrahit.

Notandum est secundo, aliquando etiam haereticum vel schismaticum sacramenta legitime administrare posse, scilicet in casu necessitatis; tunc enim ab ipsa ecclesia in talem ministrum facultatem legitime sacramenta administrandi derivari recte dicitur.

2. p. Etiam potestas valide sacramenta administrandi quadam ratione ab ecclesia pendet.

8. ***Probatur vel explicatur ex necessitate intentionis in ministro.*** — Cum assertio huius partis iam argumentis praecedentis partis stabilita esse merito videatur, hoc loco non adeo demonstratio quam explicatio rei exhibenda est, praesertim quia posita assertio cum certa veritate pugnare videri possit. Etenim, ut in sequenti articulo exponetur, etiam extra ecclesiam et sine expressa facultate ab ea accepta sacramenta valide administrantur; quare non legitima quidem, at vero valida saltem sacramentorum administratio ab ecclesia independens esse videtur. Nihilominus oppositum dicendum est et satis ex necessitate intentionis in ministro explicatur.

9. Videlicet per intentionem ad valorem sacramenti in ministro necessario requisitam, quivis minister etiam illegitimus

et haereticus vel schismaticus evadit minister ecclesiae catholicae atque nonnisi ut talis valide sacramentum administrat. Etenim ad valorem sacramentorum necessario requiritur *intentio interna faciendi illud, quod Christus* instituit. Atqui illud, quod Christus instituit, sacramenta scilicet, ecclesiae catholicae suae in terris vicariae et corpori suo mystico tamquam proprium bonum et munus commisit, et ab ea in finem usque saeculorum indefectibiliter perficitur. Ergo intentio faciendi, quod Christus instituit, convertitur reipsa cum intentione implendi munus ecclesiae commissum et ab ea indefectibiliter impletum. Quare, qui intentionem habet faciendi, quod Christus instituit, hac ipsa intentione ecclesiae tamquam normae cuidam in administratione sacramentorum se conformat atque aliqua ratione ut minister ecclesiae agit. Atque hac ratione etiam valor sacramentorum vel potestas ea valide administrandi quodam modo a potestate ecclesiae derivari intelligitur. Hinc vicissim qui habet intentionem faciendi, quod facit ecclesia, infallibiliter facit quod Christus instituit; ex opposito autem qui haberet solum intentionem faciendi, quod facit secta Lutherana, vel coetus Anglicanus, ut tales sunt, non haberet intentionem faciendi, quod Christus instituit ideoque valide sacramenta non conficeret; nam illae sectae ut tales non faciunt, quod Christus instituit, quia sacramentorum administratio nequaquam ipsis tamquam proprium bonum et munus commissum est; neque igitur per se nec indefectibiliter hoc munus exercent.

Neque contra dici potest, si res ita se habeat, rarissime **10.** ab haereticis valide sacramenta administrari utpote, qui nequeant habere vel non habeant intentionem faciendi quod facit ecclesia; iamvero pleraque sacramenta ab haereticis administrata invalida esse, incredibile et durum videri; ergo. — Respondetur enim facile: quicunque intentionem habet faciendi quod Christus instituit, etiam implicite saltem intentionem habet faciendi, quod facit ecclesia catholica; dummodo non habeat intentionem praedominantem oppositam non faciendi, quod facit ecclesia, sed faciendi, quod secta v. g. Lutherana facit. Eiusmodi opposita praedominans intentio non solum

impediret et excluderet intentionem faciendi, quod facit ecclesia, sed etiam priorem, sc. faciendi quod Christus instituit, penitus destrueret. At vero eiusmodi pertinacia in sacramentorum administratione vix unquam contingere videtur. Itaque certum est, etiam ministrum acatholicum sacramenta valide administrantem habere implicite intentionem faciendi, quod facit ecclesia atque hac ratione quodam modo ecclesiae ministrum esse constitutum.

11. Tota haec veritas apte illustratur hac pulchra *S. Augustini* expositione: „Videntur sibi acutissime quaerere, utrum generet filios baptismus Christi in parte Donati, an non generet: ut si consenserimus quod generet, suam esse asseverant ecclesiam matrem, quae filios potuit de Christi baptismate generare . . . Quasi vero ex hoc generet, unde separata est et non ex hoc unde coniuncta est. Separata est enim a vinculo caritatis, sed iuncta est in uno baptismate. Itaque est una ecclesia, quae sola catholica nominatur; et quidquid suum habet in communionibus diversorum a sua unitate separatis, per hoc quod suum in eis habet, ipsa utique generet, non illae . . . Ergo ipsa generat et per uterum suum et per uteros ancillarum, ex iisdem sacramentis tamquam ex viri sui semine. Non enim frustra dicit Apostolus, omnia illa in figura esse gesta. Sed qui superbiunt et legitimae matri non adiunguntur, similes sunt Ismaeli, de quo dictum est: *Eiice ancillam et filium eius, non enim haeres erit filius ancillae cum filio meo Isaac.* Qui autem pacifice diligunt legitimam patris sui coniugem, similes sunt filiis Iacob, quamvis de ancillis natis, sed tamen eandem haereditatem sumentibus. Qui autem de utero ipsius matris intus in unitate nati negligunt gratiam, quam acceperunt, similes sunt Esau filio Isaac, qui reprobatus est, Deo attestante et dicente: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui, cum ambo ex uno concubitu concepti, ex uno utero nati sint*“ (De baptismo l. 1. c. 10.).

3. p. Ecclesia caeremonias in sacramentorum administratione servandas instituere vel immutare potest.

12. ***1. Probatur ex traditione tum theoretica tum practica.*** — Revera enim regimen vel antistites ecclesiae a primordiis semper hanc potestatem sibi vindicarunt et exercuerunt. Cuius rei exemplum iam exhibet Apostolus, cum ad Corinthios de ss. eucharistia scribens his verbis concludit. ‚*Cetera cum venero disponam*'. Haec enim verba substantiam sacramenti eucharistici a Christo ipso constitutam spectare non possunt, utpote, quae Corinthiis sacra communione iam saepe usis nota erat. Ergo spectant quaedam ad substantiam sacramenti superaddenda et a fidelibus observanda, quibus dignitati ipsius sacramenti necnon fidelium maiori utilitati consuleretur. Iamvero inter haec ab Apostolo praecipienda non potuerunt non esse actiones quaedam externae sensibiles sive caeremoniae. Ergo iam Apostolus illam potestatem sibi vindicasse et exercuisse videtur.

13. Manifestum autem plane est testimonium posterioris aetatis, ut constat ex diversis sacramentalibus et euchologiis, quae ex antiquitate conservatae ad nos pervenerunt, necnon ex SS. Patrum doctrina. In re aperta duo solum Patrum testimonia adduxisse satis erit: „Ut a baptismate ingrediar, aquam adituri ibidem, sed et aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, et pompae, et angelis eius; dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in evangelio determinavit. Inde suscepti lactis et mellis concordiam praegustamus; exque ea die, lavacro quotidiano per totam hebdomadem abstinemur. Eucharistiae sacramentum, et in tempore victus, et omnibus mandatum a Domino, etiam ante lucanis coetibus, nec de aliorum manu quam praesidentum sumimus; oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus, die dominico ieiunium nefas ducimus vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschae in Pentecosten usque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progressum atque

promotum, ad omnem aditum et exitum, ad calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quaecunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo ferimur. Harum et aliarum eiusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix" (*Tertullianus*, lib. de corona, cc. 3. et 4.).

14. „Nam si consuetudines, quae scripto proditae non sunt, tamquam haud multum habentes momenti aggrediamur reiicere, imprudentes evangelium in ipsis rebus praecipuis laedemus, imo potius praedicationem ad nudum nomen contrahemus. Verbi gratia, ut eius, quod primum est et vulgatissimum primo loco commemorem, ut signo crucis eos qui spem collocant in Christo signemus, quis scripto docuit? Ut ad orientem versi precemur, quae nos docuit Scriptura? Invocationis verba, cum conficitur panis eucharistiae et poculum benedictionis, quis sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quae commemorat Apostolus aut evangelium, verum alia quoque et ante et post dicimus, tamquam multum habentia momenti ad mysterium, quae ex traditione non scripta accipimus. Benedicimus autem et aquam baptismatis, et oleum unctionis, imo ipsum etiam, qui baptismum accipit. Ex quibus scriptis? Nonne a tacita secretaque traditione? Ipsam vero olei unctionem, quis sermo scripto proditus docuit? Iam ter immergi hominem, unde haustum? Reliqua autem, quae fiunt in baptismo, veluti renuntiare satanae, et angelis eius, ex qua scriptura habemus?" (*Basilius*, De Spiritu Sancto, c. 27. cf. *Cyrillus Hieros.*, catech. mystag.).

15. ***2. Ex potestate ecclesiae legifera.*** — Christus Deus-homo ecclesiae suae in terris vicariae eam potestatem concessit, qua salvis legibus divinis naturalibus et positivis ea ordinare et statuere potest, quae in cultum Dei promovendum et animarum salutem procurandam conducunt. Iamvero caeremoniae in sacramentorum administratione adhibendae in duplicem hunc finem assequendum multum conferunt neque eae caeremoniae iam a Christo determinatae sunt. Ergo ecclesia potestatem habet statuere et immutare caeremonias,

quae in sacramentorum administratione observandae sint. Minor argumenti ex ipsa harum caeremoniarum indole manifesta est, ut egregie ostendit *Suarez*:

„*Conferunt enim primo. ut ipsa sacramenta debito ho-* 16.
nore tractentur, et in maiore aestimatione et reverentia habeantur; nam cum eorum substantia in paucis verbis et exterioribus actionibus aut rebus externa specie vilioribus atque infimi ordinis consistat, nisi caeremoniarum apparatu et significatione elevetur animus ad cogitandum aliquo modo de mysteriis sub illis signis contentis, et ad concipiendam devotionem et reverentiam illis debitam, facile vilescerent et despicerentur, praesertim a rudioribus hominibus, qui sensibus fere ducuntur. Igitur per has caeremonias docetur christianus populus sub sensibilibus sacramentis magna mysteria contineri; et ideo magna veneratione esse tractanda.

Secundo conferunt hae caeremoniae ad maiorem quan- 17
dam intelligentiam et memoriam mysteriorum fidei, ut v. g. fere in omnibus sacramentis adhibere crucis signum, ut constat ex Steph. Pap. in cap. *Numquid* de consecr. d. 5., et August. tract. in Ioan. 118. et serm. 19. de sanctis: illud autem fit, ut eo signo admoneantur fideles, virtutem sacramentorum ex Christi morte derivari. Similiter dum in baptismo praemittuntur exorcismi et insufflationes, docentur fideles, puerum, antequam baptizetur, esse sub potestate daemonis ob originale peccatum: et ita hoc argumento utitur saepe Augustinus ad probandum originale peccatum ex usu et traditione ecclesiae, ut videre licet l. 1. de peccat. merit. et remiss. c. 34. et lib. 6. cont. Iulianum c. 2.; et alia exempla videri possunt in Leone P. ep. 81. et Innocentio I. ep. 1. Nec refert quod non omnes fideles intelligant haec mysteria: satis est enim, quod a doctoribus intelligantur, qui simpliciores docere possint de his, quorum ipsi sunt capaces, quaeve ipsos scire oportet: huiusmodi enim hominibus frequentius sufficit admiratio illa, quam in eis causat ipsa caeremoniarum gravitas et auctoritas, sub quibus statim concipiunt aliquid sacrum contineri, quamvis quid illud sit ignorent.

18. *Tertio per haec conservatur et augetur devotio fidelium,* ut recte docuit Augustinus, lib. de cura pro mort. agenda c. 5. et ep. 119. c. 11., qui tamen addit c. 19., cavendum esse, ne nimium sit hoc caeremoniarum onus: tantum enim esse potest, ut animum distrahat et impediat. Quo solo servato moderamine ac prudenti consilio, ut revera ab ecclesia servatur, ruunt obiectiones omnes et calumniae, quas haeretici excogitare possunt.

19. *Quarto tandem deservire possunt hae caeremoniae ad distinguendum fidelem populum ab infideli, et unitatem ecclesiae commendandam,* ut significavit Innocentius supra, et Concil. Toletan. 4. can. 2., et ideo diligenter vitat ecclesia in huiusmodi caeremoniis et observantiis omne consortium et apparentem similitudinem cum Iudaeis vel aliis infidelibus, ut colligitur ex Augustino dicta ep. 119. et Epiph. l. 3. cont. haeres. in fine, ubi multa de his caeremoniis congerit" (Disp. 15. s. 2. n. 4.).

20. *Confirmatur totum argumentum per comparationem cum auctoritate civili.* Etenim in republica quavis ordinata auctoritas existit, quae ea ordinat et statuit, quae ad salutem publicam instaurandam, conservandam, promovendam spectant; ergo etiam et a fortiori ecclesia in ordine spirituali et supernaturali auctoritate instruitur, qua ea ordinare atque statuere valet, quae ad cultum Dei et bonum animarum promovendum conducunt. In his autem caeremoniae sacramentales continentur. Ergo ecclesiae competit has ordinare i. e. statuere vel etiam statutas pro varietate locorum temporum immutare. Et sane quidem ordinatio haec singulis quibusvis sacramentorum ministris relinqui nequit: secus enim ingens confusio et perturbatio in ecclesia quoad cultum externum instaret, unitas divini cultus laederetur, necnon ipsa fidei unitas in periculum vocaretur.

Corollarium.

21. ***1. Soli homines viatores sacramentorum ministri sunt.*** — Haec assertio ex demonstratione primae

partis supra instituta satis quidem intelligitur, verum expressius eandem paucis vindicare expediet.

Itaque *primo ipsa Scriptura* testatur, non angelis sed hominibus a Christo datam esse potestatem sacramenta administrandi. Nam homines allocutus est dicens: „*Euntes docete omnes gentes baptizantes eos*“ (Matth. 28, 19.); „*Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis*“ (Ioan. 20, 22.); „*Hoc facite in meam commemorationem*“ (Luc. 22, 19.). Item Apostolus solos homines tamquam sacramentorum ministros exhibet: „*Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*“ (1. Cor. 4, 1.). Et alibi, postquam dixit: „*Ascendens* (Christus) *in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*“, addit: „*Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi*“ (Eph. 4, 8. 11.). Huc etiam pertinet saltem spectata ss. eucharistiae confectione, quod idem Apostolus de sacerdotis ratione docet: „*Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*“ (Heb. 5, 1.).

Secundo Traditionis testimonium luculentum est. In re **22.** manifesta unum *Chrysostomum* audire sufficit: „Qui terram incolunt in eaque commorantur, ad ea, quae in coelis sunt dispensanda, commissi sunt, potestatemque acceperunt quam neque angelis, neque Archangelis dedit Deus“ (De sacerd. l. 3. n. 5.).

Tertio duplex ratio congrua huius veritatis assignari **23.** potest: *Prima* ex conformitate naturae necessaria inter Christum sacramentorum institutorem et primarium ministrum ex una parte et ministrum secundarium ex altera parte desumitur. „Tota virtus sacramentorum a passione Christi derivatur, quae est Christi secundum quod homo, cui in natura conformantur homines, non autem angeli, sed potius secundum passionem dicitur modico ab angelis minoratus, ut patet Hebr. 2. Et ideo ad homines pertinet dispensare sacramenta et in eis mi-

nistrare. non autem ad angelos“ (S. th., 3. p. q. 64. 7.) — Alteram rationem *S. Thomas* ibidem ad 1. innuit et est huiusmodi: Sicut proportio est naturae inter Christum sacramentorum institutorem et ministros secundarios, ita etiam inter ministros sacramentorum et ipsa sacramenta necnon inter illos et subiecta sacramentorum proportio quaedam naturae intercedat. Atqui ipsa sacramenta ex elemento visibili et invisibili sive actione sensibili et spirituali tum significatione tum efficientia componuntur; atque subiecta sacramentorum homines sunt, quippe pro quibus solis Christus ea instituit. Ergo etiam ministri sacramentorum convenienter substantiae sensibiles simul et intelligibiles. sive homines sunt.

24. *Notandum tamen est cum S. Thoma,* nihil repugnare, quominus angelus aliquando sacramenti minister sit non ordinarius, sed extraordinarius: „Sicut Deus virtutem suam non alligavit sacramentis, quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre, ita etiam virtutem suam non alligavit ecclesiae ministris, quin etiam angelis possit virtutem tribuere ministrandi in sacramentis. Et quia boni angeli sunt nuntii veritatis, si aliquod sacramentale ministerium a bonis angelis perficeretur, esset rectum habendum, quia deberet constare, hoc fieri voluntate divina; sicut quaedam templa dicuntur angelico ministerio consecrata. Si vero daemones, qui sunt spiritus mendacii, aliquod sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum“ (L. c. in corp.).

25. ***2. Non quilibet homo etiam baptizatus valide sacramenta quaelibet conficere potest, sed ille solus, qui ab ecclesia rite ordinatus vel etiam ad id munus deputatus est.*** — Cum haec assertio quoad diversa sacramenta in tractatu de sacramentis in specie enucleatius proponatur, hoc loco solum generalis quaedam et brevis explicatio exhibenda est:

1) Probatur ex Scriptura. — Huc pertinent imprimis Scripturae testimonia iam supra producta, secundum quae Christus Dominus non omnibus hominibus nec omnibus fidelibus, sed solis Apostolis eorumque hac in re successoribus potestatem contulit peccata remittendi, ss. eucharistiam in sui

memoriam celebrandi. Idem docet Apostolus, cum ecclesiam exhibens tamquam corpus Christi mysticum, diversis huius corporis mystici membris diversa ministeria assignat, quemadmodum membris corporis physici humani diversae functiones conveniunt: „*Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes secundum gratiam, quae data est nobis, differentes: sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui praeest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate*“ (Rom. 12, 4. ss.). „*Nam et corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? Et si dixerit auris: Quoniam non sum oculus, non sum de corpore, num ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus: ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus! Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore, sicut voluit. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus . . . Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. Et quosdam quidem ponit Deus in ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores; deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetae? numquid omnes doctores? Numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur*“ (1. Cor. 12, 12. ss.).

2) *Ex traditione tum theoretica tum practica ecclesiae.* **26.** — *Ad traditionem theoreticam* haec magisterii authentici decreta spectant: „Pervenit ad sanctum magnum concilium. quod in quibusdam locis et civitatibus presbyteris gratiam sacrae communionis diaconi porrigant; quod nec regula nec consuetudo tradit. ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant (*Conc.*

Nicaen. I. can. 18.). „Hoc itaque sacramentum (Eucharistiae) nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui fuerit rite ordinatus secundum claves ecclesiae, quas ipse concessit apostolis et eorum successoribus Iesus Christus" (*Lateren. IV. i. 1. de fide catholica.*). „Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit" (*Concil. Trid. Sess. 7. de sacram. in gen. can. 10.*). Haec vero decreta, ut in tractatu de sacramentis in specie accuratius ostenditur, hunc in sensum intelligenda sunt: Nemo non ordinatus quaelibet sacramenta valide administrare potest; etenim soli sacerdotes sacramenta poenitentiae, eucharistiae, extremae unctionis valide administrant: atque soli episcopi sacramentum ordinis et (propria potestate) sacramentum confirmationis valide conferunt; sacramentum baptismi vero propter summam eius necessitatem a quolibet homine valide et in casu necessitatis etiam tamquam a ministro extraordinario licite confertur. Denique sacramentum matrimonii, utpote quod ipso contractu matrimoniali a Christo ad dignitatem sacramenti elevato constituitur, ab ipsis contrahentibus sibi invicem administratur.

27. *Traditio practica* inde a primis ecclesiae exordiis idem testatur, ut innumeris factis ostendi potest. Sic v. g., ut unum solum eiusmodi factum hoc loco commemoretur: Quandocunque iam in primis ecclesiae temporibus de valore sacramentorum dubium aliquod nascebatur, antistites ecclesiae semper, solis baptismo et matrimonio exceptis, magna cum sollicitudine, illud praesertim examinabant, utrum minister, qui sacramentum, de cuius valore dubium exstabat, rite ordinatus fuerit necne.

28. *Nota:* De quibusdam aliis circa caeremonias ecclesiasticas quaestionibus, quae quidem alicuius momenti sunt, ad hunc vero locum non pertinent, conferri possunt *Suarez*, l. c.; necnon *de Augustinis*, de re sacramentaria, t. 1. p. 2. a. 5.

Articulus secundus.

De fide et sanctitate ministri.

Thesis 21. Sacramentorum valor et efficacia a sanctitate vel probitate ministri non pendent.

Declaratio.

1. Ministri notio. — Ut iam in praecedentibus in- 1
dicatum est, duplex sacramentorum minister discerni potest: minister primarius et minister secundarius. Minister primarius Christus est; ut enim *Augustinus* dicit, „invisibiliter per eos (ministros homines) ille baptizat, cuius est et visibile baptisma et invisibilis gratia“ (Cont. Crescon. l. 2. c. 21.). Minister vero secundarius ille homo est, qui potestate a Christo accepta nomine et in persona Christi sacramentum ipsum externum sive sacramentalem ritum ponit: atque hic minister secundarius communi appellatione simpliciter minister dicitur.

Minister igitur causa illius ritus est, qui tamquam sig- 2.
num practicum gratiam producit; unde quaeritur, num etiam ipsius effectus sacramenti i. e. gratiae vel characteris causa sit. Certe autem affirmative respondendum est; etenim qui causam aliquam eo fine applicat, ut eius effectus consequatur, ipsius huius effectus causa dicitur et est. Neque tamen minister effectus sacramenti causa principalis est, sed solum ministerialis, quia sacramentum ut causa instrumentalis virtutem suam non a ministro, sed a Deo potius vel Christo institutore tamquam principali agente derivat; cuius nomine et auctoritate minister agit. Neque igitur minister in effectum sacramenti influit aliter, quam ponendo ipsum signum sacramentale, quod ex Christi institutione eundem effectum significat et efficit. Quare falso statuerunt aliqui theologi duplicem influxum, alterum ipsius visibilis sacramenti, alterum ministri per potentiam activam characteris. Minister enim sive ordinatus sive non ordinatus non aliter influit nisi ponendo ipsum sacramentum, quod virtute a Christo communicata effectus

sacramentalis efficax est. Unus igitur non duplex influxus est. Simili ratione, cum iudex absolvit reum, non alius est influxus iudicis neque alius sententiae absolutoriae, sed unus tantum influxus est sententiae, quae vere a legitimo iudice profertur; vel iudex per latam sententiam absolvit.

Iam in praesenti articulo de iis agitur, quae in ministro non requiruntur, ut sacramentum valeat et effectum suum producat; et quidem in hac thesi probatur, sanctitatem non requiri, ubi per sanctitatem status gratiae intelligitur. In altera deinde thesi ostendendum est, neque fidem rectam requiri.

3. ***2. Haereses thesi oppositae.*** — Sacramenta ab hominibus impiis vel gratia destitutis irrita esse, primo docuerunt *Donatistae* saeculo 5.: sed catholicorum argumentis in angustias redacti suam sententiam restrinxerunt atque solum contenderunt, tunc solum sacramenta collata irrita esse, si ministri impietas manifesta sit. Quam donatistarum haeresin renovarunt saeculo 12. *Apostolici*, utpote qui S. Bernardo teste (serm. 66. in cantic.) negabant homines malos posse efficaciter sacramenta ministrare, necnon saeculo 13. *Waldenses*, quippe qui contendebant, sacramentorum virtutem ita totam a sanctitate ministri pendere, ut ministerium sacramentorum malis sacerdotibus adimendum, bonis autem laicis concedendum esset. Similiter docuerunt *Albigenses*. Denique saeculo 14. et 15. errorem primo a Donatistis propositum iterum excitarunt *Wiclefus* et *Hus*, quorum prior ita delirasse videtur, ut diceret, etiam sacramenta ab homine nunc quidem bono, sed futuro malo collata irrita esse.

4. ***3. Doctrina catholica.*** — Contra errores recensitos dogma catholicum a magisterio authentico pluries propositum et vindicatum est. Waldensibus ab *Innocentio III.* fidei formula praescripta est, in qua haec proponuntur: „Sacramenta quoque, quae in ea celebrantur, inaestimabili atque visibili virtute Spiritus Sancti cooperante, licet a peccatore sacerdote ministrentur, dum ecclesia eum recipit, in nullo reprobamus, nec ecclesiasticis officiis vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, sed benevolo animo tamquam a iustissimo am-

plectimur, quia non nocet malitia episcopi vel presbyteri neque ad baptismum infantis neque ad eucharistiam conferendam vel ad cetera ecclesiastica officia subditis celebrata . . . In sacrificio eucharistiae, quae ante consecrationem erant panis et vinum, post consecrationem esse verum corpus et verum sanguinem Domini nostri Iesu Christi, firmiter et indubitanter corde puro credimus et simpliciter verbis fidelibus affirmamus, in quo nihil a bono maius vel a malo minus perfici credimus sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur creatoris et in virtute Spiritus Sancti. Unde firmiter credimus et confitemur, quod quantumcunque quilibet honestus religiosus sanctus et prudens sit, non potest nec debet eucharistiam consecrare vel altaris sacrificium conficere, nisi sit presbyter a visibili et tangibili episcopo regulariter ordinatus" (D. n. 370.). *Deinde* inter errores Fraticellorum a *Ioanne XXII.* constitutione edita a. 1318. damnatos quartus est: „Quarta huiusmodi impiorum blasphemia de praedictorum Waldensium venenato fonte prorumpens, sacerdotes rite etiam et legitime secundum formam ecclesiae ordinatos, quibuslibet tamen criminibus pressos, non posse conficere vel conferre ecclesiastica sacramenta confingit" (D. n. 416.). *Praeterea Concilium Constantiense* hanc Wiclefi thesin proscripsit: „Si episcopus vel sacerdos exstat in peccato mortali non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat" (D. n. 480.). Item inter articulos, de quibus ex eiusdem concilii mandato Wiclef et Hus interrogandi erant, vigesimus secundus est: „Utrum credat, quod malus sacerdos cum debita materia et forma et cum intentione faciendi, quod facit ecclesia, vere conficiat, vere absolvat, vere baptizet, vere conferat alia sacramenta" (D. 566). *Tandem Concilium Tridentinum* definivit: „Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, a. s." (Sess. 7. de sacram. c. 12. can. 12., D. n. 736.). *Denique* quod baptismum attinet, catholica doctrina iterum proponitur in professione fidei orientalibus praescripta ab *Urbano VIII.* et *Benedicto IV.*: „Item

baptismum esse necessarium ad salutem, ac proinde si mortis periculum immineat, mox sine ulla dilatione conferendum esse, et a quocunque et quandocunque sub debita materia et forma et intentione collatum, esse validum" (D. n. 878.). cf. definitionem *Concilii Lateranensis IV.* contra Albigenses latam (D. n. 357.).

Demonstratio.

5. ***1. Probatur ex natura potestatis ministerialis argumento exclusionis.*** — Valor et efficacia sacramentorum a sanctitate vel probitate ministri penderent aut ex natura rei i. e. ex indole potestatis ministerialis aut ex positiva Christi voluntate: iamvero utrumque plane falso affirmatur: ergo valor et efficacia sacramentorum a sanctitate et probitate ministri non pendent. Disiunctio maioris completa esse intelligitur; restat solum, ut probetur minor. Itaque:

6. *1) Sanctitas ministri non requiritur a natura potestatis ministerialis.* — Et *primo* quidem id egregie ostendit *S. Thomas* hac ratione: „Ministri ecclesiae instrumentaliter operantur in sacramentis, eo quod quodammodo eadem ratio est ministri et instrumenti. Sicut autem supra dictum est, instrumentum non agit secundum propriam formam aut virtutem, sed secundum virtutem eius, a quo movetur. Et ideo accidit instrumento, in quantum est instrumentum, qualemcunque formam vel virtutem habeat praeter id, quod exigitur a ratione instrumenti; sicut quod corpus medici, quod est instrumentum animae habentis artem, sit sanum vel infirmum, et sicut quod fistula, per quam transit aqua, sit argentea vel plumbea. Unde ministri ecclesiae possunt sacramenta conferre, etiamsi sint mali" (S. th. 3. p. q. 64. a. 5.).

7. *Secundo* SS. Patres eundem prorsus conceptum potestatis ministerialis se habuisse, comparationibus, quibus hanc rem illustrant, variis ostendunt. Sic v. g. *Gregorius Naz.* comparationem rei, de qua agitur, a duobus annulis petit similiter imperatoris effigiem inculptam gerentibus, quorum tamen alter aureus, alter vero ferreus sit. Quemadmodum

nihil obstante hac maxima inter annulos varietate, uterque tamen cerae applicatus eandem signabit imaginem, ita tum bonus tum malus minister, modo sacramentum legitime applicat, idem sanctitatis sigillum producit (Or. 40. in baptisma.). Aliam, sed similem comparationem adhibet *Augustinus:* „Qui vero fuerit superbus minister, cum zabulo (i. e. diabolo) computatur; sed non contaminatur donum Christi, quod per illum fluit purum, quod per illum transit liquidum, venit ad fertilem terram; puta, quia ipse lapideus est, quia ex aqua fructum ferre non potest; et per lapideum canalem transit aqua ad areolas; in canali lapideo nihil generat, sed tamen hostis plurimum fructum affert. Spiritualis enim virtus sacramenti ita est ut lux; et ab illuminandis pura excipitur, et si per immundos transeat, non inquinatur; sint plane ministri iusti, et gloriam suam non quaerant, sed illius, cuius ministri sunt; non dicant: Baptisma meum est; quia non est ipsorum" (Tract. 5. in Ioan. n. 15.). Et alibi iterum similiter: „An vero solis vel etiam lucernae lux, cum per coenosa diffunditur, nihil inde radium contrahit, et baptismus Christi potest cuiusdam sceleribus coinquinari?" (Cont. Donat. l. 3. c. 10.) Denique eandem lucis comparationem adhibet *Nicolaus I.* in resp. ad consulta Bulgarorum: „Non potest aliquis, quantumcunque pollutus sit, sacramenta divina polluere, quae purgatoria cunctarum remedia contagionum existunt. Non potest solis radius per cloacas et latrinas transiens aliquid exinde contaminationis attrahere . . . . Mali bona ministrando se tantummodo laedunt, et cerea fax accensa sibi quidem detrimentum praestat, aliis vero lumen in tenebris administrat, et unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium praebat" (c. 71.).

Tertio SS. Patres accuratius potestatem ministerialem explicantes omnibus modis contra haereticos inculcarunt, sacramentorum dispensatores non suo sed Christi nomine agere, non ipsos propria sua virtute, sed Deum sua potestate effectum sacramentorum conferre, hominibus in sacramentis conferendis nihil nisi nudum ministerium competere. Ita v. g. iterum *Augustinus:* „Dominus Iesus Christus noluit baptismum suum alicui dare, non ut nemo baptizaretur baptismo Domini, sed 8.

ut semper ipse Dominus baptizaret. Id actum est, ut et per ministros Dominus baptizaret, non illi. Aliud est enim baptizare per ministerium, aliud baptizare per potestatem. Baptisma enim tale est, qualis est ille, in cuius ministerium datur . . . quod dabatur a Paulo et quod dabatur a Petro Christi est; et si datum est a Iuda, Christi erat. Dedit Iudas et non baptizatum est post Iudam, dedit Ioannes et baptizatum est post Ioannem; quia si datus est a Iuda baptismus, Christi erat; qui autem a Ioanne datus est, Ioannis erat. Non Iudam Ioanni, sed baptismum Christi etiam per Iudae manus datum baptismo Ioannis etiam per manus Ioannis dato certo praeponimus . . . Quos baptizavit Iudas, Christus baptizavit; sic ergo, quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: *Hic est qui baptizat.* (Ioan. 1, 33).“ (In Ioan. tract. 5. n. 6. 18.; cf. c. litt. Petit. l. 3. c. 49.). Similiter *Ambrosius:* „Non mundavit Damasus, non mundavit Ambrosius, non mundavit Gregorius: nostra enim servitia, sed tua sunt sacramenta. Neque enim humanae opis est, divina conferre, sed tuum, Domine, munus et Patris est, qui locutus est per prophetas dicens: *Effundam de Spiritu meo.* Ioël 2, 21. s.“ (De Spiritu Sancto, prol. n. 18.). Denique item *Chrysosthomus:* „Neque angelus, neque archangelus in iis, quae a Deo data sunt, aliquid efficere potest, sed Pater et Filius et Spiritus Sanctus omnia administrat. Sacerdos vero linguam suam concordat, manum porrigit“ (Hom. 86. al. 85 in Ioan.).

9. *2) Non pendent a sanctitate vel probitate ministri ex positiva Christi voluntate.* — Et *primo* quidem nullum huius Christi voluntatis vestigium exstat *in Scriptura.* Imo ex hac de opposita Christi vel Dei voluntate constat. Etenim sacra Scriptura manifesto docet, gratias gratis datas, inter quas potestas sacramenta administrandi invenitur, in subiecto iniquo quoque existere posse et reipsa exstare. Huc multa Scripturae testimonia spectant, ut v. g.: *„Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut*

aes sonans, aut cymbalum tinniens Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam; et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum" (1. Cor. 13, 1. ss.). „*Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus et in nomine tuo daemonia eiecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos; discedite a me, qui operamini iniquitatem*" (Matth. 7, 21.). Huc etiam pertinet Ioan. 18, 7, ubi dicitur prophetasse Kaiphas, quia Pontifex anni illius erat. (cf. Eccl. 3, 20; 24, 4.; Ps. 104; Ioan. 20, 22.; 2. Cor. 6.) In quibus testimoniis quidem de charismatibus extraordinariis imprimis sermo est; atvero si eiusmodi charismata extraordinaria hominibus peccatoribus obvenire queunt, a fortori charismata ordinaria vel potestas ordinaria sacramenta administrandi in hominibus malis esse potest. Ergo.

Secundo neque *in Traditione* ullo modo de tali Christi **10.** voluntate sermo est; imo vero uno semper ore catholici quivis professi sunt, nullam dari Christi voluntatem, qua malos et improbos a potestate ministeriali excludat. Huc pertinent testimonia pleraque supra iam adducta. Deinde omnia ea SS. Patrum testimonia huc spectant, quibus in sequenti thesi ostendetur, ad valorem sacramentorum fidem in ministris non requiri; infidelitas enim peccatum grave est neque ullo modo supponi potest nec supponitur a SS. Patribus, omnes infideles inculpabiliter errantes in statu gratiae versari. Denique huc pertinent innumerae fere S. Augustini expositiones, quibus contra Donatistas catholicam praxim et doctrinam vindicat, secundum quam sacramenta a peccatoribus sive occultis sive publicis collata iterari non debent. Speciminis causa unam solum eiusmodi expositionem afferre satis erit. Petilianum Donatistarum episcopum catholicam praxim et doctrinam tamquam sacrilegam impugnantem sic excogitat: „Respiciat ergo iste, quo errore dixerit, quod secutus adiunxit:

‚Velint nolint proinde traditores sacrilegis sacramentis Christum magis offendunt'. Alia est quippe temeritas et utcunque tolerabilis, quod traditores dicit homines, quos esse non probat: illud autem quis ferat, quod sacrilega dicit sacramenta Christi. etiamsi vere, sicut calumniatur, a traditoribus haberentur. quae in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ritu evangelico celebrantur? Hic fortasse dicat, iam non esse Christi sacramentum, quod a sacrilegis datur. Cur non ergo dicit, non esse etiam nomen Christi, quod a sacrilegis dicitur? Quod omnino non ausus est dicere. Ait enim: ‚Perdidisse igitur falsum opus non dubium est, qui tametsi in nomine Iesu Christi, sacrilege tamen ausi sunt operari.' Tametsi, inquit, in nomine Iesu Christi: numquid dixit, non esse nomen Iesu Christi? Sicut ergo nihil prodest sacrilegis, quod operantur in nomine Iesu Christi; sic nihil prodest haereticis, quod baptizant vel baptizantur in baptismo Iesu Christi: sed tamen, sicut illud nomen est Iesu Christi, ita et iste baptismus Iesu Christi. Et utrumque agnoscendum et approbandum, non negandum et destruendum est, ne tantis donis Dei fiat iniuria, cum sacrilegorum eisdem donis male utentium corrigitur vita" (De unico baptismo. n. 13. cf. etiam n. 14. et c. Cresc. l. 3. c. 11. n. 14.).

11. ***2. Ex absurdis sequelis sententiae oppositae.*** — Etenim si sacramentorum valor a probitate vel statu gratiae ministrorum penderet, sacramenta persaepe cum ingenti animarum nocumento irrita essent, quia scilicet status gratiae in ministris non paucis nec raro deesse potest et deest. *Praeterea* plerumque constare non posset de sacramentorum valore, unde nunquam sacramentorum iterationis finis esset, nec unquam finis dubiorum atque anxietatum, quia necessario semper recurreret timor. ne in ministro status gratiae defuerit. Christus igitur. si valorem sacramentorum a sanctitate ministrorum dependentem reddidisset, parum ecclesiae et parum animarum saluti providisset. Iamvero talis agendi modus tum a Christi bonitate tum a scopo eiusdem sacramenta instituentis prorsus abhorret. Ergo.

Neque contra excipi potest, hanc rationem solum valere 12.
relate ad ministros peccatores occultos, non autem quoad publicos, quia hi scilicet facile vitari possint. Etenim hanc distinctionem praeter rem et inanem esse facile patet: *primo* eiusmodi notitia publica aliquid ipsi delicto externum et accidentale est; *secundo* adiunctum secreti vel occulti saepe quidem malitiam delicti propter hypocrisin et simulationem potius auget, quam minuit; *tertio* iterum anxia oriretur dubitatio, quanta delicti a ministro commissi notitia ad valorem sacramentorum impediendum sufficiat; *quarto* denique non raro accidere potest, ut delictum ministri etiam publicum hominem bona fide ad sacramenta accedentem penitus lateat.

3. Ex ipsa rei natura. — Hanc rationem tamquam 13.
principalem theologi considerare solent praeeunte *Suarez*: „Ratio principalis est, quia si peccator vel haereticus privaretur hac potestate, vel hoc esset, quia est illa indignus, vel quia non decet Deum uti homine iniquo ut instrumento ad supernaturalem effectum, praesertim ad gratiam conferendam, vel quia ecclesiae seu hominibus, qui recepturi sunt sacramenta, non expedit huiusmodi homines esse sacramentorum ministros. Sed nihil horum dici potest aut est verisimile. *Primum* probatur, quia peccator est indignus fide, et haereticus est indignus baptismali charactere et vita ac bonis omnibus, quibus iuste privari possunt et non privantur; ergo ex hoc capite nihil colligi potest, praesertim in eo genere bonorum, quae ipsis non propter ipsos, sed propter aliorum utilitatem dantur, inter quae haec potestas conficiendi sacramenta annumeranda est. Quod a simili confirmatur, quia gratiae gratis datae saepe dantur peccatoribus, quamvis illis indigni sint, quia ad aliorum utilitatem ordinantur . . . Et simile argumentum supra sumpsimus ex potestate iurisdictionis, qua non privantur peccatores, etiamsi indigni sint, et idem dici potest de dominio temporali. *Secundum* membrum probari potest primo ab exemplo ex Augustino, (l. 4. de bapt. c. 11.), ex potestate evangelizandi et effectu eius; saepe enim Deus per verbum hominis peccatoris alios convertit et iustificat, quod non est contra divinam bonitatem, sed maxime illam

decet, eiusque sapientiam et potentiam commendat, dum quorundam malitia in aliorum bonum utitur: maxime quia non illis utitur, ut mali sunt, sed ut homines et creaturae suae sunt, sub qua ratione boni sunt. Adde, quia Deus utendo malo ministro, ostendit sanctitatem et efficaciam sacramenti non esse ab ipso ministro, sed a Christo: ipsum vero ministrum solum esse veluti canalem, per quem gratia ad alios confluit, aut tamquam operarium, qui iacit semina, plantat aut rigat, Deo incrementum dante. *Tertium* membrum satis probatum est prima ratione: nam potius ecclesiae maxime expediens fuit, ut sacramenta ab his ministris collata valida sint, quamquam ipsi peccent illa ministrando" (Disp. 13. s. 4. n. 8.).

Scholion.

14. ***1. Obiectiones quaedam solvuntur.*** — Praetermissis difficultatibus obiectis ab haereticis, quae nullius sunt momenti atque ex dictis facile solvuntur, aliqua tantum argumenta opposita referre iuvat, quorum solutio ad accuratiorem rei intelligentiam conferre potest.

1) „*Non potest arbor mala bonos fructus facere*" (Matth. 7, 14.)*; peccator autem est arbor mala; ergo sacramenta nec valide nec fructuose administrare potest. Praeterea Christus ad Apostolos et in iis ad sacerdotes omnes dixit*: „*Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur iis, et quorum retinueritis, retenta sunt*" (Ioan. 20, 18.): *ergo ut quis peccata remittere possit, Spiritum Sanctum habere debet; peccatores autem et improbi eum habere nequeunt; ergo peccata remittere non possunt.* — *R.* ad primum textum distinguendo: Arbor mala i. e. peccator qua talis non potest sane bonum fructum facere; verumtamen id potest, in quantum instrumentum vel minister Christi est. — Alterum quoque textum distinguo: Nemo peccata remittere potest, nisi habeat Spiritum Sanctum i. e. potestatem a Spiritu Sancto acceptam *c.* nisi habeat Spiritum Sanctum i. e. gratiam sanctificantem *n.* Videlicet potestas peccata remittendi

et administrandi cetera sacramenta non est gratia gratum faciens, sed potius gratia in commodum aliorum gratis data.

2) *S. Augustinus pluribus locis dicit, ministros malos* **15.** *remissionem peccatorum dare non posse, ut v. g.: „Tales ipsius Cypriani temporibus baptizabant . . . remissionem tamen peccatorum non dabant; quae per orationes Sanctorum, i. e. per columbae gemitus datur . . . non enim raptoribus ac foeneratoribus dicit Dominus: ‚si cui dimiseritis peccata, dimittuntur illi' . . . sed solvitur, qui cum columba fecerit pacem et ligatur, qui cum columba non habet pacem"* (De bapt. l. 3. c. 18.). — *R.* S. Augustinus solum intendit dicere, ministros malos sive haereticos sive schismaticos ut tales et quidem iis, qui eorum haeresi vel schismati vel malitiae formaliter peccando adhaerent, peccata remittere non posse. Hunc sensum esse verborum Augustini, ex ipso scopo orationis et contextu satis manifesto intelligitur. Ceterum Augustini mens manifesta est ex testimoniis in ipsa demonstratione adductis.

3) Nemo potest dare, quod non habet; sed minister **16.** *malus non habet Spiritum Sanctum; ergo eum dare non potest.* — *R. d.*: nemo dat virtute propria, quod non habet, vel si proprio nomine ut causa principalis agit *c.*; virtute et potestate aliena tamquam causa ministerialis, *n.*

Instant: Improbi et mali Christi ministri vel instrumenta esse non possunt; instrumentum enim principali agenti coniunctum esse debet. — *R. n.* instantiam et rationem additam *d.*: instrumentum Christi vel minister debet esse coniunctus cum Christo per gratiam *n.*; per institutionem et intentionem *c.*

Instant denuo: Hac ratione discrimen nullum esset inter ministrum bonum et malum; id autem pugnat cum communi fidelium sensu, utpote qui iudicant praestare, ut sacramenta a ministro bono potius, quam a malo suscipiantur; ergo. — *R. d.* non foret discrimen quoad substantiam sacramenti *c.*: quantum ad humana merita, dignam sacramentorum administrationem est propriam aliorumque aedificationem *n.* Atque

haec cum sensu fidelium omnino concordant; et si qui essent, qui aliter sentirent, instruendi et corrigendi essent.

17. ***2. De obligatione, qua minister sacramentorum tenetur, ut ea administrans in statu gratiae versetur.*** — Quamvis etiam ministri in statu peccati versantes valide et fructuose sacramenta administrent, nihilominus ad licitam administrationem status gratiae postulatur in eo saltem ministro, qui speciali consecratione ad sacramentorum confectionem vel administrationem deputatus est. Profecto enim, cum Deus in V. L. sacerdotibus mandaret: „*Sint ergo sancti, quia et ego sanctus sum, qui sanctifico eos*" (Lev. 21, 8.), a fortiori sanctitas postulatur in N. L. sacerdotibus et sacrorum ministris, utpote qui munere, potestate, dignitate, gratiae donis sacerdotes V. L. tantum superant, quantum V. L. a N. L. superatur.

18. Quare *Catechismus Romanus* sacramentorum ministros graviter exhortatur, ut pura conscientia sacramenta administrent: „Neque vero pastores aliive ministri . . . satis sibi esse arbitrentur, si posthabita morum integritate ac conscientiae munditia, illud tantum cogitent, quo modo sacramenta ab illis rite ministrentur; id enim etsi diligenter curandum est, in hoc tamen omnia, quae ad eam functionem pertinent, posita non sunt. Meminisse autem semper debent, sacramenta divinam quidem virtutem, quae illis inest, nunquam amittere, atvero impure ea ministrantibus aeternam perniciem et mortem afferre. Sancta enim, quod semel atque iterum ac saepius admonere oportet, sancte et religiose tractanda sunt. *Peccatori*, ut est apud Prophetam (Ps. 49, 16.), *dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam.* Quodsi homini peccatis contaminato minus licet de rebus divinis agere, quantum ab eo scelus concipi existimandum erit, qui sibi multorum scelerum conscius est, nec tamen sacra mysteria polluto ore conficere, vel in foedas manus sumere, contrectare, atque aliis porrigere et ministrare vereatur? Cum praesertim apud S. Dionysium (de eccl. hierarch. c. 1.) scriptum sit, malis symbola (ita enim sacramenta appellat) ne

contingere quidem permissum esse. Sanctitatem igitur sacrarum rerum ministri inprimis sectentur, pure ad sacramenta ministranda accedant atque ita se ad pietatem exerceant, ut ex eorum frequenti tractatione et usu uberiorem in dies gratiam adiuvante Deo consequantur" (P. 2. c. 1. n. 26.).

Ceterum *notandum est*, etiam ministrum ordinarium, qui in peccati statu constitutus bona fide vel ob urgentem necessitatem sacramentum conficiat, a culpa gravi excusari. Accuratior vero horum explicatio ad theologiam moralem potius spectat.

Thesis 22. Neque a fide ministri valor vel efficacia sacramentorum pendent.

Declaratio.

1. De controversia Rebaptizantium. — De quaestione in praesenti thesi absolvenda intra ipsam ecclesiam catholicam acerrimae controversiae agitatae sunt saeculo 3. Quas controversias excitavit vel auxit imprimis synodus carthaginiensis c. anno 215. sub Agrippino episcopo habita, utpote quae decrevit, baptismum ab haereticis collatum iterandum esse (cf. *Cyprianus*, ep. 71. et ss.). Huic enim decisioni non acquieverunt plures episcopi, sed contra ad antiquam consuetudinem provocarunt. Unde diversa episcoporum agendi ratio, dubitationes, disputationes exortae sunt atque magis magisque invalentes pacem ecclesiae Africanae perturbarunt. Quae cum ita essent, aliqui a S. Cypriano, viro virtutis et doctrinae auctoritate insigni, qui interim Agrippino in sede Carthaginensi successerat, consilium petierunt. Porro Cyprianus ad quaestionem decidendam tres synodos celebravit: primam anno 255, cum a Ianuario Numidiae episcopo interrogatus esset; alteram anno 256., cum consultus esset a Quinto Mauritaniae episcopo. In utraque synodo decretum est, baptismum ab haereticis collatum valorem non habere ideoque haereticos ad catholicam unitatem redeuntes iterum baptizandos esse. Cyprianus vero insuper de hoc alterius synodi decreto litteras dedit ad Stephanum Romanum Ponti- 1.

ficem atque per legatos missos eiusdem decreti approbationem petivit. Atvero a Stephano petitio Cypriani repulsa est adeo, ut legatos neque reciperet, sed litteris datis praxin Africanam damnaret. Quarum litterarum fragmenta solum supersunt infra adducenda. Interim a Cypriano aliisque ecclesiae africanae praesulibus tertia de eadem re synodus habita est (a. 256.), in qua idem iterum decreverunt. Utrum vero haec synodus post acceptam Stephani epistolam celebrata sit. an vero antea, non satis constat (cf. Zeitschrift für kathol. Theologie, 1881. p. 193. ss.). Neque id satis constat, utrum Cyprianus quaestionem controversam tamquam disciplinarem an vero tamquam dogmaticam consideraverit. Etenim in epistolis suis incohaerenter et obscurius loqui videtur, cum hinc concedendam esse cuique episcopo in hac quaestione libertatem contendat, inde vero rem argumentis dogmaticis conficere studeat.

2. Eodem fere tempore in Asia minori quoque de hac quaestione disputationes ortae sunt. Quare Firmiliano episcopo Caesareensi duce ad rem componendam synodus habita est Iconii. ut scribit ipse *Firmilianus* cum quo Cyprianus epistolarum commercium habebat: „Plurimi simul convenientes in Iconio diligentissime tractavimus et confirmavimus repudiandum esse omnino baptisma, quod sit extra ecclesiam constitutum“ (Int. epist. Cypriani 75. n. 19.). Sed hoc etiam synodi Iconiensis decretum Stephanus papa reiecit simulque excommunicationem minatus est Asiae minoris episcopis, nisi resipiscerent (c. a. 253.). Denique res composita esse videtur agente Dionysio Alexandrino (Eusebius, H. E. l. 7.). Firmilianus tamen necnon ipse Cyprianus in oppositione perseverasse videntur.

3. Non multo vero post et S. Stephanus et S. Cyprianus martyrii palmam adepti sunt (a. 257. vel 258.). An vero Cyprianus ante mortem sententiam suam retractaverit et praxim suam correxerit, non satis constat. *S. Augustinus* id coniicit potius, quam historice testatur: „Correxisse istam sententiam non invenitur; non incongruenter tamen de tali viro existimandum est. quod correxerit, et forte suppressum est

ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, et tanto velut patrocinio carere noluerunt" (Ep. 93. ad Vincentium Donatistam n. 38.). Post mortem autem Cypriani, ut refert *Hieronymus*, „illi ipsi episcopi, qui rebaptizandos haereticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti novum emisere decretum" (Adv. Lucif. n. 23.).

2. De erroris Rebaptizantium in subsequenti aetate renovatione. — Donatistae etiam hunc errorem renovare et praxim rebaptizandi haereticos introducere conati sunt; contra quos S. Augustinus indefessus magno cum vigore et splendore necnon pleno cum successu doctrinam Traditionis defendit et propugnavit. Eadem fere aetate Luciferiani ordinationem ab haereticis collatam irritam esse docuerunt, baptismum autem ab haereticis collatum validum habuerunt. *Denique* medio aevo Scholastici quidam, ut Magister sententiarum (l. 4. d. 13.), censuisse videntur, ss. Eucharistiam ab haereticis publicis et ab excommunicatis confici non posse. Ex quo tempore error iste penitus disparuit vel extinctus est. 4.

3. Doctrina catholica. — Contra errores relatos omnes in praesenti thesi vindicatur doctrina catholica, secundum quam valor et efficacia sacramentorum, sicuti a probitate, ita etiam a fide ministri penitus independentes sunt. Cui doctrinae non opponitur, sacerdotes publice haereticos regulariter valide absolvere non posse, quia id non ex defectu fidei, sed ex iurisdictionis defectu provenit. Cum autem dicitur, valorem et efficaciam sacramentorum a fide ministri independentes esse, non solum fides circa alia mysteria, sed etiam fides sive habitualis sive actualis circa ipsum sacramentum conferendum intelligenda est. Documenta vero ecclesiastica, quibus haec doctrina proposita est, in ipsa demonstratione adducuntur. 5.

Demonstratio.

Quemadmodum praesens thesis cum praecedente analoga est, ita etiam demonstratio eiusdem analoga ratione procedit. 6.

1. Probatur argumento exclusionis ex natura rei et Traditione. — Valor et efficacia sacramentorum a fide ministri penderent aut quia natura potestatis ministerialis hoc postulat, aut quia Christus positive ita statuit; atqui neutrum dici potest. imo ex Traditione oppositum evincitur; ergo valor et efficacia sacramentorum a fide ministri non pendent. Maior manifesta est; minor certo probatur; et quidem:

7. *1) Fides ministri non requiritur ex natura potestatis ministerialis.* — Quae assertio *primo* hunc in modum stabilitur a *S. Thoma:* „Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est, quia minister in sacramentis instrumentaliter operatur, non agit in virtute propria, sed in virtute Christi. Sicut autem pertinet ad propriam virtutem hominis caritas, ita et fides. Unde sicut non requiritur ad perfectionem sacramenti, quod minister sit in caritate, sed possunt etiam peccatores sacramenta conferre, ut supra dictum est, ita non requiritur ad perfectionem sacramenti fides eius, sed infidelis potest verum sacramentum praebere, dummodo cetera adsint, quae sunt de necessitate sacramenti" (S. th. 3 p. q. 64. a. 9.).

8. Idem *secundo* confirmatur ex doctrina SS. Patrum, utpote qui in eodem censu habent baptismum ab haeretico vel infideli collatum, quam eum, qui ab improbo vel malo administratur, immo valorem illius ex valore huius demonstrant vel illustrant. Ita saepe *Augustinus*, ut v. g.: „Ille (Petilianus) dicit sacrilegis dicturum Dominum: *Recedite a me omnes, qui operamini iniquitatem* (Matth. 7, 23.), qui extra ecclesiam baptizant, vel daemonia eiiciunt, vel aliquas virtutes in nomine Iesu Christi operantur: nos autem dicimus, immo ipsa Veritas dicit, omnibus hoc Deum esse dicturum, qui inter ipsa unitatis retia mali pisces cum bonis usque ad litus natant. Quid enim eis aliud dicetur, cum in vasa collectis bonis, illi mali separati proiicientur, nisi: *Recedite a me, qui operamini iniquitatem?* Nec tamen in eis Christi sacramenta destruimus, cum vel tales baptizantes, vel tales baptizatos intra eadem unitatis retia agnoscimus. Ipsos quoque non arbitror tam esse impudentes, ut audeant dicere, tam multis malis et sceleratis, qui in eorum parte sunt manifestis flagitiis

et facinoribus perditi et inquinati, hoc est avaris atque raptoribus, sive truculentis foeneratoribus, sive cruentis circumcellionibus. Dominum non esse dicturum: *Recedite a me, qui operamini iniquitatem,* et tamen sciunt, vident, tenent, multos tales baptizare, multos a talibus baptizari; nec in eis Christi violant sacramentum, etiam illi, quibus displicent scelera eorum. Proinde quod sequitur et exultans (Petilianus) dicit: ‚Solvi breviter quaestionem', vere solvit eam, sed pro nobis; quandoquidem dicendo: ‚In indignis non esse dissimiles causas, baptizare, daemonia pellere, ceterasque non dissimiles fecisse virtutes, quibus dicentibus: *In nomine tuo ista fecimus.* dicturus est: *Non novi vos, recedite a me operarii iniquitatis* (Matth. 7, 22.): manifestavit tam verum esse quod baptizant baptismo Iesu Christi, etiam qui separati sunt ab ecclesia, quam verum est, quod daemonia pellunt in nomine Iesu Christi . . . Quisquis extra ecclesiam fuerit ab haereticis vel schismaticis, tamen Christi baptismate consecratus, cum ad ecclesiam venerit, non est negandum sacramentum veritatis, quo imbutus est; sed adiicienda pietas, a qua separatus est, et sine qua illud inesse illi posset, prodesse non posset. Hoc facimus, hoc a maioribus traditum accepimus, hoc in catholica ecclesia, quae toto orbe diffunditur contra omnes falsitatis nebulas custodimus" (De unico baptismo c. 14. et 15.; cf. de baptismo l. 4. c. 4.; l. 6. c. 26.; l. 7. c. 27.).

9. 2) *Fides ministri non requiritur ex positiva Christi voluntate.* — Quod Scripturam attinet, eadem hic valent, quae in priori thesi (n. 4.) adducta sunt; a Traditione vero necessitas illa fidei in ministro prorsus excluditur. Quod luculenter patet imprimis ex controversia Rebaptizantium et nominatim consideratis: *primo* decreto S. Stephani contra Rebaptizantes; *secundo*, variis testimoniis SS. Patrum hac de re; *tertio* modo agendi Cypriani ducis Rebaptizantium; *quarto* denique modo agendi Firmiliani alterius eorundem ducis: His enim omnibus satis manifesto probatur, universam ecclesiam antiquam usque ad Agrippinum habuisse consuetudinem non rebaptizandi eos, qui ab haeresi ad ecclesiam veniebant, morem autem hunc rebaptizandi saeculo tertio contra maiorum instituta invectum esse.

10. a) *Primo* igitur huc spectat *decretum S. Stephani*, utpote qui contra Rebaptizantes diserte ad traditionem provocat: „Si qui a quacunque (intellige: formam etc. sacramentorum servante) haeresi venerint ad nos, nihil innovetur (i. e. nihil circa eos de novo fiat), nisi quod traditum est, ut manus illis imponatur in poenitentiam; cum ipsi haeretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum. — Quaerendum non esse, quis sit ille, qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus fuerit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris et Filii et Spiritus Sancti. Multum proficit nomen Christi, ut quicunque et ubicunque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi. — Quod accepimus ab Apostolis hoc sequimur" (D. n. 14.). Etsi hoc decretum directe non dogmaticum sed disciplinare esse videatur, nihilominus quanti momenti sit ad antiquam ecclesiae praxin vindicandam et quaestionem decidendam facile patet. Romani enim Pontificis Petri successoris non solum est, fidei decreta condere, sed consentanee ad fidem de sacramentorum administratione decernere. Quod in decreto urgebat ipse Stephanus, ut notat Denzinger: „In eadem epistola de episcopatus sui loco gloriabatur et se successionem Petri tenere contendebat, super quem fundamenta ecclesiae collocata sunt, episcopum se esse episcoporum constituebat. Ita Cyprianus et Firmilianus" (n. 15.).

11. b) *Item* huc spectant testimonia *SS. Patrum*, qui praxin Rebaptizantium tamquam innovationem contra antiquam consuetudinem introductam exhibuerunt. Ita v. g. *scriptor libri de rebaptismate* aequalis S. Cypriani: „In quo genere quaestionis, ut mihi videtur, nulla omnino potuisset controversia aut disceptatio emergere, si unusquisque nostrum contentus venerabili ecclesiarum omnium auctoritate et necessaria humilitate nihil innovare gestiret. . . ." Etenim, „quod contra priscam et memorabilem cunctorum emeritorum sanctorum et fidelium sollemnissimam observationem iudicatur, damnari utique debet" (L. c. c. 1.). Similiter *Eusebius* fragmentum epistolae S. Dionysii Alexandrini ad Stephanum papam adducens notat, hanc

epistolam scriptam esse, „cum non mediocris controversia exorta esset, utrum eos, qui ex qualibet haeresi convertuntur, baptismo purgari oporteret. Quippe antiqua consuetudo invaluerat, ut in eiusmodi hominibus sola manuum impositio cum precationibus adhiberetur. Primus Cyprianus (?) . . . nonnisi per baptismum prius ab errore mundatos admittendos esse censuit. Verum Stephanus, nihil adversus traditionem, quae antiquitus invaluerat, innovandum ratus, id gravissime tulit“ (H. E. l. 7. c. 3.). Pariter *Hieronymus* verbis iam supra relatis: „Illi ipsi episcopi, qui rebaptizandos haereticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti novum emisere decretum“ (Adv. Lucif. n. 23.). Necnon *Augustinus*: „Nondum erat diligenter illa baptismi quaestio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat ecclesia, in ipsis quoque schismaticis corrigere, quod pravum est, non iterare, quod datum est; sanare quod vulneratum est, non curare, quod sanum est. Quam consuetudinem credo ex apostolica traditione venientem, sicut multa, quae non inveniuntur in litteris eorum neque in Conciliis posteriorum, et tamen quia per universam custodiuntur ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur; hanc ergo saluberrimam consuetudinem per Agrippinum praedecessorem suum dicit S. Cyprianus quasi coepisse corrigi. Sed sicut diligentius inquisita veritas docuit, quae post magnos dubitationis fluxus ad plenarii Concilii confirmationem perducta est, verius creditur per Agrippinum corrumpi coepisse, quam corrigi“ (De bapt. l. 2. c. 7. n. 12.).

Tandem *Vincentius Lirinensis:* „Quondam igitur vene- **12.**
rabilis memoriae Agrippinus Carthaginiensis episcopus, primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis ecclesiae regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem atque instituta maiorum rebaptizandum esse censebat. Quae praesumptio tantum mali invexit, ut non solum haereticis omnibus formam sacrilegii, sed etiam quibusdam catholicis occasionem praebuerit erroris. Cum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quoquoversum sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur, tunc

beatae memoriae Papa Stephanus apostolicae sedis antistes, cum ceteris quidem collegis suis, sed tamen prae ceteris, restitit, dignum ut opinor existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat. Denique in epistola, quae tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit: ‚Nihil innovandum, nisi quod traditum est.' Intelligebat etenim vir sanctus et prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, qua fide a patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur; nosque religionem, non qua vellemus ducere, sed potius qua illa duceret, sequi oportere; idque esse proprium christianae modestiae et gravitatis, non sua posteris tradere, sed a maioribus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique nisi usitatus et solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas" (Commonit. I. c. 6.). Denique praetermittendus non est antiquissimus omnium hac in re testis, auctor operis, ‚philosophumena', qui usum rebaptizandi sub Callisto papa (218—222) in aliquibus ecclesiis irrepsisse refert (l. 9. n. 12.): quod cum relationibus, secundum quos Agrippinus primus illius erroris auctor fuit, perfecte concordat.

13. c) Idem ostenditur *ex confessione ipsius Cypriani.* Scilicet ipsi Cypriano satis perspectum fuisse, antiquam consuetudinem vel traditionem sibi adversari, ex ipsis eius verbis non semel colligit Augustinus, ut v. g. de baptismo l. 2. c. 9.; ib. l. 3. c. 12; ib. l. 4. c. 6. Revera Cyprianus argumenta suae opinionis ex ratione theologica potissimum petiit, non ex traditione; si vero quandoque a sua sententia novitatis notam abstergere volebat, ad quod provocaret, non habuit nisi statutum Agrippini. Ita in ep. 71. refert, multos episcopos dixisse, haereticos non esse rebaptizandos et „se in hoc veterem consuetudinem sequi." Deinde in ep. 73. refert: „Apud nos non nova aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab haereticis ad ecclesiam veniunt, quando multi iam anni sint et longa aetas, ex quo sub Agrippino, bonae memoriae viro convenientes in unum episcopi plurimi hoc statuerunt." Cum igitur nullum traditionis argumentum haberet, contra consuetudinem ad rationem provocavit: „Non est de

consuetudine praescribendum, sed ratione vincendum" (Ep. 71. n. 3.). „Proinde frustra quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo maior sit veritate aut non id sit in spiritualibus sequendum, quod in melius fuerit a S. Spiritu revelatum" (Ep. 73. n. 13.). „Quae ista obstinatio est, quaeve praesumptio, humanam traditionem divinae dispositioni anteponere nec animadvertere, indignari et irasci Deum, quoties divina praecepta solvit et praeterit humana traditio" (Ep. 74.).

d) Denique idem *Firmiliani quoque confessione confir-* **14.**
matur. Hic enim dicit quidem: „Non meminimus hoc apud nos aliquando coepisse" (int. ep. Cypriani 75.); atvero simul ostendit, se huic rei non fidere, quia haec simul profert ibidem: „Quod pertinet ad consuetudinem refutandam, quam videntur opponere veritati, quis tam vanus sit, ut veritati consuetudinem praeferat, aut qui perspecta luce tenebras non derelinquat. . . . Ceterum nos veritati et consuetudinem iungimus et consuetudini Romanorum consuetudinem, sed veritatis opponimus, ab initio hoc tenentes, quod a Christo et ab Apostolis traditum est." Et revera ipsum illud Concilium Iconiense convocatum est, ut disputationes circa baptismum iterandum componeret; quod iterum idem Firmilianus in eadem epistola fatetur: „Plane, quoniam quidam de eorum baptismo dubitabant qui, etsi non ut nos prophetas recipiunt, eosdem tamen Patrem et Filium nosse nobiscum videntur, plurimi simul convenientes in Iconio, diligentissime tractavimus et confirmavimus repudiandum esse omne omnino baptisma, quod sit extra ecclesiam constitutum". Etenim si in Oriente tamquam apostolica traditio tenebatur, haereticorum baptisma nullum esse, nonnullorum dubitatio circa baptismum Montanistarum, de quibus sermo est, explicari nequit, utpote qui iam pridem haeretici et ab ecclesia separati erant.

2. Ex decretis magisterii authentici. — Trans- **15.**
acta controversia Rebaptizantium veritas catholica diserta etiam praedicatione in universa ecclesia confirmata est, ut patet ex decretis magisterii authentici. Praetermisso decreto S. Stephani iam supra adducto huc spectat imprimis decretum

Concilii Arelatensis I. a. 314. habiti: „De Afris, quod propria sua lege utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut si aliquis de haeresi venerit, interrogent eum symbolum, et si perviderint, eum in Patre et Filio et Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quodsi interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur". *Concilium Nicaenum* prohibuit, ne Cathari ad ecclesiam redeuntes iterum baptizarentur neve sacerdotes eorum iterum ordinarentur, contra vero decrevit, ut Paulianistae conversi rebaptizarentur eorumque sacerdotes iterum ordinarentur (D. n. 19. 20.). Rationem discriminis reddidit *S. Augustinus* (de haeres. c. 44.) necnon *Innocentius I.* declarans: „Quod idcirco distinctum esse ipsis duabus haeresibus ratio manifesta declarat, quia Paulianistae in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti minime baptizant et Novatiani iisdem nominibus tremendis venerandisque baptizant" (Ep. 17. ad episcopos Macedoniae. D. 63.). Idem *Innocentius I.* praescripsit, „ut venientes a Novatianis vel Montensibus per manus tantum impositionem suscipiantur, quia quamvis ab haereticis tamen in Christi nomine sunt baptizati" (Ep. 2. ad Vitricium Rotomagensem c. 4.; D. n. 62.). Item iam antea *Siricius, Liberii*, ut dicit, exemplum sequens gravissimis verbis iussit, Arianos cum Novatianis aliisque haereticis non rebaptizari, sed per solam manuum impositionem in ecclesiam recipi secundum universalem ecclesiae consuetudinem: „quod etiam totus oriens occidensque custodit" (D. 21.). Saeculo vero 4. et 5. eadem decreta a variis synodis iterum lata sunt (Cf. D. ibid.). Deinde *Leo M.* (Ep. 159. c. 7.) et *Gregorius M.* (l. 11. ep. 67.) valorem baptismi haereticorum ex usu rectae formae pendere declararunt. Similiter *Nicolaus I.* in responsis ad consulta Bulgarorum c. 10, 4.: „A quodam Iudaeo, nescitis utrum christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid de eis sit agendum consulitis. Hi profecto si in nomine S. Trinitatis vel tantum in Christi nomine sicut in actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut S. exponit Ambrosius) constat, eos non esse denuo rebaptizandos" (D. n. 264.). Pariter *Eugenius IV.*: „In causa autem necessitatis non solum

sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet ecclesiae et facere intendat, quod facit ecclesia" (Decret. pro Arm.). Denique *Concilium Tridentinum* definivit: „Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit ecclesia, non esse verum baptisma. a. s." (Sess. 7. de bapt. c. 4.).

16. ***3. Ex ratione theologica.*** — Rationes theologicae pro hac thesi valent eaedem, quae ad praecedentem confirmandam adductae sunt; quae omnes fere in principio innituntur, quod sacramenta virtutem suam non a ministris secundariis, sed a Christo principali agente derivant. Quare hoc principium iterum iterumque vindicat S. Thomas: „Quod agit in virtute alterius, non assimilat sibi patiens, sed principali agenti; non enim domus assimilatur instrumentis, quibus artifex utitur, sed arti ipsius. Ministri autem ecclesiae in sacramentis non agunt in virtute propria, sed in virtute Christi, de quo dicitur Ioan. 1, 33.: *Hic est qui baptizat*; unde et sicut instrumentum ministri agere dicuntur; minister enim est sicut instrumentum animatum. Non igitur malitia (infidelitas) ministrorum impedit, quin fideles salutem per sacramenta consequantur a Christo" (C. g. l. 4. c. 77. cf. alia argum. ibid.). Et alibi: „In forma sacramentorum non plus facit verbum a iusto quam a peccatore (infideli) prolatum, quia non operatur ibi meritum hominis, sed passio Christi et virtus Dei" (Opusc. 18. c. 3.).

Corollarium.

17. ***1. Non tantum haeretici et schismatici, sed etiam pagani vel qui plane infideles sunt, valide baptizare possunt.*** — Assertio constat ex decreto *Eugenii IV.* pro Armenis, ex responso 104. *Nicolai I.* ad consulta Bulgarorum, ex universali consensione, ex ratione theologica adducta. De hac veritate aetate S. Augustini nondum ea certitudine constabat, qua certum erat, baptismum ab hae-

reticis vel schismaticis collatum valere. Cf. *Augustinus.* c. Parmen. l. 2. c. 13.; de baptismo l. 7. c. 53.

8. ***2. Quod de baptismo, id de ceteris quoque sacramentis valet.*** — Quae assertio constat ex paritate rationis internae, ex universali consensione et praxi ecclesiae, ex testimoniis SS. Patrum necnon decretis ecclesiasticis sive in hac thesi sive in thesi de characteris sacramentalis existentia adductis. *Apparenter solum excipitur* sacramentum *poenitentiae* ab haeretico collatum, quia scilicet non ob defectum verae fidei, sed ob iurisdictionis carentiam valore destituitur. Ceterum in casu necessitatis etiam sacerdos haereticus valide absolvit iurisdictione tacite ab ecclesia concessa. *Item apparens exceptio solum est.* quod paganus sacramentum ordinis aliaque valide administrare nequit, quia id ex defectu characteris requisiti non vero ex defectu fidei provenit. Denique *iterum apparens solum exceptio esset*, si ecclesia haeresin alterius partis tamquam impedimentum irritans matrimonii statueret. Tunc enim, quia sacramentum matrimonii in ipso contractu matrimoniali continetur ideoque ipsi contrahentes eius ministri sunt, haereticus sacramentum invalide administraret; sed ratio sane non esset quia fides in ministro sacramenti requiritur, sed quia impedimento apposito contractus irritus evasit; quare etiam pars fidelis sacramentum non confert.

19. Quae cum ita sint, plane certum quidem est, etiam cetera praeter baptismum sacramenta ab haereticis collata valere; verumtamen de solo baptismo id expressa definitione statutum est. Quare sententia *Morini* (de poenit. l. 9. c. 11.) aliorumque, qui manuum impositionem in antiqua ecclesia ex haeresi redeuntibus applicatam nihil aliud fuisse contendunt, quam sacramentum confirmationis denuo collatum, non quidem haeretica esse videtur, sed tamquam falsa communi theologorum consensu merito reiicitur. Illa scilicet manuum impositio vel sacramentalis absolutio vel exterior quaedam reconciliatio erat. Quod vel ex solis his *S. Augustini* verbis patet: „Manus autem impositio. si non adhiberetur ab haeresi venienti, tamquam extra omnem culpam iudicaretur; propter caritatis autem

copulationem, quod est maximum donum Spiritus Sancti, sive quod non valent ad salutem, quaecunque alia sancta in homine fuerint, manus haereticis correctis imponitur" (De bapt. l. 5. c. 23.).

20. ***3. Sacramenta ab haereticis vel infidelibus collata non solum valida sunt, sed quandoque etiam gratiae fructum conferunt.*** — Per se quidem non licet, sacramenta ab haeretico vel infideli recipere: verum quandoque sine peccato hoc fieri potest, si scilicet suscipiens vel ignorantia vel necessitate adductus bona fide procedit; in quo casu etiam fructu gratiae non carebit. Quod patet tum ex rationibus theologicis tum ex documentis quibusdam ecclesiasticis supra iam adductis. Opponi quidem videntur aliqua SS. Patrum testimonia, ut v. g. hoc *S. Augustini* effatum: „Non ob aliud visum est quibusdam etiam egregiis viris, antistibus Christi, inter quos praecipue beatus Cyprianus eminebat non posse esse apud haereticos vel schismaticos baptismum Christi, nisi quia non distinguebatur sacramentum ab effectu vel usu sacramenti et quia eius effectus atque usus in liberatione a peccatis et cordis rectitudine apud haereticos non inveniebantur, ipsum quoque sacramentum non illic esse putabatur" (De bapt. l. 6. c. 1.). — Verum qua ratione haec et similia intelligenda sint, optime declarat *S. Thomas*: „Haereticorum quidam in collatione sacramenti formam ecclesiae non servant, et tales neque sacramentum conferunt neque rem sacramenti. Quidam vero servant ecclesiae formam et tales quidem conferunt sacramentum, sed non conferunt rem sacramenti. Et hoc dico, si sunt manifeste ab ecclesia praecisi, quia ex hoc ipso, quod aliquis accipit sacramenta ab iis, peccat et per hoc impeditur, ne effectum sacramenti consequatur" (S. th. 3. p. q. 64. a. 9. ad 2.); „nisi forte per ignorantiam excusetur" (ib. ad 3.) vel necessitatem.

21. *Notandum* hoc loco est baptismum ab haereticis huius aetatis collatum saepenumero dubium esse, quia neque de formae et materiae adhibitae integritate neque de intentione a ministro elicita securitas haberi potest.

Scholion.

22. ***1. Obiectiones solvuntur.*** — Difficultates contra doctrinam propositam tum ex traditione tum ex ratione theologica petuntur; eiusmodi autem sunt, quarum solutione veritas catholica magis illustratur et confirmatur.

1) Doctrinae statutae opponi videntur canones Apostolorum, utpote qui haec habent: „Episcopum aut presbyterum haereticorum suscipientem baptisma, damnari praecipimus. Quae enim conventio Christi ad Belial? Aut quae pars fidelis cum infideli?“ (can. 45; cf. can. 46). — *R. primo* canones illos ex constitutionibus Apostolorum et conciliis saeculi 4. collectos nunquam ab ecclesia esse approbatos ideoque magnam auctoritatem non habere; Synodus Trullana quidem, quae inter 5. et 6. synodum oecumenicam Constantinopoli habita est, eosdem canones recepit et approbavit; verum eiusdem Synodi Trullanae canones plerosque ecclesia constanter repudiavit atque paucos tantum admisit; inter approbatos autem duo obiecti nullo modo inveniuntur. *Praeterea* canon citatus orthodoxam interpretationem non excludere videtur; etenim dici potest vel damnari episcopum, qui quorumlibet haereticorum etiam formam corrumpentium baptismum recipiat vel damnari episcopum, qui haereticorum baptisma ut legitimum quoque vel licitum approbet.

23. *2) Dionysius Alexandrinus quoque opponitur, quippe qui primo de antiqua et late extensa consuetudine haereticos rebaptizandi testatur: „Didici, non ab Afris solis hunc morem nunc primum invectum esse, sed et multo antea, superiorum episcoporum temporibus, in ecclesiis populosissimis, et in conciliis apud Iconium et Synnada, et apud alios plurimos idem sancitum fuisse;“ secundo animadvertit: „Quorum sententias (episcoporum rebaptizantium) et statuta subvertere eosque ad iurgia et contentiones excitare equidem nolim“ (In ep. ad Philemon. apud Eusebium H. E. l. 7. c. 7.).* — *R. primo* Dionysius antiquitatem et latitudinem usus rebaptizandi aliquantulum exaggerat, cum nihil Iconiensi concilio antiquius afferre possit; *praeterea* quod cum episcopis rebap-

tizantibus contendere nolebat, conformitatem animi eiusdem cum illis sane non ostendit, sed animum pacis studiosum manifestat; *deinde* Dionysium ipsum baptisma admisisse Pepuzenorum vel Montanistarum testatur *Basilius* in epistola ad Amphilochium (can. 1.); *denique* Dionysium opinioni Rebaptizantium non adhaesisse inde quoque certum est, quod nec Cyprianus nec Firmilianus ad tantum suae causae patronum unquam provocarunt.

24. *3) Athanasius quoque ut adversarius doctrinae et praxis catholicae adducitur, quia scilicet baptismum ab Arianis collatum vanum. inutilem, inane baptismi christiani simulacrum esse declaravit* (cf. serm. 2. c. Arian.). — *R.* De S. Athanasii fide orthodoxa nulla potest esse dubitatio; etenim *primo* in epistola ad Ruffinum disertis verbis declarat, Arianos ad ecclesiam redeuntes non rebaptizandos, sed ad reconciliationem manus eis imponendas esse; *praeterea* considerandum est. Athanasium praesentem fuisse et magnas partes habuisse in concilio Nicaeno, cuius decreta supra citata circa sacramenta haereticorum catholicam doctrinam continent, unde prorsus improbabile est, S. doctorem sermone obiecto baptismum Arianorum voluisse haereticum declarare; *deinde* praefuit Athanasius Concilio Alexandrino anno 362. celebrato, quod decrevit, „nihil amplius exigi ab illis (Arianis ad ecclesiam redeuntibus). quam ut execrentur Arianam haeresin, confiteanturque SS. Patrum in Nicaea fidem" (cf. Labbe, t. 2. p. 812. D.): *denique* cum Athanasius aliquando exul vitam in Gallia degerit, vix ignorasse dici potest canonem 8. Concilii Arelatensis, quo doctrina catholica contra Rebaptizantes vindicata est. Itaque assertio illa de baptismo Arianorum obiecta non de valore, sed de effectu gratiae intelligenda est cum ea restrictione, quae iam supra notata est.

25. *4) Etiam Basilius doctrinae oppositae adversari videtur; etenim tum Encratitarum tum Pepuzenorum sive Montanistarum baptismum reiecit; et de illis quidem haec habet: „Ipsos in ecclesiam non admittimus nisi in nostrum baptisma fuerint baptizati. Etenim ne dicant: In Patrem et Filium et Spiritum Sanctum baptizati sumus, qui videlicet Deum*

effectorem malorum existimant, exemplo Marcionis et reliquarum haeresum“ (*Ep. 2. canonica ad Amphilochium 199. can. 47.*); *de his vero sic effatur*: „*Pepuzeni sunt aperte haeretici, nam in Spiritum Sanctum blasphemarunt Montano et Priscillae Paracleti appellationem nefarie et impudenter tribuentes . . . Qua igitur ratione eorum baptisma admittatur, cum in Patrem et Filium et Montanum aut Priscillam baptizent.‘ Non enim baptizati sunt, qui in ea, quae nobis non sunt tradita, baptizati fuere*“ (ib.). — *R.* Aliqui theologi haec interpretantes statuerunt, Basilium eos solos haereticos voluisse rebaptizari, qui corrupta forma baptismi baptizati erant. Verum falsa haec interpretatio est, ut ex ipsis verbis adductis intelligitur; atque Basilium hac in re errasse negari nequit. Sed eius sententia diversa est ab errore Cypriani et Firmiliani. Scilicet Basilius distinctione facta inter haereticos circa formam baptismi vel SS. Trinitatem errantes ex una parte et ceteros haereticos necnon schismaticos ex altera parte, horum quidem baptismum validum illorum autem invalidum esse contendit. Insuper baptisma eorum, qui fidem SS. Trinitatis vitiabant, invalidum declaravit formaliter non quia haeretici erant, sed quia perversa eorum fide de Trinitate ipsam formam vel significationem sacramenti vitiari erronee putabat. Ceterum S. Basilius rem perspectam non habebat et satis anceps haerebat; quare totius quaestionis solutionem ab aliquo concilio hunc in finem congregando exspectavit. „Quamobrem, ita concludit canonem 47, oportet episcopos plures in unum convenire, et ita demum canonem edere, ut et is, qui agit, periculo careat, et qui respondet, in dando eiusmodi quaestionibus responso, auctoritatem habeat.“ (can. 47.) Similem opinionem ac Basilius, etiam *Optatus Milevitanus* professus esse videtur. Cf. *Franzelin.* th. 15. Scholion.

6. *5) Sacramenta soli ecclesiae a Christo data sunt; ergo haeretici, utpote qui extra ecclesiam sunt, sacramenta non habent ideoque ea dare aliis non possunt. — R.* Sacramenta sunt et manent ecclesiae, etiamsi apud haereticos sint atque ab iisdem administrentur. Simili modo etiam s. Scriptura apud haereticos invenitur, quamvis proprie non iis, sed soli

ecclesiae commissa sit. Haeretici igitur sacramenta quidem habent, sed eadem non possident ut sua; quare ea administrant, ut Christi et ecclesiae sunt, atque ideo ea administrantes tamquam Christi ministri agunt.

Instant: Atqui haereticus, cum ab ecclesia separatus sit, 27.
eiusdem minister non est; ergo neque minister Christi est; quia quicunque ecclesiae non est subiectus, minister Christi esse non potest. — *R.* Haeretici ministri Christi proprie dicti quidem non sunt neque ab ecclesia specialem deputationem ad sacramentorum administrationem habent; quare neque legitime neque licite sacramenta administrant; veruntamen, quando serio sacramenta a Christo instituta conferre volunt, ipsa hac voluntate sufficienter Christo et ecclesiae subiiciuntur, ut sacramenta valide conferre possint.

Instant iterum: Atqui in solis ecclesiae membris haec pote- 28.
stas sacramenta valide conferendi invenitur, quia a Christo nonnisi Apostolis eorumque successoribus tradita est. — *R.* Christus omnibus hominibus quibuscunque potestatem dedit ad validam baptismi administrationem, dummodo in hac administratione intentione sua Christi ministros se constituant; *item* omnes Christiani ex Christi voluntate sacramentum matrimonii valide sibi administrant; *denique* potestatem cetera sacramenta valide administrandi omnibus iis dedit, qui charactere sacramentali requisito instructi sunt atque quod sacramentum poenitentiae attinet, legitima iurisdictione pollent. Iamvero haeretici quoque charactere illo sacramentali ordinis instructi esse possunt, quo charactere, qui instructi sunt, sub hoc respectu non quidem plene et legitime, sed quadantenus et imperfecte et illegitime Apostolorum successores dici possunt. Ceterum, ut supra dictum est, solis Apostolorum successoribus legitimis et perfectis potestas competit sacramenta administrandi valide simul et legitime vel licite.

Instant denique: Atqui praetermissa potestate administra- 29.
tionis haeretici et praesertim infideles intentionem saltem habere nequeunt, quae in ministris ad valorem sacramentorum requiritur: etenim qui in Christum vel ecclesiam non credit neque intentionem habere potest faciendi, quod Christus instituit vel quod

facit ecclesia. — *R.* „Potest contingere, quod aliquis patiatur defectum fidei circa aliquid, et non circa veritatem sacramenti, quod exhibet; puta si aliquis credat iuramentum esse in omni casu illicitum, et tamen credat baptismum efficaciam habere ad salutem; et sic talis infidelitas non impedit intentionem conferendi sacramentum. Si vero patiatur fidei defectum circa ipsum sacramentum, quod exhibet, licet credat, per id quod agitur exterius, nullum sequi interiorem effectum, non tamen ignorat, quod ecclesia catholica intendit per huiusmodi, quae exterius aguntur, praebere sacramentum: unde non obstante infidelitate, potest intendere facere id, quod facit ecclesia, licet existimet id nihil esse. Et talis intentio sufficit ad sacramentum; quia, sicut supra dictum est, minister sacramenti agit in persona totius ecclesiae, ex cuius fide suppletur id, quod deest fidei ministri" (S. th. 3. p. q. 64. a. 9. ad 1.; cf. in 4. d. 6. q. 1. a. 3.; q. 2. ad 1.). Immo neque necesse est, ut minister de ecclesia explicite cogitet, quia sufficit intendere aliquid, quod per identitatem obiectivam illud est, quod ecclesia facit, ut v. g.: facere illud, quod Christus instituit, vel quod Christiani secundum ritum suae religionis facere solent. Qua ratione intelligitur, etiam paganum vel prorsus infidelem habere posse intentionem, quae ad valide baptizandum sufficiat. Ita v. g. paganus a catechumeno rogatus, ut ipsi aquam in caput infundat atque formam baptismi pronuntiet simulque facere intendat, quod ipse catechumenus secundum praescripta religionis christianae recipere vult: paganus, inquam, talibus precibus annuens valide et efficaciter baptizat. Ceterum de intentione ministri in sequenti articulo accuratius agetur.

30. *6) Baptismo homines filii Dei generantur; iamvero filios Deus suscipit ex sola sponsa Christi, quae est ecclesia catholica, non vero ex communione haeretica et adultera, utpote quae a Christo separata est ideoque nonnisi prolem spuriam gignit; ergo verus et validus baptismus apud haereticos non est.* – *R.* Obiectio a priore proprie non differt, nisi quod analogia quadam involuta est. Itaque illi quoque, quibus ab haereticis baptismus confertur, secundum rei veri-

tatem ab ecclesia generantur; quia scilicet baptismo baptizantur, qui ecclesiae est et quia etiam ministri haeretici, dummodo rectam intentionem habeant, nolentes volentes tamquam instrumenta et ministri Christi et ecclesiae etsi illegitime agunt. Apposite *S. Augustinus*: „Quasi vero ex hoc generet unde separata est, et non ex hoc, unde coniuncta est. Separata est enim a vinculo caritatis et pacis, sed iuncta est in uno baptismate. Itaque est una ecclesia, quae sola catholica nominatur; et quidquid suum habet in communionibus diversorum a sua unitate separatis, per hoc quod suum in eis habet, ipsa utique generat, non illae. Neque enim separatio eorum generat, sed quod secum de ista tenuerunt: quodsi et hoc dimmittant, omnino non generant. Haec itaque in omnibus generat, cuius sacramenta retinentur, unde possit tale aliquid ubicunque generari; quamvis non omnes, quos generat, ad eius pertineant unitatem, quae usque in finem perseverantes salvabit . . . Ergo ipsa generat et per uterum suum et per uteros ancillarum, ex iisdem sacramentis, tamquam ex viri sui semine. Non enim frustra dicit Apostolus, omnia illa in figura esse gesta (1. Cor. 10. 11.). Sed qui superbiunt et legitimae matri non adiunguntur, similes sunt Ismaeli, de quo dictum est: *Eiice ancillam et filium eius; non enim haeres erit filius ancillae cum filio meo Isaac* (Gen. 21, 10.). Qui autem pacifice diligunt legitimam patris sui coniugem, cuius legitimo iure generati sunt, similes sunt filiis Iacob, quamvis de ancillis natis, sed tamen eandem haereditatem sumentibus (Ib. 33, 3.)". (De baptismo, l. 1. c. 10.).

Nota: Opponunt etiam, ordinationes ab haereticis vel **31.** schismaticos factas pluries a Romanis Pontificibus nullas et irritas declaratas esse. *R.* breviter: Romani Pontifices eas nullas et irritas declararunt spectato non valore sacramenti, sed exercitio ordinis vel honore inde in ecclesia consequente. Cf. Zeitschrift f. kathol. Theologie Ihrg. 1893. S. 193 ss. Has similesque difficultates hic prosequi non vacat, quia ad tractatus de singulis sacramentis pertinent.

32. ***2. De triplici stadio dogmatis in thesi propositi.*** — Dogma in praesenti thesi propositum egregium exemplum praebet triplicis stadii, quod in pluribus dogmatibus christianis discernere licet.

Primum est, quando aliqua veritas in revelatione quidem saltem implicite contenta adhuc minus diserta et instanti praedicatione ecclesiastica proposita est atque magis implicite in alia creditur vel etiam in praxi ecclesiastica supponitur vel involvitur. In hoc stadio dogma de valore sacramentorum ab haereticis collatorum versabatur a saeculo primo usque ad tertium, utpote qua aetate usu et consuetudine universalis ecclesiae implicitum erat. De quo stadio *S. Augustinus* verbis iam supra allatis: „Nondum enim erat diligenter illa baptismi quaestio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat ecclesia in ipsis quoque schismaticis et haereticis corrigere, quod pravum est, non iterare quod datum est, sanare quod vulneratum est, non curare quod sanum est. Quam consuetudinem credo ex apostolica traditione venientem sicut multa, quae non inveniuntur in litteris eorum, neque in conciliis posteriorum, et tamen, quia per universam custodiuntur ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur: hanc ergo saluberrimam consuetudinem per Agrippinum praedecessoremsuum dicit S. Cyprianus quasi coepisse corrigi" (De baptismo l. 2. c. 7. n. 12.).

33. *Alterum stadium* est, quando eiusmodi caput doctrinae in controversiam vocatur, ab aliquibus in dubium vocatur vel negatur, apud plures obscuratur. In quod stadium dogma, de quo agitur, ineunte saeculo tertio incidit, quando Agrippinus usum rebaptizandi haereticos introduxit; atque in eodem stadio per aliquod tempus versatum est Cypriano, Firmiliano aliisque novam, ceteris vero plerisque antiquam praxin defendentibus. Apposite iterum *Augustinus:* „Irruente itaque tam magna quaestione, cum de remissione peccatorum et de spirituali hominis regeneratione, utrum posset apud haereticos vel apud schismaticos fieri, difficile ratio redderetur, et praecederet auctoritas Agrippini et nonnullorum, qui ei consenserant, hominum in hac quaestione deficientium, qui maluerant

aliquid novum moliri, quam tenere consuetudinem, cuius defensionem non intelligebant, irruerunt in oculos animae verisimiles rationes, et intercluserunt iter pervestigandae veritatis“ (ib.).

Tertium denique stadium est, quando re per inquisitionem 34.
Spiritu Sancto dirigente ad liquidum perducta quaestio vel per sollemnem definitionem vel per universalem expressam praedicationem definita est atque iam universali expresso consensu et explicita fide tenetur. In quod stadium adducta est veritas proposita defendentibus eam doctoribus catholicis atque eandem decernentibus Stephano papa atque subsequentibus pontificibus atque conciliis, quorum decreta supra adducta sunt. Apposite iterum *Augustinus*: „Quod (i. e. rebaptizare haereticos) et consuetudo ecclesiae pristina non habebat et postea catholicus orbis terrarum robustissima firmitate consensionis exclusit; ut quod per disputationes eiusmodi in aliquorum mentes irrepere coeperat, de salute veniens unitatis potentior veritas et universalis medicina sanaret“ (Ib. l. 3. c. 2.). Huc spectat inter alia testimonia supra adducta imprimis egregium *Vincentii Lirinensis* effatum.

Articulus tertius.

De intentione ministri.

Thesis 23. Sacramentorum valor iure divino pendet ab intentione ministri id faciendi, quod facit ecclesia.

Declaratio.

1. Notio intentionis. — Intentio actus voluntatis 1.
est, quo homo ex rationis ordinatione aliquid agere vel omittere vult. „Intentio, inquit *S. Thomas*, nominat actum voluntatis praesupposita ordinatione rationis ordinantis aliquid in finem“ (S. th. 1. 2. q. 12. a. 1. ad 3.). Vel aliis verbis: Intentio est efficax voluntas per media obtinendi finem. Quare amens, dormiens, ebrius intentionem concipere nequit. Iam-

vero finis per actionem sacramentalem intendendus nullus alius est, quam ipsum sacramentum; ergo intentio ad sacramentum administrandum relata nihil aliud est, quam voluntas deliberata administrandi sacramentum. Porro, cum sacramentum essentialiter sit signum practicum a Christo institutum et instrumentum Christi, intentio sacramentum administrandi eo redit, ut minister secundarius sacramentum conficiens aliqua ratione ut minister Christi agere velit, seu ut agere velit nomine et in persona Christi principalis agentis. Quia vero hoc idem ecclesia per actionem sacramentalem fieri vult atque Christus id fieri instituit, intentio illa a theologis dicitur intentio faciendi, *quod facit ecclesia*, vel *quod Christus instituit*.

2. ***2. Sententiae haereticorum.*** — Necessitatem intentionis in ministro sacramentorum negarunt haeresiarchae saeculi 16., *Lutherus* et *Calvinus*; immo ultra procedentes contenderunt, ne id quidem in sacramentorum ministro postulari, ut serio et non ioco agat. „Non dubitem, ita *Lutherus*, si quis in nomine Domini suscipiat, etiamsi impius minister non det in nomine Domini, vere baptizatum esse in nomine Domini. Non enim in conferentis tantum, quantum in suscipientis fide vel usu sita est virtus baptismi, sicut legitur exemplum de quodam mimo per iocum baptizato" (De captivit. babyl.). Similiter *Calvinus* (Antidot. Conc. Trid. in sess. 7. c. 11.). Hic autem haereticorum error ex falsa eorundem de causalitate sacramentorum opinione logice consequitur; etenim si sacramenta tantum signa theoretica sint ad promissiones divinas ad instar doctrinae proponendas instituta, et si verba sacramentalia tantum concionalia esse dicantur ad fidem excitandam destinata, tunc sane quaevis ministri intentio prorsus superflua est; etenim sine ulla ministri intentione manet significatio ritus theoretica, quae ad excitandam fidem sufficit.

3. ***3. Doctrina catholica.*** — Alia prorsus et opposita est hac in re doctrina catholica; scilicet ex authenticis declarationibus certa atque rata sunt imprimis haec tria:

1) Sacerdos ioco absolvens nihil agit. — Quod constat ex damnatione articuli 12. *Lutheri* a Leone X facta: „Si

per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio sed ioco absolveret; si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus;" item ex doctrina et definitione *Concilii Tridentini:* „Non debet poenitens adeo sibi de sua fide blandiri, ut, etiamsi nulla illi adsit contritio, aut sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit: putet tamen se, propter suam solam fidem, vere et coram Deo esse absolutum; nec enim fides sine poenitentia remissionem ullam peccatorum praestaret; nec is esset, nisi salutis suae negligentissimus, qui sacerdotem ioco se absolventem cognosceret, et non alium, serio agentem sedulo requireret" (Sess. 14. c. 6.). „Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat, se esse absolutum; aut sacerdos non serio, sed ioco absolvat: aut dixerit, non requiri confessionem poenitentis, ut sacerdos eum absolvere possit; a. s." (can. 9. ibid.).

4. 2) *Non valet baptismus a ministro datus, qui totum quidem ritum externum observat, intus autem in animo penes se resolvit: Non intendo quod facit ecclesia.* — Quod constat ex damnatione propositionis oppositae ab *Alexandro VIII* facta; est enim haec propositio inter eas, quas hic S. P. die 7. decembr. 1690 damnavit, vicesima octava: „Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo, quod facit ecclesia."

5. *3) Ad valorem sacramentorum requiritur intentio ministri faciendi, quod facit ecclesia.* — Huc spectant plura magisterii authentici decreta. Et *primo* quidem *Innocentius III.* in professione fidei Waldensibus praescripta docet, ad ss. eucharistiae confectionem necessariam esse sacerdotis consecrantis intentionem: „Ad quod officium (eucharistiae confectionem) tria sunt, ut credimus necessaria: scilicet certa persona, id est presbyter ab episcopo, ut praediximus, ad illud proprie officium constitutus, et illa sollemnia verba, quae a SS. Patribus in canone sunt expressa, et fidelis intentio proferentis" (D. n. 370.). *Deinde Martinus V.* in concilio constantiensi san-

civit, ut in haeresis suspicionem lapsus interrogetur: „utrum credat, quod malus sacerdos cum debita materia et forma, et cum intentione faciendi, quod facit ecclesia, vere conficiat, vere absolvat, vere baptizet, vere conferat alia sacramenta“ (D. n. 566.). Item *Eugenius IV.* in decreto pro Armenis statuit: „Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conficientis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit ecclesia“ (D. n. 590.). Tandem *Concilium Tridentinum* definivit: „Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit ecclesia: a. s.“ (Sess. 7. de sacram. in gen. can. 11. cf. D. 735.); et: „Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit ecclesia, non esse verum baptismum; a. s.“ (Ib. de baptismo can. 4., cf. D. n. 741.).

6. *Nota.* Cum doctrina catholica congruit doctrina symbolica graecorum schismaticorum; etenim in synodo hierosolymitana sub Dositheo patriarcha habita decretum latum est, quo anathema dicitur iis, qui negaverint, episcopis et sacerdotibus sacramenta conficientibus „necessariam esse intentionem saltem generalem faciendi, quod facit ecclesia“ et in qu. 101. orthodoxae confessionis orientalis legitur, ad valorem sacramenti necessariam esse „fixam et determinatam ministri intentionem.“

7. Iam in praesenti articulo haec doctrina catholica de intentione ministri demonstranda et explicanda est; qua ratione ostenditur, quid in ministro ad valorem sacramentorum requiratur, cum in praecedenti ostensum sit, quid non requiratur. Tota vero de intentione tractatio sic recto ordine absolvitur, ut primo demonstretur generatim intentionem ministri esse necessariam, secundo explicetur, qualis ea intentio esse debeat spectata subiective vel prae subiecto, tertio qualis spectata obiective vel prae obiecto esse debeat determinetur. Iam in praesenti thesi primum, in sequenti vero secundum praestatur: tertium denique in reliquis huius quaestionis thesibus absolvitur.

Demonstratio.

8. ***1. Probatur ex ratione potestatis ministerialis.*** — Homo in sacramentis administrandis non agit nomine proprio, sed personam Christi gerit atque ipsius nomine et auctoritate operatur. Quod ex ipsa Scriptura luculenter constat. Huc spectant plura testimonia: „*Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*“ (*Matth. 28. 18. 19.*). „*Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*“ (*Ioh. 20. 21—23).* „*Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*“ (*1. Cor. 4, 1.*). „*Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum et dedit nobis ministerium reconciliationis; quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum et ponit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo: reconciliamini Deo*“ (*2. Cor., 5, 18—20.*). „*Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros ecclesiae, et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum*“ (*Iacob. 5, 14. 15.*). „*Hoc facite in meam commemorationem*“ (*Luc. 22, 19. coll. 1. Cor. 11., 24. 25.*) *Exsurge et baptizare et ablue peccata tua invocato nomine ipsius*“ (*Act. 22, 16.*). Quare *S. Augustinus* declarat: „Hic (Christus) est, qui baptizat in Spiritu Sancto, nec sicut Petilianus dicit, iam baptizare cessavit, sed adhuc id agit, non ministerio corporis. sed invisibili opere maiestatis“ (Cont. lit. Petiliani l. 3. c. 49.). — Itaque ex doctrina revelata certum est, hominem cum administrat sacramenta, ut ministrum Christi agere; iamvero agere ut ministrum Christi duo dicit: primo habere potestatem a Christo acceptam; secundo uti velle hac potestate sive agere nomine Christi; atqui non vult

hac potestate uti vel non agit nomine Christi ille, qui voluntatem suam voluntati Christi principalis agentis intentione non subdit; talis enim homo proprio nomine sive ut persona sui iuris, non vero ut una cum Christo persona moralis agit; ergo. Apposite *S. Thomas*: „Instrumentum inanimatum non habet aliquam intentionem respectu effectus, sed loco intentionis est motus, quo movetur a principali agente. Sed instrumentum animatum sicut minister, non solum movetur, sed etiam quodammodo movet seipsum, in quantum sua voluntate movet membra ad operandum; et ideo requiritur eius intentio, qua se subiiciat principali agenti, ut scilicet intendat facere, quod facit Christus et ecclesia" (S. th. 3. p. q. 64. a. 8. ad 1.).

9. ***2. Ex natura signorum sacramentalium.*** — Sacramentales ritus non ex natura sua, sed ex sola institutione Christi habent, quod signa practica effectuum supernaturalium sunt. Quare etiam supposita hac Christi institutione nihilominus idonea adhuc manent ad alios effectus significandos vel ad certos usus a quacunque significatione alienos. Ita v. g. ritus baptismi adhiberi posset ad significationem mere historicam, ad mimicam repraesentationem, ad solum effectum corporalis ablutionis, ad merum ludum. Ergo ritus ille materialiter spectatus in se indifferens est ad plura, ideoque ad unum determinari debet, id est: per vim institutionis Christi ad ipsum pervenientem signum practicum gratiae fieri debet. Iamvero vis institutionis Christi non per aliud ad ritum sacramentalem pervenit, nisi per voluntatem ministri, qua intendit non ludere, non mimice repraesentare, non historice referre vel significare, sed facere, quod Christus instituit, vel quod ecclesia facit. Ad rem iterum *S. Thomas*: „Quando aliquid se habet ad multa, oportet, quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Ea vero, quae in sacramentis aguntur, possunt diversimode agi, sicut ablutio aquae, quae fit in baptismo, potest ordinari ad munditiam corporalem, et ad sanitatem corporalem, et ad ludum et ad multa alia huiusmodi; et ideo oportet, quod determinetur ad

unum, id est, ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis.“ (Ibid. in corp.)

10. ***3. Ex absurdis, quae ex sententia proposita consequuntur.*** — „Sequeretur enim: *primo*, quod mater vel ancilla baptizaret infantem, quem in balneo lavat a sordibus sub invocatione SS. Trinitatis, qua felix et fausta sit infanti ablutio corporis; *secundo*, quod sacerdos ad mensam verba consecrationis ex Scriptura sacra legens consecraret omnem in mensa praesentem panem; *tertio*, quod rebaptizaret, qui in theatro ageret personam Silvestri Pontificis Constantinum M., aut quicunque alius a Silvestro fuerit, baptizantis“ (Wirceb. n. 169). Addi potest, quod valide consecraret neosacerdos ritum s. missae exercens et ita porro. Atqui haec omnia plane ridicula atque perabsurda sunt. Ergo.

11. ***4. Ex auctoritate.*** — Quod ex Scriptura simul et ratione theologica deductum est, via auctoritatis quoque plane constat. Huc pertinent *primo* decreta authentica supra adducta. *Secundo* haec fuit communis fides in antiqua quoque ecclesia. Aliis pluribus documentis praetermissis huc spectat S. Cornelii Romani Pontificis ad Fabium Antiochenae ecclesiae Patriarcham epistola, in qua haec refert: „Mirabilem quandam, frater carissime, conversionem in eo (Novato) mutationemque brevi temporis articulo factam conspeximus. Nam egregius ille vir, qui tremendis quibusdam sacramentis affirmaverat se episcopatum non concupiscere, repente tamquam ex machina quadam in medium proiectus, episcopus apparuit. Et is, qui se doctorem et ecclesiasticae disciplinae propugnatorem ferebat, cum episcopatum sibi a Deo minime concessum rapere ac vindicare conaretur, duos deploratae salutis homines sibi socios adiunxit, ut eos in exiguam ac vilissimam Italiae partem mitteret atque illinc accitos tres episcopos, homines plane rudes ac simplices, fraudulenta quadam molitione deciperet; constantissime affirmans ipsos quamprimum Romam proficisci oportere, ut omnis undecunque orta discordia, ipsorum una cum aliis episcopis interventu atque arbitrio sedaretur. Qui cum advenissent, homines, ut iam diximus, simplicioris ingenii, nec in his perditorum hominum

artibus ac fallaciis satis triti: eos ille a quibusdam sui simillimis, quos ad id comparaverat, inclusos hora decima, temulentos et crapula oppressos, adumbrata quadam et inani manuum impositione episcopatum sibi tradere per vim cogit; eumque nullo sibi iure competentem per fraudem atque insidias vindicat" (Apud Eusebium, H. E. l. 6. c. 43.). *Tertio* haec est communis theologorum sententia. S. Thoma supra iam adducto, audiatur etiam *S. Bonaventura:* „Ad sacramentum necessaria est intentio et institutio. Ad hoc enim, quod sit sacramentum, necesse est, quod forma et elementum ad unum ordinentur; hoc autem non est ex se, cum forma et elementum indifferentia sint ad multa; ideo supervenit institutio Christi, quae formam et elementum ordinavit ad aliquem effectum determinatum et signatum. Sed tamen institutio, etsi verba ordinavit ad unum, non tamen arctavit, quia ad alios usus possunt sumi et sumuntur, et ideo ad hoc, quod ordinentur, necessarium est intervenire intentionem ministri, qua intendit illo actu et verbo talem effectum dare, vel saltem quod facit ecclesia facere, vel saltem quod Christus instituit dispensare; alioquin verbum et elementum ut disiuncta, vel ad aliud iuncta talem effectum non faciunt" (In 4. d. 6. q. 2. a. 20. q. 1.).

Scholion.

12. ***Obiectiones solvuntur.*** — Ex obiectionibus, quas Protestantes aliique doctrinae catholicae adversarii congesserunt, aliquae solum considerationem merentur, quarum solutio ad instar normae esse potest pro solutione aliarum.

1) S. Chrysostomus doctrinae propositae adversatur, utpote qui haec habet: „*Neque angelus, neque archangelus quidquam in his, quae a Deo data sunt, efficiunt; sed Pater et Filius et Spiritus Sanctus omnia facit. Sacerdos et linguam et manus praebet: neque enim iustum est, propter alterius malitiam ad salutis nostrae symbola fide accedentes offendi.*" *(Hom. 86. in Ioh. n. 4.) Ergo ex mente S. Doctoris nihil aliud praeter illam externam operam ideoque neque intentio*

ad veritatem sacramenti requiritur. — *R.*: Primo verba relata ad praesentem quaestionem non spectant; nam Chrysostomus ibi solum exponit, improbitatem ministri valori et efficaciae sacramenti non obstare, cum haec a solo Deo sit. *Neque* quod minister solum linguam et manum praebere dicitur, ullo modo intentionem excludit, quia intelligi potest, ministrum humano modo i. e. cum deliberatione et intentione eas praebere. *Immo* S. Doctor ita intelligi debet, quia ibidem sacerdotem ministrum cum legatis principum comparat; quemadmodum igitur horum actus in amentia vel sine deliberatione et intentione positi validi non sunt, ita etiam sacramentum sine intentione collatum valore destitutum est.

2) Neque S. Augustinus intentionem ministri ad sacra- **13.**
mentorum valorem postulat. Etenim sic declarat: „Non timeo adulterum, non ebrium, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: Hic est, qui baptizat (In Ioh. tract. 5. n. 8.); iamvero ebrius nullam intentionem habere potest; quare ex mente S. Augustini intentio ministri ad valorem sacramentorum non requiritur. Praeterea sacramenta comparat cum semine, quod satorem quidem flagitet, sed nullo modo pendeat, sive „a mente qua ille operetur, sive ab intentione, qua laboret“ (Cont. Crescon. l. 3. c. 8.). Denique iterum alibi S. Augustinus affirmat, baptismum repetendum non esse, si fallaciter et simulate susceptus et datus sit; utrum vero ioco collatus valeat, anceps haeret: „Ubi autem ludicre et mimice et ioculariter ageretur, utrum approbandus esset talis baptismus, qui sic daretur, divinum iudicium per alicuius revelationis oraculum, concordi oratione et impensis supplici devotione gemitibus implorandum esse censerem.“ (De baptismo l. 7. c. 53.) — *R.: Primum testimonium* obiectum manifesto praeter rem est, quia Augustinus ebrietatem notat, quatenus ministri probitati oponitur, non vero quatenus intentionem impedit; etenim eam cum aliis vitiis moralibus enumerat, quae intentionem non impediunt, neque de ebrietate actuali, quae intentionem impedit, sed de ebrietate, ut est habituale vitium loquitur, quae intentioni non obstat.

Quare in emendatioribus codicibus melius *ebriosus* quam *ebrius* legitur.

14. Neque in *altero testimonio* Augustinus de ministri intentione agit, sed iterum quaestionem de probitate eiusdem tractat. Itaque valorem et efficaciam sacramenti non probitate vel improbitate, a sensis bonis vel malis et impiis pendere statuit; etenim termino *intentionis* non intentionem proprie dictam, sed motiva, ex quibus minister agit, necnon finem, quem prosequitur, manifesto intelligit. Quae doctrina sane orthodoxa et catholica est.

15. Denique *tertium testimonium* obiectum difficilius quidem est, sed neque ipsum doctrinae catholicae directe adversari certum est. Etenim *primo* S. Augustinus eodem illo loco catholicum principium inculcat, standum esse etiam hac in re iudicio ab ecclesia lato vel ferendo: „Sed nobis tutum est, in ea non progredi aliqua temeritate sententiae, quae nullo in catholico regionali concilio coepta, nullo plenario terminata sunt: id autem fiducia securae veritatis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri et Salvatoris Iesu Christi universalis ecclesiae consensione roboratum est.“ Etsi igitur Augustinus pro sua privata persona dubitaverit vel etiam erraverit in aliqua quaestione huc spectante nondum lato authentico ecclesiae iudicio, nihilominus ex mente Augustini iudicium ecclesiae authenticum postea latum absolute sequendum est. *Secundo* quando Augustinus validum esse declarat baptismum fallaciter vel simulate datum et acceptum (igitur ex parte ministri et subiecti fallacem vel simulatum), fallaciam vel simulationem intelligit non intentionis, sed fidei. Scilicet fallacem vel simulantem Augustinus eum dicit, qui simulat se habere rectam fidem de veritate et virtute sacramentorum, cum reipsa hanc fidem non habeat. Eiusmodi autem fallacia vel simulatio rectam intentionem non necessario impedit. Revera autem Augustinum sic intelligendum esse, tum ex eo patet, quod tota inter ipsum et Donatistas disputatio non de intentione sed de fide ministri erat, tum ex contextu constat, quia fallaciam rectae fidei et fallaces veracibus sive recte credentibus opponit atque nihil prorsus de intentione loquitur.

Tertio quando Augustinus se dubium haerere declarat de valore baptismi ludicre et mimice et ioculariter collati, non satis clarum nec certum est, circa quid praecise dubius haeserit, utrum scilicet dubium versatum sit circa valorem baptismi ludicre i. e. sine intentione collati et accepti, an vero dubitaverit, num recta intentio adesse possit in ministro et subiecto sacramenti, quando totum ludicre peragitur. Multo probabilius S. Augustini dubitatio circa hoc versata esse videtur, num aliquis, qui omni fide destitutus est et sub hoc respectu sive baptismum administrans sive recipiens nonnisi ludicre et mimice et ioculariter agere potest, debitam intentionem habere possit. Quae cum ita sint, manifestum est, S. Augustinum catholicae doctrinae nullo modo adversari.

16. *4) Deinde facta quoque historica quaedam doctrinae catholicae opponuntur, ut baptismus ab Athanasio puero aliis pueris inter ludendum datus et ab Alexandro episcopo ratus habitus; baptismus Genesio histrioni ab alio histrione in theatro mimice administratus, qui etiam ratus habitus esse videtur; baptismus denique a Dioscoro archiatro ficto animo susceptus et nihilominus tamquam validus agnitus, quia Augustino teste (ep. 227. ad Alypium) sola poenitentia ab eo omnis nugacitas deleta sit.“* — *R. Primum factum* etsi a Sozomeno, Socrate, Rufino refertur et secundum quod primus Ado Viennensis (saec. 9.) in suo martyrologio narrat, historica veritate carere videntur. Etsi autem vera sint neque tunc cum doctrina catholica pugnant. Etenim quod Athanasium attinet, recte dici potest, eum quidem lusus gratia, seria tamen intentione baptismum impertitum esse. Scilicet dupliciter aliquid per iocum fieri potest: aut enim animus adest vere rem efficiendi, quamvis externus finis animi oblectatio vel iocus sit, atque eiusmodi intentio iocose agendi interno fini ideoque valori sacramenti non opponitur; aut vero animus adest simulandi, atque eiusmodi intentio sacramentum nullum reddit. Iamvero supposita veritate facti nihil impedit, quominus dicatur, Athanasium primo modo processisse — *Secundum quoque factum,* si tamquam genuinum recipiatur, cum doctrina catholica non pugnat. Baptismus enim Genesii nullo

modo validus esse asseritur; neque Genesius ob baptismum aquae, sed ob baptismum sanguinis inter Sanctos recensetur. — *Tertium factum* ad praesentem quaestionem non spectat, sed potius subiecti sacramentorum intentionem respicit. Verum neque hac spectata difficultatem facit. Etenim Dioscorus quidem libere et valide in sollemnitate paschali baptismum suscepit, fide tamen sincera imbutus non erat. Postea autem poena divinitus inflicta resipuit atque tunc „ab eo omnis nugacitas deleta est", qua, quamvis baptismo initiatus esset, religioni christianae insultans peccare solebat.

17. 5) *Ratio quoque doctrinae statutae opponitur. Scilicet legatus principis vel reipublicae officium suum implet sola epistola principis ostensione, sive intrinsecus voluntatem suam principi subdit sive non; ergo pari ratione minister Christi officium suum implet et signum sacramentale valide ponit, quin voluntatem suam Christo subdat sive intentionem eliciat.* — *R. d.* anteced.: Legatus, cuius officium tantum est, aliquid nuntiare *c.*; legatus, cuius est ex officio et potestate ministeriali conferre aliquod ius vel aliquid donare *n.* Exemplis quibusdam res manifesta est: Nemo sane obedire tenetur officiali ebrio; neque qui personam legati in theatro agit, iura conferre censetur; neque regulariter iudex ille ius facit, qui materialiter solum atque ad illusionem vel simulationem sententiam iudicialem pronuntiat, atque animo intrinsecus statuit, se potestate iudiciali uti nolle. Aliquando quidem accidere potest, ut eiusmodi sententia iudicialis valorem iuridicum accipiat ex lege universali, quae bono communi providet; atvero in tali casu sententia iudicialis non per se, sed per accidens vel per aliud valida est. Ceterum si constare potest, aliquem legatum vel iudicem simulare, eius sententia postea irritari solet. Similis autem casus quoad sacramenta accidere nequit; quia eiusmodi lex communis supplens intentionis defectum, non exstat.

18. 6) *Denique etiam hoc loco ratio illa urgeri posse videtur, qua supra necessitas sanctitatis in ministro exclusa est. Etenim cum non minus intentio quam sanctitas in ministro deficere facile posse videatur, item scrupulorum, dubitationis,*

anxietatis circa valorem sacramentorum, immo propter sacramentum ordinis circa legitimam Romani Pontificis et episcoporum successionem nullus iam finis futurus esset; ergo intentio non magis quam sanctitas ad validam sacramentorum administrationem in ministro requiri posse videtur. — R. n. paritatem. Revera disparitas manifesta est; cum enim sanctitas ministro facile et frequenter deesse possit, intentio nonnisi rarissime deesse potest, cum ad respuendam intentionem in sacramentorum administrationem nullum neque apparens bonum, sed tantum diabolica fere perversitas et malitia allicere possit. *Praeterea* aeque facile vel facilius ac defectus intentionis etiam materiae et formae defectus accidere potest; nemo tamen ideo integritatem materiae et formae ad valorem sacramentorum necessariam esse negat. Ergo propter eandem causam neque intentionis necessitas negari potest. Ceterum non est absonum neque nocivum, aliquam incertitudinem in sacramentorum administratione inveniri; quare ad divinam providentiam recurrendum eique res commendanda est; utpote quae providet, ne aliena culpa quicunque alius homo salutis remedia amittat et praesertim, ne ecclesia deficiat.

Thesis 24. Intentio in ministro requisita, si spectatur prae subiecto, neque intentio interpretativa neque habitualis sufficit; actualis vero non requiritur, sed virtualis sufficit.

Declaratio.

De divisione intentionis subiective spectatae. 1. — Intentio duplici modo spectari potest; primo subiective vel prae subiecto, considerando scilicet modum, quo in subiecto est; secundo obiective vel prae obiecto, considerando modum, quo ad obiectum volitum se habet, sive considerando rationem, sub qua obiectum volitum attingat. Iam in praesenti thesi intentio ministri primo modo spectata inquirenda est. Porro intentio subiective spectata est aut actualis aut virtualis aut habitualis aut interpretativa. *Intentio* autem *actualis* est ipse actus voluntatis, qui secundum seipsum et actualiter physice

in ministro existit, dum idem sacramentum conficit et cum advertentia id agere expresse vult. *Intentio virtualis* illa esse definitur, quae ante executionem operis elicita est et in seipsa non iam existit, virtute tamen ita permanet, ut vi talis intentionis antea habitae opus ponatur. Ita sacerdos ante missam solum eliciens intentionem consecrandi, deinde vestibus sacris se induens, pergens ad altare, tandem verba consecrationis pronuntians intentionem virtualem habet, etsi inter missam ipsam, immo etiam consecrationem distractus sit adeo, ut de intentione antea elicita neque cogitet explicite; etenim actus illi omnes vi intentionis antea elicitae ponuntur. Ceterum haec notio communiter tradita, in qua obscuritas vel difficultas aliqua inveniri possit, infra magis dilucidabitur. *Intentio habitualis* ea dicitur, quae ante opus elicita neque postea retractata est, in effectum autem ipsum nullo modo influit. Denique *intentio interpretativa* ea est, quam homo nec habet nec habuit, sed haberet, si obiectum, de quo agitur, mente adverteret.

Iam his de divisione intentionis subiective spectatae praemissis, thesis secundum diversas assertiones, quas continet, distinctim facile probatur.

Demonstratio.

2. ***1. Non sufficit intentio interpretativa.*** — Etenim, ut ex praecedenti thesi constat, in ministro sacramentorum ad valorem eorundem ea intentio requiritur, qua actio sacramentalis nomine Christi sive ecclesiae tamquam actus humanus ponatur; iamvero intentio interpretativa eiusmodi indolis sane non est, quia actus seu etiam ens nec est nec fuit, sed solum fuisset, si eius cogitatio incidisset; atqui quod eiusmodi est, in actionem sacramentalem evidenter non influit neque igitur efficere potest, ut eadem nomine Christi vel ecclesiae tamquam actus humanus ponatur. Ergo.

3. ***2. Neque sufficit intentio habitualis.*** — Nam *primo* cum haec intentio neque in se neque in virtute aliqua relicta existat, nulla ratione in actionem sacramentalem in-

fluere potest, ut scilicet tamquam actus humanus nomine et auctoritate Christi ponatur. *Praeterea* haec intentio in ebrio, dormiente, amente esse potest; iamvero nemo hominem in tali statu positum tamquam validum sacramenti ministrum considerat; quare sacramenta ab eiusmodi homine collata nunquam tamquam valida considerata sunt. Ergo.

3. Intentio actualis quidem optima et sufficientissima est, neque tamen ad valorem sacramentorum requiritur. — *Ratio primi* est, quia melior intentio, quam actualis haberi nequit ideoque nulla alia est, quae adeo institutioni Christi respondeat atque sacramentorum dignitati consulat. *Neque tamen ea intentio necessaria est ad valorem sacramenti.* Ratio est *primo*, quia universalis et perpetua necessitas talis intentionis vires animi humani excedit, utpote qui ex natura sua ad distractiones proclivis est adeo, ut eas diutius evitare moraliter saltem non possit. *Secundo*, si intentio actualis necessaria esset, nimis anxia et difficilis et odiosa evaderet sacramentorum administratio ita, ut vix ullus tale onus iam suscipere vellet; iamvero institutio, ex qua eiusmodi intolerabile onus cum detrimento salutis hominum consequeretur, cum sapientia et bonitate Christi prorsus pugnat. Quare *tertio* nulla lex invenitur intentionem actualem ministro praescribens. Unde *quarto* unanimi theologorum sententia necessitas actualis intentionis excluditur. *Quinto* denique ex ipsa rei natura idem patet. Etenim manifestum est, ministrum sacramenti posse efficaciter vel intentione in opus influente intendere facere, quod facit ecclesia, quin haec intentio in ipsa actionis sacramentalis positione ministro agenti in se formaliter et expresse praesens sit; quod in sequentibus adhuc magis patebit. Ergo intentio actualis ad valorem sacramenti non requiritur. 4.

4. Intentio virtualis ad sacramentorum valorem sufficit. — Assertio *primo* constat argumento exclusionis. Etenim intentio prae subiecto spectata alia esse non potest, nisi aut actualis aut habitualis aut interpretativa aut virtualis; atqui habitualis et interpretativa non sufficiunt, actualis autem non requiritur; ergo intentio virtualis sufficit atque ea saltem 5.

adesse debet. *Secundo* intentione virtuali, utpote quae reipsa in actionem sacramentalem influit, id efficitur, ut minister non suo sed Christi nomine agat; quare ea intentione existente administratio sacramenti rationem operationis ministerialis habet; atqui nihil aliud ad valorem sacramenti requiritur; ergo. *Confirmatur,* quia intentio virtualis etiam in legato negotia nomine regis tractante ad effectum iuridicum producendum sufficere ab omnibus agnoscitur; atque merito profecto, cum ex communi persuasione quaevis negotia iuridica, ut contractus et similia, necnon orationes et vota per intentionem virtualem libere, humano modo, valide faciamus; Christus autem homini sacramenta humano atque rationabili modo administranda commisit; ergo.

Scholion.

6. ***Difficultates quaedam solvuntur.*** — Praetermissis pluribus obiectionibus, quas aliqui congesserunt, eae solum hoc loco afferuntur, quarum solutio ad rem magis dilucidandam confert:

1) Intentio habitualis sufficit ad sacrificium missae alteri applicandum; etenim sacrificium missae cras vel postea celebrandum hodie intentione elicita valide alicui applicatur, etsi haec intentio nullo modo perseveret neque renovetur ideoque in ipsam oblationem sacrificii non influat. Ergo a pari intentio habitualis ad validam sacramentorum administrationem sufficit. — *R. n.* paritatem. Etenim applicatio missae in ipsam celebrationem eiusdem nec influit nec influere debet, quia nihil est nisi donatio fructus missae; eiusmodi enim donatio semel facta et non retractata perseverat et etiam de re futura valet.

7. 2) *Ipse S. Thomas asserere videtur, intentionem habitualem ministri ad sacramentorum valorem sufficere, utpote qui haec habet: „Licet ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen habitualem, quae sufficit ad perfectionem sacramenti; puta si, cum sacerdos accedit ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum, quod*

facit ecclesia; unde si postea in ipso exercitio actus cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute primae intentionis perficitur sacramentum" (S. th. 3. p. q. 64. a. 8. ad 3.). — *R.* S. Thomas per habitualem intentionem manifesto intelligit eam, quam nunc virtualem dicimus, ut ex ipso contextu satis manifestum est; etenim de intentione loquitur, quae antea quidem elicita sed nunc virtute perseverans actu in positionem sacramenti influit. *Generatim hic notandum est* S. Thomam aliosque antiquiores Scholasticos bimembrem solum distinctionem intentionis subiective spectatae facere; scilicet actualem et habitualem sibi opponunt per habitualem eam praecise intelligentes, quam nos virtualem appellamus (cf. S. Thomas, in 4. d. 6. q. 1. a. 2. ad 4.). Neque immerito ita procedunt, quia interpretativa intentio secundum rei veritatem nulla est, habitualis autem ea, quae nunc ita appellatur in opus ponendum nullo modo influit. Secundum vero membrum merito habitualis dici potest, quia haec intentio elicita habitualiter permanet secundum virtutem, qua influit. Verum melior etiam huius appellationis ratio in sequentibus exhibetur.

8. *3) Neque intentio virtualis in administrationem sacramenti influere videtur; ergo neque ipsa ad valorem sacramenti certo sufficit. Antecedens probatur. Etenim intentio virtualis, ut supra definitum est, in ipsa administratione sacramenti iam non existit, sed ante eam elicita est; atqui quod in administratione sacramenti non iam existit, in eam sane influere non potest; ergo. Neque dici potest, ab intentione actuali praeterita relictam esse aliquam virtutem, qua in administrationem sacramentorum influat; etenim virtus illa relicta aut phantasiae aut appetitus sensitivi actus est: atqui neutrum dici potest, quia phantasia et appetitus sensitivus vel in dormiente et ebrio necnon in amente sunt neque ideo actionem sacramentalem dirigere tamen possunt, ut humano modo fiat. Ergo intentio virtualis ad validam sacramentorum administrationem non sufficit.* — *R.* Obiectio, ut patet, ex definitione intentionis virtualis supra traditae procedit atque gravis esse videtur; nihilominus eadem definitione in rectum sensum explicata satis commode solvitur. Itaque intentio vir-

tualis dicit quidem actum voluntatis non praesentem, sed praeteritum, quatenus de actu expresso, plene deliberato et conscientia clare apprehenso sermo est; simul autem dicit eundem actum voluntatis vel alium ex eo consequentem remissum quidem et minus deliberatum atque conscientia minus clare apprehensum, attamen actualiter omnino praesentem; atque hic actus voluntatis actualiter praesens, qui magis remissus est atque in remissa et obscura vel confusa cognitione intellectus initur, illa virtus est, secundum quam prior intentio magis expressa et deliberata perseverare atque in actionem sacramentalem influere dicitur.

9. *Hac vero ratione generatim intentionem virtualem explicandam esse,* certum esse videtur. „Si enim hi actus intellectus et voluntatis non admittantur, explicari non poterit, quomodo ab intentione praeterita procedant actiones externae, quae saepe et multae et perquam diversae sunt, ut, quomodo ab actu illo primo sive intentione, qua sacerdos celebrare intendit, procedat, quod se conferat ad sacristiam, sacris se vestibus induat, recitet varias orationes, alias quidem ex praescripto sono altiore, alias submisso: exerceat caeremonias tam diversas, licet etiam non raro distractus; ergo dicti actus necessario admitti debent; non enim in has actiones prior intentio influere immediate potest, cum in se non existat amplius, nec appareat, quomodo per imaginationem solam et imperium appetitus sensitivi influat" (Wirceb. n. 187.).

10. *Hinc autem tria patent: Primo* intentio virtualis simul cum magna distractione perseverare potest, quia scilicet distractio et eiusmodi actus remissi intellectus et voluntatis in eodem homine se non excludunt. *Secundo* intentio virtualis etiam ipsa proprie actualis est, quamvis ab ea, quae per excellentiam actualis dici solet, satis differat. Scilicet haec dicit actum voluntatis praesentem expressum, plene deliberatum, conscientia clare apprehensum; illa vero actum voluntatis praesentem remissum, minus deliberatum, conscientia confuse vel obscure apprehensum nominat. *Tertio* etiam homo cum intentione virtuali agens humano modo agit ideoque eiusmodi intentio ad actionem sacramentalem vel ministerialem sufficit.

Thesis 25. **Si obiectum, quod intendi debet, spectatur, ea ministri intentio non sufficit, quae externa dici solet.**

Declaratio.

1. De divisione intentionis obiective spectatae. 1. — Si de obiecto intentionis ministri quaeratur, in genere quidem dici potest, intentionem ministri ferri debere in id, quod facit ecclesia vel quod Christus instituit, ut formula theologorum habet. Cum autem hoc ipsum, sc. quod ecclesia facit, adhuc satis indeterminatum sit, quia in eo, quod ecclesia facit, plura distingui possunt, varia intentio quoque obiectiva discernitur. *Prima est,* quae in ritum externum praecise secundum se ac materialiter spectatum fertur. *Secunda* in eundem ritum fertur, quatenus ab ecclesia vel fidelibus ut sacer et religiosus habetur. *Tertia* eundem ritum externum attingit, prout ex ipsius ministri persuasione vel fide religiosus et sacer est. *Quarta* ritum eundem intendit, quatenus gratiae vel aliorum effectuum supernaturalium productivus est. — *Praeterea* intentio non tantum diversa est pro diversitate eorum, in quae tendit, sed etiam pro diversitate modi, quo in obiectum tendit, diversa discernitur. Videlicet primo est aut *absoluta* i. e. talis, quae ex modo tendendi in obiectum fertur sine ulla limitatione et restrictione, aut est *conditionata* i. e. talis, quae in obiectum cum restrictione aliqua fertur. Secundo est aut *directa,* prout scilicet aliquid directe in se intenditur, aut est *indirecta*, qua quis aliquid in causa vult vel in alio, quocum nexum quidem, non vero obiective identicum est, ut cum quis potum lautiorem vult, ex quo ebrietas consequitur et ex ebrietate falsum iuramentum. Denique tertio est aut *determinata*, quae circa determinatam materiam versatur, aut *indeterminata,* quae determinatam materiam non attingit.

Iam quaeritur, qualis intentio obiective spectata in ministro ad sacramentorum valorem requiratur et sufficiat. Et primo quidem in corpore praesentis thesis de intentione externa agitur, quam *Catharinus* aliique quidem sufficere pro- 2.

pugnarunt, reipsa autem non sufficere certum est. In corollario adiecto autem de intentionibus quibusdam agitur, quae quidem sufficiunt, non autem requiruntur.

3. ***De opinione Catharini aliorumque.*** — *Ambrosius Catharinus* in libello: „De necessaria intentione in sacramentis perficiendis", opinionem propugnavit, sufficere intentionem serio peragendi ritum externum, ita ut hac intentione posita nulla interna et latens ministri intentio valori sacramentorum opponatur. Cui opinioni prolusisse videntur antiquiores quidam theologi, ut *Petrus Paludanus,* qui eandem ut probabilem refert, simul vero notat, oppositam doctrinam „ut communiorem et tutiorem esse tenendam" (In 4. d. 6. q. 2.): necnon *Aureolus,* qui docet ad baptismi valorem sufficere, si minister intendat facere ritum externum, quem ecclesia facit (In 4. d. 5. q. 1. a. 1.). Post Catharinum eidem opinioni adhaeserunt *Salmeron* (in ep. S. Pauli l. 1. p. 3. disp. 2.), *Scribonius,* (ap. Card. de Lugo. disp. 8. s. 2. et 3.), *Contenson, Farvaques, Iuenin, Serry, Drouin* alique. In Germania inde a saeculo XVIII. exeunte eandem sententiam propugnarunt *Stattler, Dobmayr, Waibel,* ad quos recenter accesserunt *Glossner* (Lehrbuch der kath. Dogmatik II, 299.) et *Haas* (die notwendige Intention des Ministers). Cf. *Morgott* (der Spender der hl. Sakramente); in quo opusculo historia huius controversiae accurate exponitur.

4. Priusquam opinio relata refutetur, paulo accuratius declaranda est. Itaque intentio, quae in hac sententia sufficiens esse statuitur, externa vocatur, non quod subiective interna non sit, sed quia solum actum externum mere materialiter spectatum pro obiecto habet et quia saltem, si minister sui compos est, cum actu externo tamquam eius causa connectitur eoque manifestatur. Intentio externa igitur in actu voluntatis consistit, quo quis intendit, serium sacramenti administratorem exterius se habere, quamvis simul apud se intendat simulare et positive statuat: nolo actionem ut sacramentalem peragere. Plerique vero theologi, qui huic opinioni subscribunt, eam aliquantulum restringunt dicendo, istam intentionem externam non sufficere, nisi quando minister ro-

gatus ex officio in loco et vestibus sacris cum sacro apparatu ritum sacramentalem ponit; per haec enim adiuncta ritum externum ex se indifferentem ad esse sacramentale determinari dicunt.

Porro fatendum est, hanc opinionem ab errore haereti- 5.
corum supra reiecto duplici capite differre: *primo*, quia haeretici, secus ac illi theologi catholici, etiam iocum vel ludibrium externum atque manifestum valorem sacramentorum non impedire asserunt; *secundo* quia iidem theologi principium haereticorum, sacramenta scilicet signa tantum theoretica esse, nobiscum damnant. Si vero conceditur, eandem opinionem manifesto haereticam non esse neque indirecte a conciliis damnatam, non ideo etiam concedendum est nec concedi potest, eandem cum doctrina catholica, prout authenticis declarationibus proposita est, quacunque ratione conciliari posse; oppositum enim verum est atque opinio illa tamquam error theologicus computari debet, ut ex demonstratione constabit.

Demonstratio.

1. Probatur ex ratione theologica. — Facile huc 6.
accomodantur rationes iam supra propositae:

1) Ex potestate ministeriali. — Ea sola intentio ad sacramentorum valorem sufficere potest, qua ritus externus ponatur potestate ministeriali qua tali; atqui intentione externa sola nondum ponitur potestate ministeriali qua tali: ergo intentio externa ad valorem sacramentorum non sufficit. *Probatur minor*; quia intentio externa componi omnino potest cum voluntate non exercendi potestatem ministerialem et quia praeterea intentio externa eadem plane manet, sive ministeriali sive naturali potestate ritus sacramentalis ponitur. Ergo.

2) Ex notione ministri. — Videlicet idem fere argu- 7.
mentum paulo aliter sic proponi potest: Etiam ille homo, qui potestate ministeriali instructus est, adhuc agere potest sive ut minister Christi nomine eiusdem, sive ut persona sui iuris proprio nomine; atqui per intentionem externam non

iam agit quisquam nomine Christi, quia totum ritum externum naturaliter et proprio nomine ponere potest; ergo ut nomine Christi agat, absolute requiritur, ut intentione interna voluntatem suam Christo subdat. Ergo quia administratio sacramenti moraliter actio Christi est sive actio Christi nomine posita, intentio externa ad sacramentorum valorem non sufficit.

8. *3) Ex indeterminatione ritus externi.* — Iterum paulo aliter: Actio ministri externa, ut significationem sacramentalem habeat, per intentionem ministri determinari debet; atqui ad eiusmodi determinationem intentio externa insufficiens est; ergo. *Minor argumenti constat*: quia etiam supposita intentione externa actio ministri externa adhuc habere potest significationem vel naturalem, vel historicam, vel repraesentativam, vel derisoriae simulationis aliasque similes; ergo.

9. *Nec quidquam iuvat excipere,* actionem sacramentalem externam ad rationem operationis ministerialis sufficienter determinari externis circumstantiis seriae administrationis atque caeremoniis adhibitis, ideoque opus non esse determinatione per intentionem facta. Nam illud, quo actio externa formaliter ministerialis vel sacramentalis constituitur, ex institutione Christi sit oportet; atqui fide certum est, illas circumstantias ex Christi institutione rationem principii determinantis non habere, quia fide certum est, sacramenta valide administrari, etsi in administratione eorundem omissis quibusvis caeremoniis nihil praeter materiam et formam atque ministri intentionem applicetur. Praeterea repugnat, quominus adiunctis externis ullis efficiatur, ut actio externa nomine et auctoritate Christi ponatur; etenim solo actu voluntatis agentis id effici potest, ut non suo sed alterius nomine agat, ut dictum est.

10. ***2. Ex authenticis ecclesiae declarationibus.*** — Triplex ratio ex eiusmodi declarationibus plerisque iam supra adductis duci potest:

1) Ratio prima. — *Martinus V.* in concilio constantiensi ad valorem sacramentorum statuit necessario requiri debitam materiam et formam et intentionem ministri faciendi, quod

facit ecclesia. Item *Eugenius IV.* etsi non dogmatice definiens, attamen practice et authentice instruens et communem eius aetatis doctrinam inculcans statuit, sacramenta tribus perfici; rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, persona ministri cum intentione faciendi, quod facit ecclesia. Denique *Concilium Tridentinum* anathema dicit tum negantibus, in ministris, dum sacramenta conficiunt, requiri intentionem saltem faciendi, quod facit ecclesia; tum negantibus, baptismum etiam ab haereticis datum in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti cum intentione faciendi, quod facit ecclesia, esse verum baptismum. — Iamvero his declarationibus rationabiliter intelligi non potest nisi intentio interna. Etenim tria distincta et ab invicem separabilia, quorum si aliquod desit, sacramentum non perficitur, concilia requirunt ad valorem sacramentorum, sc. materiam, formam, et praeterea intentionem faciendi, quod facit ecclesia; atqui intentio externa ministri in externa eiusdem actione includitur vel saltem ab ea inseparabilis est, nisi minister sit amens vel dormiens, de quo casu concilia non agunt, sed de ministris ordinariis loquuntur; ergo intentio externa, utpote inseparabilis ab actione externa ministri, ex ecclesiae declarationibus non sufficit, sed interna requiritur, utpote quae ab actione externa physice quidem et psychologice separabilis est. — *Praeterea* formula illa loquendi, qua requiritur intentio faciendi, quod facit ecclesia, ita sane accipienda est, ut ad valorem actus ab agente inferiore ponendi conformatio eiusdem agentis in hoc suo actu cum principio superiore postuletur; atqui ad talem conformationem identitas actus externi mere materialiter spectati non sufficit, sed requiritur identitas actus formaliter spectati, vel conformitas intentionis, qua agens inferius actum in eundem finem ordinat, quem principium superius intendit; ergo intentio mere externa non sufficit. Minor constat et exemplo aliquo optime illustratur a Cardinali *Franzelin*: „Si quis suadet alteri: manducando intendas facere, quod faciebat Christus Dominus vel Sancti, absurde intelligeretur commendari voluntatem et intentionem manducationis materialis, sub ridicula excusatione, quod non dicitur: intendas, quod intendebant

Sancti in tali actione, sed: intendas facere, quod faciebant Sancti: hoc autem quod faciebant, erat materialis manducatio" (Th. 17. n.).

11. 2) *Ratio altera.* — Concilium Tridentinum declarat. absolutionem sacramentalem non valere, si animus serio agendi et vere absolvendi sacerdoti desit (de poenit. c. 9.): atqui per externam intentionem solam animus vere absolvendi non habetur; ergo intentio externa non sufficit.

12. *Excipiunt primo*: Quid sit animus vere absolvendi, verbis prioribus explicatur, scilicet est animus serio agendi; porro serio agere nihil aliud est, nisi actum ponere secundum speciem externam serium. — *R.* Ineptum est asserere, per prius incisum declarari posterius; qui enim rationabiliter loquitur, prius incisum declarandum atque deinde incisum declarans ponit. Sensus igitur declarationis concilii est: Minister habere debet animum serio agendi i. e. animum vere absolvendi; atqui hunc animum non habet, qui serio ponens ritum externum apud se resolvit: Nolo absolvere. — *Praeterea* ponatur quidem, per animum serio agendi nihil intelligi nisi voluntatem actum quoad speciem externam serium ponendi: tunc profecto dicendum erit, praeter animum serio agendi requiri insuper omnino ut distinctus actus animus vere absolvendi; in omni enim casu per animum vere absolvendi absurde intelligeretur voluntas ponendi tantum ritum externum, dum interius voluntas habetur non vere absolvendi, sed simulandi absolutionem.

13. *Excipiunt secundo*, concilium Tridentinum nihil aliud intendisse, quam damnare errorem Lutheri, qui docuit, iocum etiam extrinsecus manifestum valori absolutionis non obstare. — *R.* Directe utique isto canone damnata est doctrina Lutheri eiusque asseclarum, indirecte vero simul opinio adversariorum reiecta est. Ceterum iocus extrinsecus manifestus non ideo sacramentorum valori opponitur, quia manifestus est, sed quia intentionem internam excludit; iocus autem mere externus simul esse potest cum intentione interna ideoque sacramenti valorem non impedit.

3) Ratio tertia. — *Alexander VIII.* hanc damnavit pro- **14.**
positionem: „Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo, quod facit ecclesia.“ Atqui prorsus ita agunt ministri, qui solam intentionem externam eliciunt. Ergo haec ipsa sententia ab Alexandro VIII. reiecta est.

Excipiunt adversarii ut Drouin, illam propositionem in **15.**
sensu Lutheri damnatam esse, utpote cuius errorem theologi quidam Belgae renovarint. Atvero id vanum effugium esse, satis certum est. Cum enim ipsi ne unum quidem theologum Belgam erroris Lutheri restauratorem adducere valeant, ab aliis theologis Belgis coaevis refertur, auctorem illius propositionis aliquem ex illorum numero esse, qui intentionem ministri externam ad valorem sacramentorum sufficere defendebat. Ita v. g. *Henno* Ord. min. refert: „Dicta propositio desumpta ex thesi cuiusdam doctoris mihi cogniti et familiaris, qui praecise adversariorum sententiam sustinebat“ (De Sacram. disp. 4. q. 2. a. 2. prop. 3.). *S. Alphonsus* vero *de Ligorio* testatur, eam propositionem a *Farvaques* propugnatam fuisse (Moral. l. 6. tract. 1. n. 23.). Similiter *Berti* (De theolog. discipl. 30. c. 16.).

3. Ex communi theologorum consensu. - Theo- **16.**
logi plerique et gravissimi, qui post Concilium Tridentinum floruerunt, sententiam Catharini ita reiiciunt, ut censuris quoque eam impetant. Ita *Bellarminus* ait, „se non videre, quid differat Catharini opinio a sententia Kemnitii et aliorum haereticorum“ (Controv. l. 1. c. 27.). *Vasquez* vero sententiam communem illi opinioni oppositam appellat „catholicam et se quidem iudice expresse definitam in conciliis“ (Disp. 138. c. 3.). *De Lugo* autem sic declarat: „Licet haec sententia differat ab errore haereticorum, adhuc tamen ex mente conciliorum et ex fundamentis, quibus contra haereticos dogma istud (de necessitate intentionis internae) definitum est, ita clare colligi potest falsitas etiam huius alterius sententiae, ut merito censeatur ab errore damnato non multum distare, et ideo meritissime ab omnibus reiecta est“ (Disp. 8. s. 2. n. 15.).

17. Neque alia fuit mens antiquiorum theologorum, qui ante Concilium Tridentinum floruerunt. Etenim duplicem intentionem distinguunt, specialem alteram, alteram generalem. Specialem vero eam dicunt, quae in obiectum tendit omnino speciale et determinatum, ut v. g. est productio gratiae; atque talem intentionem in ministro non requiri fatentur. Generalem autem eam dicunt intentionem, qua saltem in confuso intenditur facere, quod ecclesia facit; atque hanc ad valorem sacramenti omnino requiri expresse statuunt. Ita v. g. *Gulielmus Altisiodorensis:* „Si aliquis uteretur forma debita verborum et haberet intentionem faciendi, quod facit ecclesia, ut sumatur verbum confuse, i. e. intendit facere, quod consuevit ecclesia, baptismus esset." (l. 4. c. 7.). Et *B. Albertus M.*: „Exprimitur generalis intentio in verbo baptizandi et illa expressio sufficit ad intentionem ecclesiae sive ad faciendum, quod facit ecclesia, licet non credat, hoc aliquid valere" (In 4. d. 6. a. 11.). Similiter *S. Bonaventura*: „Quamvis non sit necessarium intendere efficaciam baptismi in se et principaliter, tamen intenditur in quolibet baptizato vel in generali vel in speciali, vel in se vel in annexo vel propter se vel propter aliud" (In 4. d. 6. p. 2. a. 2. q. 2.). Necnon *Petrus a Tarantasia* (Innocentius V.): „Sufficit intentio generalis faciendi, quod facit ecclesia, verbis expressa, nec requiritur specialis" (In 4. d. 6. q. 1. a. 2.). Denique *Scotus*: „Intentio finis ultimi (sanctificationis) nullo modo requiritur in baptizante, quia paganus nullo modo intendit ordinare istum, quem baptizat, ad vitam aeternam. Requiritur autem intentio respectu finis proximi, (ut scilicet baptizatus fiat christianus) et hoc vel in universali vel in particulari. In particulari, ut si intendat, istum intrare ad legem christianam servandam; in generali, si intendit facere circa istum, quod Christiani solent facere circa suos" (In 4. d. 6. q. 5.). Iamvero apertum est per intentionem externam nullo modo iam haberi illam intentionem generalem, quam theologi omnino postulant; ergo.

18. Cum ceteris theologis consentit *S. Thomas.* Quod speciatim quibusdam testimoniis vel argumentis demonstrandum

est. Itaque *primo* in opusculo 4. de sacramentis apertum hoc S. Thomae testimonium exstat: „Requiritur etiam in quolibet sacramento persona ministri conferentis sacramentum cum intentione conferendi et faciendi, quod facit ecclesia, quorum trium si aliquid desit, id est, si non sit debita forma verborum, et si non sit debita materia, et si minister non intendat sacramentum conficere, non perficitur sacramentum.“ Scilicet S. Thomas aperte significat, intentionem necessariam separari posse a positione materiae et formae, quod nonnisi de intentione interna valet; atque insuper, ut ex termino *conferendi* manifestum est, intentioni requisitae obiectum assignat, quod ad materiam et formam accedit; quod iterum non de intentione externa, sed de interna solum valet. — *Secundo* in Summa theologica (3. p. q. 64. a. 8. coll. 9. et 10) quaerit, utrum intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti, atque affirmando respondet et rationem responsi reddit ex ipsa natura operationis sacramentalis verbis iam supra allatis: „Quando aliquid se habet ad multa, oportet, quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Ea vero, quae in sacramentis aguntur, possunt diversimode agi, sicut ablutio aquae, quae fit in baptismo, potest ordinari et ad munditiam corporalem et ad sanitatem corporalem et ad ludum et ad multa alia huiusmodi; et ideo oportet, quod determinetur ad unum i. e. ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis: et haec intentio exprimitur per verba, quae in sacramentis dicuntur, puta, cum dicit: ego te baptizo.“ Hinc duplex exstat argumentum: S. Thomas ad valorem sacramenti eam postulat intentionem, qua ritus externus in effectum sacramenti ordinatur; eiusmodi autem intentio sane non est ea, quae externa dicitur, utpote quae in ipso ritu externo solo sistit; ergo. Praeterea S. Thoma auctore ea intentio necessaria est, quae per verba formae exprimitur: atqui verbis formae potius intentio effectus sacramenti exprimitur vel significatur, quae est intentio interna; non autem intentio externa exprimitur, utpote cuius obiectum ipsa verba, non vero eorum significatum vel effectum sunt; ergo. Idem fere argumentum ex alio loco, sc. in 4. d. 4. q. 1. a. 2. sol. 1.

duci potest. — *Tertio* in articulo modo ex Summa citato obiectione proposita, ministrum instrumentum esse, in actione autem instrumenti non ipsius, sed principalis agentis intentionem spectari, respondet distinguendo: ita quidem esse, cum de instrumentis inanimatis agitur, nullo vero modo, si de instrumentis animatis sermo est, atque concludit: „Et ideo requiritur eius intentio, qua se subiiciat principali agenti, ut scilicet intendat facere, quod facit Christus et ecclesia" (ad 1.). Iamvero intentione pure externa minister nullo pacto principali agenti se subiicit. Ergo. — *Quarto* alibi S. Thomas docet, in defectu intentionis actualis sufficere virtualem: „Quamvis minister sacramenti debeat niti ad custodiendum cor suum, quantum potest, ut maxime in verbis sacramentalis formae intentionem habeat actualem; quia tamen cogitatio est valde labilis, etiamsi tunc non adsit actualis intentio, quando verba profert, dummodo prius intenderit et contraria intentio non intervenerit, sacramentum non impeditur" (In 4. d. q. 1. a. 2. sol. 1. ad 4.). Iamvero his S. Thomas manifesto affirmat vel supponit, administrationem sacramenti extrinsecus ad speciem serio perfici posse ita, ut simul tamen intrinsecus interveniat intentio contraria rectae intentioni prius habitae; atque in eo casu invalidum esse sacramentum significat; atqui in eo casu validum esset sacramentum, si sufficeret intentio externa; ergo intentio externa tamquam insufficiens a S. Thoma declaratur. — *Quinto* S. Thomas quaerens, quomodo in ministro infideli intentio requisita esse possit, his verbis item supra iam productis respondet: „Potest contingere, quod aliquis patiatur defectum fidei circa aliquid, et non circa veritatem sacramenti, quod exhibet, puta si aliquis credat, iuramentum esse in omni casu illicitum, et tamen credat, baptismum efficaciam habere ad salutem; et sic talis infidelitas non impedit intentionem conferendi sacramentum. Si vero patiatur fidei defectum circa ipsum sacramentum, quod exhibet, licet credat, per id, quod agitur exterius, nullum sequi interiorem effectum, non tamen ignorat, quod ecclesia catholica intendat per huiusmodi, quae exterius aguntur, praebere sacramentum; unde non obstante infidelitate potest intendere facere id, quod facit

ecclesia, licet existimet, id nihil esse. Et talis intentio sufficit ad sacramentum" (S. th. 3. p. q. 64. a. 9. ad 1.). Iamvero hoc responsum in opinione adversariorum superfluum immo insulsum est; in ea enim plane sufficit dicere, sufficere intentionem externam, hanc autem cum omnimoda infidelitate etiam circa ipsum sacramentum manifesto componi: quare S. Thomas varias distinctiones ad solutionem adhibens nonnisi aerem verberaret. — *Sexto* quaerens deinde, utrum recta ministri intentio ad perfectionem i. e. valorem sacramenti requiratur inter duplicem intentionis perversionem distinguendo respondet: „Intentio ministri potest perverti dupliciter: uno modo respectu ipsius sacramenti, puta cum aliquis non intendit sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere: et talis perversitas tollit veritatem sacramenti, praecipue quando suam intentionem exterius manifestat. Alio modo potest perverti intentio ministri quantum ad id, quod sequitur sacramentum. . ." (S. th. 3. p. q. 64. a. 10. in corp.; cf. ad 1.). Ex his verbis intentio perversa derisorie agendi idem est S. Thomae ac non intendere sacramentum conferre ideoque eiusmodi intentio veritatem sacramenti tollit. Iamvero item ex sententia S. Thomae eiusmodi intentio perversa derisorie agendi occulta esse ideoque cum actione externa ad speciem seria componi potest. Ergo ex sententia S. Thomae externa intentio ad veritatem sacramenti non sufficit. Neque obstat, quod dicit, eiusmodi intentionem perversam veritatem sacramenti tollere *praecipue quando exterius manifestatur*; scilicet in hoc casu sacramentum non solum coram Deo nullum est, sed etiam in foro ecclesiae ut irritum agnoscitur. Confirmatur ex responsione ad primum, ubi dicit, ministrum debere suam intentionem conformare cum intentione ecclesiae, quae ad ipsam sacramenti confectionem refertur. Iamvero minister intentione pure externa suam intentionem cum ecclesiae intentione non conformat, praesertim si intentionem latentem oppositam foveat. Ergo. — *Septimo* denique quaerens, utrum diabolus in forma humana apparens valide baptismum administrare possit, eam potestatem diabolo negat atque negationis hanc rationem congruam reddit: „Si baptizare se fingeret, semper esset timen-

dum, quod non faceret intentione baptizandi, quae ad sacramentum exigitur, sed intentione decipiendi; quia non esset probabile, quod tantum bonum homini procuraret, sicut est spiritualis regeneratio" (In 4. d. 5. q. 2. a. 3. sol. 1.). Iamvero intentio ad veritatem sacramenti necessaria, quae in diabolo deficeret, profecto S. Thomae non est intentio externa: immo hanc ad homines decipiendos diabolus adhiberet. Ergo ex mente S. Thomae intentio externa non sufficit.

19. *Opponunt vero duo S. Thomae testimonia*, quibus ostendi arbitrantur, S. Thomam patronis intentionis externae adnumerandum esse. *Primum* sic habet: „In baptismo et in aliis sacramentis, quae habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab ecclesia instituta; et ideo si forma servatur, nec exterius aliquid dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est" (In 4. d. 6. q. 1. a. 2. sol. 1.; q. 1. a. 2). *Alibi* vero relata obiectione, hominem, siquidem ministri intentio ad valorem sacramenti necessario requiratur, salutis certitudinem habere non posse, hunc in modum respondet: „Minister sacramenti agit in persona totius ecclesiae, cuius est minister; in verbis autem, quae profert, exprimitur intentio ecclesiae, quae sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri vel recipientis sacramentum" (S. th. 3. p. q. 64. a. 8. ad 2.). — *R. Primo* ultro quidem fatendum est, haec testimonia aliquam difficultatem facere, verum incredibile est, S. Thomam eam doctrinam relinquere voluisse, quam tam clare in multis locis proposuit atque in ipso corpore illius articuli 8. atque deinceps iterum in articulo 10. inculcat. *Secundo* supposita sententia adversariorum S. Thomas dicendus esset docere in 2. loco obiecto, defectum internae intentionis, sive in ministro sive in subiecto sacramenti spectatur, sacramenti valorem non impedire, quia scilicet ibidem pari ratione de ministri et subiecti intentione loquitur; iamvero haec opinio quoad subiectum sacramenti plane aliena est a mente S. Thomae, utpote qui paulo post (q. 68. a. 7. ad 2.) expressis verbis docet, adultum, qui carens recta intentione sacramentum suscepit,

iterum baptizandum esse. Ergo neque, quod ministrum attinet, eadem opinio illi tribui potest. *Tertio* dici potest S. Thomam securius atque paulo minus accurate locutum esse, quia sententia Catharini nondum proposita erat. *Quarto Caietanus* (in 3. p. q. 64. a. 8.) aliique plures theologi statuunt, non de sacramenti in se spectati, sed de eiusdem secundum humanam existimationem considerati valore S. Thomam agere, videlicet id eum exhibere voluisse, quo homines certitudinem illam moralem, quae unice hac in re expetenda est, obtinere queant et soleant. Verum haec explicatio parum probabilis est vel saltem adaequatam solutionem non exhibet, cum S. Thomas de ipso quoque sacramenti in se spectati valore agere videatur. Quare *quinto* testimonia allata secundam communem doctrinam cum plerisque S. Thomae discipulis explicanda sunt. Probabilissima vero, ne dicam certa explicatio haec esse videtur:

In primo loco obiecto S. Thomas de sacramentis agit, „quae **20**
habent in forma actum exercitum", i. e. in quibus verba formae actum sacrum ipsius ministri significant, ut: ego te baptizo, ego te absolvo etc., ideoque eius intentionem implicite saltem exprimunt. Porro dicit, in eiusmodi sacramentis administrandis non requiri intentionem ministri mentalem, i. e. intentionem mentalem actu signato, qua scilicet minister ante sacramenti administrationem explicite intendat facere, quod facit ecclesia; sed sufficere eam intentionem, cuius expressio in ipsis formae verbis continetur. Hanc vero intentionem minister habere rationabiliter supponendus est, quia sane proferendo illa verba illud significare vult, quod reipsa significant; significant autem illud idem, quod ecclesia intendit. Iamvero haec intentio, quae secundum S. Thomam sufficit et requiritur, sane non est intentio solum externa, qua quis solum verba externa ad speciem solum serio pronuntiare vult, sed est intentio, quae verbis formae exprimitur; haec autem est ipsa intentio ecclesiae; ergo. Cum his convenit, quod S. Thomas in aliis sacramentis, in quibus verba formae actum sacrum ministri non exprimunt, intentionem non verbis expressam, sed pure mentalem postulat (cf. in 4. d. 8. q. 2. a. 4. sol. 3. ad 2.).

21. *In altero loco obiecto* S. Thomas item docet, intentionem sufficere, quam minister eo ipso habet, quod ut minister ecclesiae verba formae pronuntiat; utpote quibus implicite saltem intentio necessaria exprimatur; non autem requiri mentalem sive eam, quae explicite ante sacramenti administrationem eliciatur. Etsi igitur minister hanc explicitam intentionem quacunque ex causa non elicuerit, nihil tamen de valore sacramenti curandum est; habuit enim implicitam eo ipso, quod ut minister ecclesiae verba formae pronuntiavit, utpote quibus recta intentio sive intentio ecclesiae exprimatur. Quamdiu in eiusmodi casu significatio formae non corrumpitur, intentio requisita adest atque sacramentum valet. Itaque manifestum est, in his ipsis locis obiectis S. Thomam tamquam principium statuere, in ministro eam intentionem ad sacramenti valorem postulari, qua cum intentione ecclesiae se conformat; quare remotissimus est ab intentione eorum, qui externam intentionem sufficere contendunt.

22. *Confirmatur* haec utriusque loci explicatio, quia verbis S. Thomae ita acceptis commode intelligitur, quomodo iisdem difficultas praemissa solvatur, quod scilicet de valore sacramenti certi esse non possumus, si intentio ministri interna requiratur. Etenim, quia in sacramentis maxime necessariis verbis formae actu exercito intentio exprimitur, eo ipso periculum minus est, ne intentio requisita ex inadvertentia vel plena distractione desit. Cum scilicet minister verbis utitur, ego te baptizo, ego te absolvo, eo ipso, si quidem humano modo, non autem ut ebrius vel insanus agit, intentionem requisitam habet, nisi expresse et explicite contrarium apud se intendat. Hoc autem communiter supponi nequit, nisi extrinsecus exprimatur. Ergo quandocunque minister serio ageus materiam et formam rite adhibet neque contrariam intentionem exprimit, de valore sacramenti moraliter certi sumus. Et profecto in sententia adversariorum S. Thomas sine omni verborum circuitu multo simplicius respondere debuit, sacramentum etiam sine intentione interna administratum validum esse, quandocunque externus ritus serio peragitur, etsi intrinsecus opposita intentio foveatur.

Scholion.

Obiectiones reliquae solvuntur. — Adversarii im- **23.**
primis Drouin, magnam molem argumentorum congesserunt, quibus suam sententiam evincerent. Quorum plura vel in ipsa demonstratione thesis iam expedita sunt vel ea supposita facile solvuntur: quare aliqua solum reliqua sunt, quae specialem considerationem mereantur.

1) „Accedit, ita Drouin, Innocentii III. praeclara sane quaeque nullo subterfugio eludi potest sententia: ‚Non est necesse', inquit Decret. t. de bapt. et eius effect. cap. ‚Si quis puerum', ‚quod baptizans gerat in mente facere, quod facit ecclesia, immo, si contrarium gereret in mente, sc. non facere, quod facit ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est, dummodo baptizare minister intendat.'' Simulque addit, hoc decretum postea ab Innocentio IV. Summo Pontifice approbatum, iuris decretis adscriptum et ab ecclesia reverenter susceptum esse (L. c.). — *R. primo* commentarius ille in quinque libros decretalium, ex quo verba obiecta deprompta sunt, falso Innocentio III. adscribitur, utpote qui potius Innocentium IV auctorem habet. Hic vero eundem ea quidem aetate, cum iam erat Pontifex, attamen tamquam doctor privatus conscripsit; quare eidem commentario publica auctoritas non convenit neque unquam in ipsum corpus iuris insertus est. *Secundo* falsa est interpretatio verborum Innocentii IV., quam proponit Drouin: quod facile apparet ex verbis, quibus Innocentius commentans decretalem Alexandri III. ‚Si quis puerum' (Decret. l. 3. t. 42. c. 1.) utitur: „Si formam veram dicat et non credat illam veram formam, sed aliam, non erit baptizatus, et hoc ideo, quia non intendit baptizare, quod ex eo apparet, quia formam veram dicere non intendit'' (ib. n. 2.). Profecto Innocentius intentionem baptizandi ad valorem baptismi requirit eamque ut distinctam considerat ab intentione externa, qua solum ritus externus intenditur; ergo intentionem mere externam potius reiicit. *Tertio* clarius etiam idem patet considerato toto contextu: „Nota quod ad hoc, quod aliquis baptizatus sit, necessarium est, quod

baptizans intendat baptizare, non tantum balneare vel carnes lavare; nec tamen videtur necesse quoad effectum baptismi, quod sciat, quid sit baptismus, sive quod ibi infundatur gratia vel quod sit sacramentum; nec etiam oportet, quod credat hoc ipsum, immo etsi contrarium credit et totum reputat truffam et deceptionem, tamen baptismus habet suum effectum. Item non est necesse, quod baptizans sciat, quid sit ecclesia, quid baptizatus (? baptismus) vel unde sit, nec quod gerat in mente facere, quod facit ecclesia: immo si contrarium gereret in mente, scil. non facere, quod facit ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est, dummodo baptizare intendat. Unde si aliquis in casu necessitatis constitutus vel etiam sine necessitate vadat ad Saracenum et dicat: baptiza me, et doceat eum formam, et ille Saracenus baptizet, non credens per immersionem aliquid aliud fieri, quam madefactionem; et (non?) intendat eum baptizare vel etiam madefacere secundum intentionem petentis baptismum, ita ut baptismus operetur, quidquid operari potest, et ipse baptizans tamquam minister conferat, quod alii baptizantes conferunt, licet non credat, ipsum posse aliquid operari: vere baptizatus est, sed si hoc non intenderet, non baptizaret. Nec est necesse, quod aliquando sciat, quid in his ecclesia intelligat, vel etiam quod sciat vel credat, ecclesiam esse" (Ib. n. 8.). Quibus duo satis aperte ab Innocentio IV. statuuntur: *Primum* est, non sufficere intentionem balneandi vel carnes lavandi i. e. ponendi ritum externum solum materialiter, sed requiri intentionem baptizandi: atqui intentio illa balneandi vel carnes lavandi est ipsa intentio externa; ergo haec ex mente Innocentii non sufficit, sed interna requiritur. *Alterum* est, hanc intentionem internam sufficere generalem, non autem requiri specialem, qua ipse effectus sacramenti intendatur vel quae in fide in veritatem sacramenti sive in ipsius ecclesiae veritatem innitatur; quod alterum non solum cum opinione intentionem externam defendente, sed etiam cum doctrina communi concordat.

24. *Neque difficultatem magnam facit*, quod Pontifex dicere videatur, baptismum valere, etsi minister non intendat bapti-

zare, vel etiam madefacere secundum intentionem petentis baptismum. — Etenim illam particulam *non* interrogationis signo notatam et inclusam cum contextu pugnare et absurdam interpolationem esse certum esse videtur. Si vero, quod impossibile vel omnino improbabile apparet, illa particula ad textum pertineret, dicendum esset, Innocentium etiam in ea sententia de intentione effectus loqui, quia secus aperte sibi contradiceret. Itaque certum est, Innocentium non sufficientiae intentionis externae, sed necessitatis intentionis internae patronum et defensorem exstare.

2) *Veritas est a conciliis definita, eam ministri intentionem* **25.** *sufficere, qua intendit facere, quod facit ecclesia; atqui ecclesia ritum externum facit; ergo sufficit in ministro intentio seria ritus externi, quae est ipsa intentio externa. — R. d. mai.*: Concilia docent sufficere intentionem faciendi, quod facit ecclesia i. e. faciendi, quod per ritum externum ecclesia facit *c.* faciendi solum ritum externum *n.; d.* min.: ecclesia facit solum ritum externum materialiter spectatum *n.* facit ritum externum ut signum practicum supernaturale vel ut sacrum *c.*; et *n.* consequens et consequentiam. Paulo aliter etiam responderi potest, sufficere quidem intentionem ministerialiter faciendi quod facit ecclesia, non vero sufficere intentionem proprio suo nomine et non ministerialiter faciendi ritum externum, quem ecclesia Christi nomine ideoque ministerialiter facit.

Instari potest: Ex responsione data consequitur, neces **26.** sarium esse, ut minister ipsum effectum sacramenti intendat; hoc autem ex omnium confessione falsum est. — *R. d.*: sequitur, ministrum debere intendere effectum explicite et in se *n.*; implicite et in generali et in confuso *c.* Scilicet minister intendere debet, aliquid facere praeter ritum externum mere materialiter spectatum et quidem id, quod per eundem ritum ecclesia facit. Hoc autem requiritur et etiam sufficit. Ceterum cuiusmodi haec intentio debeat esse spectato obiecto intento, in sequenti thesi accuratius explicatur.

3) *Valor sacramentorum non impeditur improbitate mi-* **27.** *nistri; atqui defectus intentionis internae vel perversa in-*

tentio quaedam improbitas ministri est; ergo interna intentio ministri ad valorem sacramentorum non requiritur. — R. d. mai.: Improbitas ministri non impedit valorem sacramentorum, quatenus sacramenta valeant, etiamsi ex improbitate aliquid omittatur, quod essentialiter requiritur *n.*; quatenus praesentibus omnibus essentialiter requisitis improbitas valorem sacramenti non tollit *c.*; *d. min.*: defectus intentionis improbitas aliqua est (sc. si deliberata est) et simul privatio alicuius, quod ad valorem essentialiter requiritur *c.*; non magis obstat valori sacramentorum, quam alia quaecunque improbitas *n.*; et *n.* consequens et consequentiam.

28. *4) „Sacramentum est res sensibus subiecta . . . Ergo nihil nisi quod sensibus pateat, in eius definitione et natura ponendum est. Atque ideo latens ministri sive bona sive mala intentio sacramento penitus extranea est neque alia praeter externam ritus sacri celebratione expressam requiri debet" Ita Drouin (l. c. Prob. 8. ex theol. rat. n. 5.). — R.: Primo* falsum est, nihil ad sacramentorum valorem requiri, nisi quod visibile sit: etenim v. g. sacra potestas sacerdotis vel episcopi sane invisibilis est atque nihilominus ad quaedam sacramenta valide administranda necessario requiritur: similiter significatio quoque sacra et efficacia supernaturalis invisibiles quidem sunt, sed ad sacramenta essentialiter pertinent. *Secundo* argumentum facile retorquetur: scilicet neque intentio externa visibilis est: quare haec quoque superflua dicenda est adeoque ad absurdum Lutheri opinionem pervenitur. *Tertio* considerandum est, intentionem internam non quidem immediate in se, sed mediate in ritu externo visibilem esse, utpote cum quo, ut communiter res contingunt, moraliter certo connexa est. *Quarto* denique ritus sacri celebratio potius internae quam externae intentionis expressio est: huius enim magis obiectum vel effectus est.

29. *5) Minister, qui serio ponit ritum externum sacramentalem et simul intrinsecus intendit non administrare sacramentum, duas voluntates habet sibi oppositas, quarum una sc. serio ponendi ritum sacramentalem efficax est; ergo eo ipso altera voluntas i. e. sacramentum non administrandi*

inefficax est ideoque valorem sacramenti non impedit. „Est enim idem, ita Drouin, ac si quis ignem stuppae vere admovere vellet et admoveret, intus vero sic diceret: nolo, ut ignis comburat stuppam; aut si agricola frumentum terrae mandare proponens et revera tempore commodo seminans intra se diceret: Nolo hoc esse semen fructiferum, quod summa accuratione terrae committo“ (*L. c.*). — *R.* breviter: Totum argumentum manifesta petitio principii est. Illae enim duae voluntates reipsa oppositae non sunt, quia falsum est, quod supponitur, scilicet alteram esse efficacem; hoc igitur probandum esset illis theologis, probare autem nequeunt.

Corollarium.

30. ***1. Intentio obiective spectata, necesse non est attingat formaliter et explicite sacramentum ut sacramentum est.*** — Ut supra dictum est, ecclesia magistra ad valorem sacramentorum in ministro requiritur et sufficit intentio faciendi, quod facit ecclesia; porro eadem ecclesia docente, valida sunt sacramenta ab haereticis, iudaeis et paganis administrata, qui plerumque certe sacramentum formaliter et explicite ut sacramentum est, non intendunt. Ergo intentio necessaria ad validam sacramentorum administrationem, sc intentio faciendi, quod facit ecclesia, existere potest, quin minister sacramentum intendat formaliter et explicite ut sacramentum est.

31. ***2. Neque requiritur intentio, quae formaliter et explicite in effectibus vel gratum facientibus vel gratis datis sacramenti versetur.*** — Ex ecclesiae iudicio validus erat baptismus a Pelagianis collatus; item valida sunt sacramenta ab haereticis Protestantium coetibus collata; item denique sacramenta ab hominibus simpliciter infidelibus collata valent. Atqui Pelagiani gratiam sanctificantem et regenerationem spiritualem, Protestantes characterem sacramentalem, et qui simpliciter infideles sunt omnem sacramentorum effectum supernalem negant ideoque eosdem formaliter et explicite certe non intendunt. Ergo ad validam

sacramentorum administrationem non requiritur intentio, quae effectus ipsorum supernaturales sive gratum facientes sive gratis datos formaliter et explicite respiciat. Itaque haec assertio corollarium est, quod manifesto consequitur ex doctrina supra statuta, secundum quam valor sacramentorum a fide ministri independens est.

32. *3. Neque ea intentio requiritur, quae formaliter et explicite respiciat ritum sacramentalem, quatenus ecclesia catholica eum facit et administrat.* — Ratio eadem est ac praecedentis assertionis. Nimirum, qui ecclesiae catholicae non adhaerent, eam intentionem formaliter et explicite non eliciunt neque facile elicere possunt; nihilominus vero sacramenta ab iisdem collata tamquam valida considerantur; ergo intentio illa non requiritur. — Ex eadem ratione elucet, neque id, quod *vera* ecclesia facit, formaliter et explicite intendendum esse, quia scilicet hanc intentionem infideles nec eliciunt nec elicere posse videntur.

Thesis 26. Spectato obiecto quod intendi debet, ea videtur sufficere intentio, qua sacer ritus vel id quod facit ecclesia non explicite, sed implicite tantum intenditur; vel sufficit intendere id, quod per identitatem obiectivam tantum, non autem formaliter est id, quod facit ecclesia.

Declaratio.

1. *Argumentum thesis definitur.* — Hucusque ostensum est, quae intentio obiective spectata ad validam sacramentorum administrationem non sufficiat, et quae non requiratur. Quare reliquum est, ut determinetur, quae intentio obiecto spectato requiratur et sufficiat; sive inquirenda illa ratio obiectiva est, sub qua sacramentum administrandum a ministro intendi debet. Quod est argumentum huius thesis, qua doctrina de intentione ministri iam absolvitur. Responsio ad propositam quaestionem in ipsa thesis enuntiatione con-

tinetur; sola probatio superest; qua responsio etiam accuratius explicatur.

Demonstratio.

1. Probatur per modum corollarii ex praecedenti doctrina. — Etenim ex una parte intentio, quae in solum ritum externum materialiter spectatum terminatur tamquam in obiectum suum ad validam sacramentorum administrationem non sufficit, ut ostensum est. Ex altera parte item ostensum est non requiri, ut intentio ministri formaliter et expresse respiciat sive sacramentum formaliter ut sacramentum, sive effectus sacramenti sive id quod facit ecclesia catholica vel vera. Ergo ad validam sacramentorum administrationem in ministro ea intentio sufficit et requiritur, quae spectato obiecto intento media est inter intentiones illas non sufficientes et non requisitas. Iamvero media inter easdem intentiones est intentio generalis faciendi, quod ecclesia facit vel quod Christus instituit sive ea intentio, quae in enuntiatione thesis exhibita est. Ergo. *Scilicet requiritur et sufficit, ut minister praeter ritum externum mere materialiter spectatum intendat formaliter et expresse aliquid, quod virtualiter vel implicite sive per identitatem obiectivam non autem formaliter est id, quod facit ecclesia vel quod Christus instituit.* Sic minister fide quavis plane destitutus, si velit ponere ritum sacramentalem non quidem ut ex sua, sed ut ex aliena fide sacrum et per eum facere, quod ministri fideles faciunt, valide sacramentum administrat. Item paganus vel iudaeus rogatus a catechumeno in articulo necessitatis constituto, ut sibi materiam et formam baptismi applicet atque simul id, quod vult ipse catechumenus, facere intendat, iudaeus inquam vel paganus tali petitioni etiam quoad intentionem annuens valide baptizat. 2.

2. Ex eo, quod eiusmodi intentio positionem ritus externi ministerialem reddit. — Ut ex tota praecedenti tractatione de intentione ministri manifestum est, ea intentio ministri ad valorem sacramentorum requiritur et sufficit, qua administratio sacramenti constituitur moraliter actio Christi, 3.

vel qua homo sacramentum administrans tamquam minister ecclesiae et Christi agere intelligitur. Iamvero intentione supra definita homo sacramentum administrans satis intelligitur agere nomine Christi vel ut minister Christi et ecclesiae. Ergo intentio ministri definita ad valorem sacramentorum requiritur et sufficit. *Minor argumenti patet ex casibus adductis.* Etenim minister infidelis, qui ritum sacramentalem non quidem ex sua, sed ex aliena fide sacrum ponere et per eum facere vult, quod ministri fideles faciunt, eo ipso implicite vel virtualiter suam voluntatem ecclesiae et Christo subiicit, atque eorum nomine et tamquam minister eorum agit; secus enim non faceret idem, quod ministri fideles faciunt: quod tamen absolute velle supponitur. Pariter ille iudaeus vel paganus petitioni catechumeni annuens, idem, quantum potest, vult, quod hic ab ipso petit. Iamvero catechumenus vult et petit, ut sibi sacramentum conferatur ideoque ut materia et forma sacramenti nomine Christi sibi applicentur. Ergo hoc ipsum etiam minister iudaeus vel paganus implicite vult ideoque eo ipso, quod voluntatem suam explicite voluntati catechumeni conformat, eandem implicite voluntati Christi subiicit, eius nomine sive tamquam minister eiusdem agit.

4. ***3. Ex consideratione quadam circa matrimonium instituta.*** — Etenim Christus Dominus matrimonium inter Christianos ineundum ita ad dignitatem sacramenti evexit, ut ipse contractus matrimonialis rationem sacramenti habeat, ut probatur ex professo in tractatu de matrimonio christiano. Ergo ubicunque inter christianos habetur contractus matrimonialis validus, sacramentum quoque christianum exstat. Hinc vero ulterius consequitur, ipsos contrahentes matrimonium sibi invicem tamquam ministros sacramentum conferre. Iamvero ad valide ineundum contractum matrimonialem requiritur et sufficit intentio ineundi verum matrimonium. Ergo haec intentio etiam requiritur et sufficit ad sacramentum valide non solum suscipiendum, sed etiam administrandum. Atqui eadem intentione non expresse, sed implicite tantum intenditur sacramentum vel id quod Christus instituit et ecclesia facit; vel id intenditur, quod

non quidem formaliter, sed per identitatem obiectivam est sacramentum vel id, quod Christus instituit et ecclesia facit. Ergo ad sacramentum valide administrandum generatim eiusmodi intentio sufficit.

Confirmatur argumentum, quia communis et certa theo- 5.
logorum sententia est, etiam incredulos christianos valide matrimonium inire ideoque sibi invicem sacramentum administrare, dummodo voluntate praedominante contra omnem aliam forte oppositam verum matrimonium inire velint, etsi ipsum nullo modo ut sacramentum neque ut sacrum considerent; tunc solum sacramentum sibi valide non administrarent, si voluntate praedominante super voluntatem veri matrimonii plane respuerent; sed in eo casu neque contractum matrimonialem validum inirent. Iamvero eiusmodi christiani increduli sacramenti vel eius, quod Christus instituit et ecclesia facit solum implicitam intentionem non vero expressam habent vel intendunt id, quod non quidem formaliter, sed solum per identitatem obiectivam sacramentum est, vel id, quod Christus instituit et ecclesia facit. Ergo iterum eadem intentio ad validam sacramentorum administrationem requiritur et sufficit.

Corollarium.

1. Ad valorem sacramenti requiritur, ut in- 6.
tentio ministri spectato modo, quo in obiectum tendit, formaliter aut aequivalenter absoluta sit.

Intentio absoluta ea est, quae ex modo tendendi in obiectum fertur sine ulla limitatione vel restrictione: *conditionata*, quae in obiectum cum aliqua restrictione fertur. *Conditiones* vero aliae sunt *internae* i. e. tales, a quibus valor sacramenti pendet, ut v. g. ego te baptizo etc., *si es homo*, vel: ego te absolvo, *si attritus vel contritus es;* aliae *externae* i. e. tales, a quibus valor sacramenti non pendet, ut v. g. ego te baptizo, *si intra hunc diem morieris,* vel si *papa dormit.* Porro conditiones vel sunt de praeterito, vel de praesenti vel de futuro, ut v. g. absolvo, *si aliquando peregrinationem in-*

stituisti, vel *si matrimonio iunctus es*, vel *si cras in proelio pro patria pugnabis*. Conditio vero de futuro intentioni opposita iterum duplex esse potest: primo ut sensus sit: ego te absolvo nunc, si verum est vel Deus scit, te cras pugnaturum esse; altera, ut sensus sit: ego te absolvo ea lege, ut cras remissionem peccatorum obtineas, si quidem pugnabis; et haec intentio dicitur stricte conditionata de futuro vel suspensiva. Iamvero quod conditionem *internam* attinet, inter theologos constat, appositionem eiusdem sacramenti valorem non impedire, i. e. si conditio apposita verificatur, sacramentum valet, si non verificatur, sacramentum non valet, ut v. g. patet in exemplo: si vivis, te baptizo; eiusmodi conditio etiam licite aliquando apponi potest. Conditio *externa* vero intentioni semper illicite apponitur. Quod vero valorem sacramenti attinet, de eiusmodi intentione apposita sic dicendum esse videtur:

7. *1) Intentio stricte conditionata de futuro sive suspensiva ad valorem sacramenti manifesto non sufficit.* — Ratio aperta est: etenim sacramentum sub eiusmodi conditione collatum non valet nunc, quando materia et forma applicantur, quia cum conditio apposita nondum sit impleta, deest intentio sacramentum nunc conferendi; neque valet postea, cum conditio impleta est, quia tunc materia et forma, iam non habentur.

8. *Excipiendum est aliqua ratione sacramentum matrimonii.* Etenim speciali sua indole ab aliis sacramentis eo differt, quod naturam contractus etiam ut sacramentum est servat: quare sicut quilibet contractus sub conditione stricta de futuro iniri posse videtur. Nimirum matrimonium sub eiusmodi conditione contractum valet postea conditione impleta, quia tunc permanente voluntate eadem, qua contractum est, ex utraque parte, intentio prius conditionata evasit absoluta. Sacramentum igitur matrimonii, quando sub eiusmodi conditione contrahitur, a contrahentibus sibi invicem confertur *nunc* pro *tunc*. Quare ex peculiari sua indole a communi regula statuta excipitur.

9. *Excipiendum esse etiam sacramentum poenitentiae videri posset*, quia absolutio se habet ut sententia alterius iudicis; haec autem subsistit cum conditione de futuro. — *R. d. mai.* quoad aliqua *c.* quoad omnia *n.* Nam Christus ad sacra-

mentum tria concurrere voluit; *materiam, formam, intentionem,* quae simul esse debent; simul vero esse non possunt, si minister habet intentionem supensivam usque ad eventum conditionis futurae. Eiusmodi autem simultaneitas diversorum ad sententiam iudicis alterius non requiritur.

2) *Item intentio quaevis conditionata conditione externa* **10.** *sive praeterita sive praesente sive futura apposita non valet, etsi conditio impleta sit, vel impleatur.* — Etenim Christus ita sacramenta instituit, ut ad instar causarum naturalium agant: causae vero naturales non dependentia conditionibus futuris neque a praesentibus vel praeteritis, quibuscum nullam connexionem habent: ergo sacramenta quoque ab eiusmodi conditionibus pendere non possunt. Qui igitur sacramentum dependere vult ab eiusmodi conditione, seriam intentionem administrandi sacramentum a Christo institutum habere non videtur; quare invalidum esse videtur sacramentum ita administratum. Itaque qui sic baptizatus esset: Ego te baptizo, si Deus te praedestinavit; si pater tuus vivit; si restitues (de facto futuro agitur, non de intentione praesente) ablatum, iterum saltem sub conditione baptizandus esset. Cf. S. Alphonsus, de sacram. n. 26. et Suarez, disp. 13. s. 3. n. 9.

3) *Neque intentio indirecta ad valorem sacramenti suf-* **11.** *ficit.* — *Intentio indirecta* ea dicitur, qua quis aliquid in causa vel in alio necessario connexo vult; videlicet ea intentione aliquis causam vult, ex qua effectum secuturum praevidet, ut cum quis se inebriat praevidens se in ebrietate blasphematurum esse. Iamvero dicendum sane est, eiusmodi intentionem indirectam ad validam sacramentorum administrationem nequaquam sufficere. Etenim talis intentio non facit, ut actio sacramentalis modo humano et rationali a ministro procedat; neque igitur ea id intenditur, quod Christus instituit vel quod ecclesia facit. Sic v. g. qui sciens, se in ebrietate verba consecrationis super panem prolaturum esse, nihilominus se inebriat, consecrationem nec expresse nec implicite intendit; nam haec verborum consecrationis prolatio non motivum ad ebrietatem alliciens, sed potius motivum ab ea deterrens neglectum est. Immo etsi consecratio intenta

esset ante consecrationem. nihilominus postea in ebrietate posita actio humana non est nec aliter aestimari potest, quam si psittacus verba profert. Etenim quamvis prior illa intentio actum postea in ebrietate positum tamquam obiectum suum respiciat, non tamen ad eum comparatur tamquam principium ad suum effectum; sed administratio sacramenti ab intentione tamquam a principio operante vel influente procedere debet. Neque igitur hac in re homo ebrius cum homine distracto comparari potest. Etenim „cum huiusmodi homo (sc. distractus) ratione utatur, actio eius simpliciter est humana et libera, et procedit aliquo modo a priore intentione; atvero actio ebrii, licet in ordine ad culpam denominari possit voluntaria et libera a praecedenti voluntate, magis tamen ut effectus quidam physicus, quam ut actio humana, unde ut est actio hominis tunc revera non est libera, nec moraliter procedit a priore intentione, sed solum remote et valde per accidens per applicationem cuiusdam causae, a qua postea proficiscitur illa actio modo quodam naturali seu irrationali, qui non est sufficiens, nec accommodatus ad ministerium sacramentorum" (*Suarez*, disp. 13. s. 3. n. 2.).

12. *4) Ad validam sacramentorum administrationem requiritur, ut intentio ministri versetur circa personam vel materiam determinatam.* — Et *primo* quidem id patet ex ipsis formis sacramentorum, utpote quae certam personam vel certam materiam designant, ut v. g.: Ego te baptismo; ego te absolvo; hoc est corpus meum; formis enim sacramentorum ministri intentio consentanea esse debet. *Praeterea* ratio interna est, quia intentio ministri per ritum externum efficax et operativa est; actiones autem sunt circa determinata et singularia; ergo prouti actio externa, ita etiam intentio circa determinatam personam vel materiam versari debet. Hinc qui ex multitudine aliqua quinque indeterminate velit absolvere, neminem absolvit. Huc etiam pertinent, quae in rubricis missalis de defectibus in missa occurrentibus leguntur: „Si quis habeat coram se undecim hostias et intendat solum consecrare decem, non determinans, quas decem intenderit, in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio" (§ 7.).

Ex assertione hic probata Suarez deducit aliam insuper, **13.** sc. necessarium esse, ut subiectum seu materia, circa quam versatur actio ministri, vere ac sine errore substantiali sit illa, ad quam hic et nunc dirigitur eius intentio: „Ita explicata haec pars sequitur ex praecedente, quia determinata intentie ministri est necessaria ad valorem sacramenti; ergo etiam necessarium est, ut vere cadat in eam rem, ad quam determinatur ex intentione eiusdem ministri; alioquin si intentio dirigatur ad unum, et actio versetur circa alium, non procedet talis actio ex tali intentione; ergo non erit sufficiens ad sacramentum conficiendum" (lb. n. 10.).

Scholion.

1. Difficultas quaedam solvitur. — Una diffi- **14.** cultas superest, quae quamvis superiore tractatione iam exclusa sit, nihilominus expressam considerationem meretur; procedit vero ex apparenti repugnantia inter defectum fidei et intentionem requisitam, atque eiusmodi est:

Minister fide destitutus neque eam intentionem habere potest, quae supra tamquam absolute necessaria postulata est. Ergo aut fides ministri ad validam sacramentorum administrationem requiritur, aut vero neque illa intentio necessaria dicenda est. — R. n. antecedens. Ratio vero negationis iam satis aperta est ex eis, quae supra tractata sunt. Videlicet ad valorem sacramenti sufficit, si minister implicite intendat facere, quod ecclesia facit vel quod Christus instituit; vel si intendat aliquid facere, quod per obiectivam identitatem est id, quod Christus instituit et ecclesia facit. Hanc vero intentionem etiam ille habere potest, qui neque in Christum neque in ecclesiam credat, immo etiam ille, qui neque in ipsum Deum credat, qualis perfectus scepticus est. Aliquando quidem ex infidelitate provenire potest, ut intentio requisita desit: videlicet si minister tanta pertinacia infidelitati adhaeret, ut voluntate absoluta praevalente facere nolit id, quod ecclesia facit, vel si quis tam pertinaci voluntate matrimonium ut sacramentum recuset, ut potius, quam sacramentum ad-

ministrare et recipere, ipsum contractum velit esse invalidum. In eiusmodi casibus intentio requisita sane non subsisteret. *Sed notandum* simul est, quod *Suarez* recte animadvertit: „Hic autem modus intentionis vix haberi potest moraliter loquendo; requirit enim nimiam quandam reflexionem actuum ex odio aut maxima quadam pertinacia profectam“ (D. 13. s. 2. n. 13.) — Item si quis subiectivam evidentiam haberet, sacramentum nullum religiosum valorem habere, vix intentionem requisitam elicere posset, quia nemo intendere potest facere, quod evidenter nihil esse iudicat. Sed *notandum* iterum simul est, eiusmodi evidentiam falsam non facile haberi atque esse valde raram. Quae cum ita sint, eiusmodi casus deficientis intentionis tamen apud haereticos et infideles accidere possunt: et cum insuper iam etiam nonnunquam formam et materiam corrumpant, in singulis casibus, quando haeretici ad ecclesiam revertuntur, sedulo inquirendum est, an recte et valide quoad omnia v. g. baptismus ipsis collatus sit. Huc pertinet responsum, quod die 20. Novembris 1878 *Em. Patres Inquisitores generales* dederunt proposito dubio: *An baptismus sub conditione conferri debeat haereticis, qui se convertunt ad religionem catholicam, a quocunque loco proveniant et ad quamcunque sectam pertineant?* Scilicet responderunt: „Negative, sed in conversione haereticorum, a quocunque loco et quacunque secta venerint, inquirendum de validitate baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit, aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi sunt absolute. Si autem pro tempore et locorum ratione investigatione peracta, nihil sive pro validitate sive pro invaliditate detegatur aut adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tum sub conditione secreto baptizentur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abiurationem seu professionem fidei?“ (D. 1688.). Huc etiam pertinent litterae encyclicae Leonis XIII. idibus Septembribus 1896. datae, quibus ordinationes anglicanas tum ob defectum formae tum ob defectum intentionis invalidas fuisse et esse declaravit.

2. De intentione in subiecto sacramentorum ad validam receptionem requisita. — Quae de subiecto sacramentorum in propria quaestione huius tractatus disputantur, plura iam in praecedentibus quaestionibus expedita sunt, alia in tractatu de sacramentis in specie tractantur, alia ad theologiam moralem potius pertinent. Quare omissa quaestione speciali de subiecto sacramentorum hoc loco duae solum quaestiones de hoc argumento breviter expediendae sunt: prima de intentione in subiecto ad validam receptionem requisita; secunda, utrum in subiecto fides ad validam sacramentorum receptionem requiratur. Iam ad primam quaestionem hunc in modum respondetur: 15.

1) In adultis aliqua positiva voluntas sacramentum suscipiendi ad valorem eiusdem requiritur. — Etenim *primo* iam concilia antiqua prohibuerunt, ne baptismus vel absolutio sacramentalis iis conferrentur adultis, qui usum loquelae amiserint, nisi per testes constet, eos antea voluisse haec sacramenta recipere. Ita *Concilium Carthaginense III.* (a. 397.): „Aegrotantes, si per se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium ii, qui sui sunt, dixerint, baptizentur" (c. 34.). Pariter *Concilium Arausicanum I.* (a. 441.) decrevit: „Subito obmutescens, prout status eius est, baptizari aut poenitentiam accipere potest, si voluntatis aut praeteritae testimonium aliorum verbis habet aut praesentis in suo nutu" (Can. 12.). — *Secundo* idem docet *Innocentius III.*: „Ille, qui nunquam consensit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit sacramenti. Dormientes autem et amentes, si, priusquam amentiam incurrerent aut dormirent, in contradictione persisterent, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, etsi fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt sacramenti. Secus autem, si prius catechumeni exstitissent et habuissent propositum baptizandi. Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariae non invenit obsistentem" (Decret. III. tit. 42. c. 3. *Maiores.*). — *Tertio* ita etiam *Augustinus*: „Cum alii pro eis respondent (i. e. pro infantibus), ut impleatur erga eos celebratio sacramenti, valet utique ad eorum consecrati- 16.

onem, quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat non itidem valet. Ex qua regula illud in evangelio dictum est, quod omnes, cum legitur, naturaliter movet: *Aetatem habet, ipse pro se loquatur*" (De baptismo l. 4. c. 24.). — *Quarto* similiter *Rituale Romanum* iubente *Paulo V.* editum praescribit: „Si quis adultus sit baptizandus, debet prius . . . eius voluntas et propositum saepius explorari et nonnisi sciens et volens baptizari." Et iterum de amentibus praescribit: „Si antequam insanirent suscipiendi baptismi desiderium ostenderint, . . . baptizentur . . . idemque dicendum est de eo, qui lethargo aut phrenesi laborat, ut tantum vigilans et intelligens baptizetur, nisi periculum mortis impendeat, si in eo prius apparuerit baptismi desiderium." Quod autem in his documentis de baptismo dicitur, de ceteris sacramentis a pari vel etiam a fortiori valet, utpote quae minus necessaria sunt, quam baptismus est. — *Quinto* cum documentis allatis concordat universalis et perpetua ecclesiae praxis. — *Sexto* item hac in re communis theologorum consensus exstat, a quo excipiendus est solus *Caietanus*, qui docuit, non requiri in subiecto sacramentorum positivum consensum, sed sufficere, si solum contraria voluntas non obstet vel obex non ponatur. Ad rem *Cardinalis de Lugo*: „Communis et vera sententia tenet requiri ad valorem sacramenti consensum positivum in adulto, qui illud recipit. Hanc docent theologi omnes cum S. Thoma" (Disp. 9. s. 7.). „In sacramentis, ita vero *S. Thomas*, homo debet duo suscipere: sacramentum et rem sacramenti. Ad haec duo non requiritur aliquid causans ex parte recipientis, sed impedimentum removens; et hoc impedimentum nihil aliud est, quam voluntas contraria alteri praedictorum. Hinc in adultis, in quibus solis potest esse voluntas contraria actu vel habitu, requiritur contritio sive devotio ad percipiendam rem sacramenti, et intentio vel voluntas ad recipiendum sacramentum" (In 4. d. 6. q. 1. a. 2. et q. 3.; cf. S. th. 3. p. q. 68. a. 7.). — *Septimo* denique ratio interna huius necessitatis intentionis in subiecto sacramentorum iam in praecedentibus indigitata est atque sic declarari potest: Sacramentorum susceptio initiatio quaedam sive

consecratio necnon religionis professio est; iamvero eiusmodi consecratio vel religionis professio naturae hominis conveniat ideoque tamquam actus humanus ex libera hominis voluntate procedat necesse est; Deus enim unamquamque creaturam modo naturae eiusdem consentaneo regit. Ergo. Recte igitur *Suarez:* „Sicut ad suavem Dei providentiam spectat, non iustificare adultum nec gratiam illi augere sine eius consensu et voluntaria dispositione, ita pari ratione pertinet ad idem providentiae genus, ut nullus adultus per sacramenta initietur vel consecretur sine proprio consensu" (D. 14. s. 3. n. 4.).

17. *Notandum est*, ab assertione statuta excipiendam esse quadam ratione ss. eucharistiam. Cum enim hoc sacramentum non in subiecto humano, sed per consecrationem externae materiae conficiatur, ideo in sua confectione non a voluntate subiecti sed a sola voluntate ministri pendet; et cum praeterea sacramentum permanens sit, neque quatenus permanet vel conservatur, a voluntate suscipientis pendet. Quae cum ita sint, sumptio sacramentalis tamen eiusdem sacramenti item a voluntate suscipientis pendet. Etenim distinguenda est sumptio mere materialis huius sacramenti a sumptione eiusdem sacramentali; ad hanc autem aliqua suscipientis voluntas necessario requiritur. Apposite iterum *Suarez*: „Unde (i. e. ex eo, quod in externa materia conficitur et sacramentum permanens est) fit, ut tale sacramentum reipsa sumi possit ab invito vel non habente voluntatem suscipiendi sacramentum, ut si casu vel per errorem et deceptionem contingat proponi ad manducandum panem consecratum loco communis panis: tamen . . . illa sumptio sacramenti est mere materialis, et non est usus sacramentalis, id est sacer et ordinatus ac sufficiens ad effectum talis sacramenti; nam in eo casu sic recipiens sacramentum non reciperet effectum eius, nec per illam corporalem refectionem interior animae refectio aut unio animae cum Christo significaretur, quia ille non est humanus usus sacramenti, ut sacramentum est; in hoc ergo mysterio ad recipiendum sacramentum etiam requiritur voluntas et consensus suscipientis, si sit capax illius, quantum pro sacra-

menti qualitate et modo requiri potest, scilicet ad formalem usum eius" (Ib.).

18. 2) *In infantibus ad validam sacramentorum, quorum capaces sunt, susceptionem nulla sane intentio requiritur.* — Quod constat ex perpetua et universali praxi paedobaptismi. Etenim cum propter hanc praxin baptismum saltem infantibus collatum validum esse credendum sit, manifesto dicendum est, aut infantes sacramentorum capaces esse sine proprio consensu aut vero Deum illuminando eosdem interius miraculose efficere, ut ratione uti et susceptioni sacramentorum consentire possint; atqui hoc alterum vanum prorsus et falsum est, utpote quod temere et sine ullo fundamento excogitatum est, atque ecclesiae sensui, Patrum doctrinae, necnon ipsi experientiae plane adversatur. Ratio autem congruitatis rei est, quia infantes, sicuti aliena voluntate peccato maculantur, ita etiam aliena voluntate iustificantur. Cf. *S. Augustini* testimonium supra allatum.

19 *Notandum est* amentes vel infantibus aequiparari, si scilicet perpetua amentia laborant, vel inter adultos computari, si, antequam in amentiam inciderunt, usum rationis habuerunt. In illis igitur ad validam sacramentorum, quorum capaces sunt, susceptionem intentio nulla requiritur, in his autem voluntas quaedam positiva habitualis necessaria est. Apposite *S. Thomas:* „In pueris non potest esse contraria voluntas neque actu neque habitu, et ideo non requiritur voluntas vel intentio in eis, qua prohibens removeatur. In amentibus autem et dormientibus potest esse voluntas contraria habitualis, quamvis non sit actualis; et ideo si ante somnum vel furiam, fuerunt contrariae voluntatis, non recipiunt sacramentum, quia adhuc illa voluntas habitualiter manet. Si autem habuerunt propositum recipiendi baptismum, et hoc per aliqua signa innotuit, tunc in articulo necessitatis debet eis conferri baptismus, et suscipiunt sacramentum et rem sacramenti, etiamsi furiosus tunc contradicat, quia illa contradictio non procedit a voluntate rationis, secundum quam est capax baptismalis gratiae. Si autem necessitas non sit, debet exspectari in furiosis lucidum intervallum, vel in dor-

mientibus vigilia; si tamen baptizentur in statu illo, sacramentum suscipiunt, quamvis peccet baptizans" (In 4. d. 6. a. 2. q. 3. ad 2.).

3) Intentio in adultis requisita non est necessario actualis nec virtualis, sed habitualis sufficit. — Etenim *primo* id constat ex conciliis antea citatis, utpote quae decreverunt, baptizandum esse hominem moribundum rationis usu destitutum, dummodo de voluntate eius praeterita sacramentum suscipiendi constet. In eiusmodi enim homine sane non voluntas actualis nec virtualis, sed habitualis solum exstare potest. — *Secundo* idem theologi communiter docent, ut *S. Thomas* (l. c.), *Suarez* (l. c.), *Cardinalis de Lugo* (disp. 9. s. 7.). — *Denique* patet idem ex ratione interna, scilicet ex discrimine, quod inter administrantem et suscipientem sacramentum intercedit; quam rationem optime explicat *Suarez*: „Quia in ministro intentio concurrit aliquo modo ut causa efficiens sacramentum, ideo oportet, ut sit actualis vel saltem virtualis: in suscipiente vero non requiritur ut causa influens in sacramentum efficienter, sed solum, ut conditio ex parte subiecti necessaria, ut sacramenti susceptio sit voluntaria non ut effectus, sed ut obiectum volitum; ad quod satis est, quod aliquis actus praecesserit, qui non sit retractatus, sed habitualiter ac moraliter maneat" (l. c.). **20.**

4) Denique intentio habitualis explicita non requiritur, sed implicita sufficit. — Ratio huius assertionis *primo* est, quia quaelibet voluntas positiva sacramentum suscipiendi ad validam eius susceptionem sufficit; atqui intentio habitualis implicita adhuc censetur esse et reipsa est voluntas positiva obiecti; ergo. — *Secundo* idem constat ex praxi ecclesiae, utpote quae etiam iis moribundis usu sensuum destitutis sacramentum extremae unctionis administrat, qui hoc sacramentum explicite non postularunt, dummodo eorum voluntas christiano more vivendi et moriendi supponi possit; atqui haec voluntas in eiusmodi hominibus solum est voluntas sive intentio habitualis implicita ipsius sacramenti; ergo intentio habitualis implicita ad validam sacramentorum susceptionem sufficit. — Denique *tertio* confirmatur, quia haec communis theologorum **21.**

sententia est. Itaque qui voluntarie baptismum suscipit eoque membrum ecclesiae evadit necnon propositum habet, dignam membro ecclesiae vitam degere, etiam voluntatem vel intentionem sufficientem ad suscipiendum sacramentum confirmationis habet; et qui christiano more vivere vult, etiam, dum matrimonium init, sufficientem intentionem habet suscipiendi ipsum matrimonium ut sacramentum; item, qui voluntatem habet, amplectendi religionem christianam, eo ipso implicitam intentionem habet sacramentum baptismi suscipiendi. Et similiter de aliis sacramentis dicendum est. Ex altera autem parte, qui nullam sacramenti tamquam rei sacrae notitiam habens, sibi ritum externum applicari permittit, neque implicitam sacramenti, ut sacramentum est, intentionem habet ideoque intentione ad validam receptionem requisita destitutus est. Idem dicendum est de eo, qui sacramentalem ritum habens tamquam medium ad magicas artes exercendas, ex hac sola intentione eundem ritum sibi applicari vellet; scilicet nec voluntatem implicitam sacramenti habet. Itaque intentio prae obiecto spectata eadem in ministro et in subiecto sacramentorum requiritur.

22. Aliqui theologi ulterius procedentes docent, in quavis voluntate seria Deo serviendi ideoque gravia saltem divina mandata servandi et consequenter in quavis contritione vel etiam attritione implicite contineri intentionem suscipiendi baptismi; etsi nulla notitia baptismi, immo nec religionis christianae habeatur. *Verumtamen haec opinio parum probabilis est.* Etenim *primo* non satis conciliatur cum documentis magisterii ecclesiasticii supra allatis, quibus accedunt decreta a S. Officio 18. Sept. 1850 et 30. Mart. 1898 lata, quibus statuitur: ut missionarius ethnicum vel Iudaeum moribundum sensibus destitutum licite baptizare possit, non sufficere, ut prudenter praesumat eum saltem attritionem habuisse, sed requiri, ut ex positivis indiciis prudenter iudicare possit, eum habuisse desiderium baptismi vel propositum amplectendi religionem christianam. — *Secundo*, ut modo antea dictum est, intentio obiective spectata eadem in subiecto ac in ministro sacramentorum requiritur ideoque sacramentum, ut sacramen-

tum est, vel ut est ritus sacer et supernaturalis, vel ut est aliquid ad religionem christianam pertinens a subiecto intendi debet; atqui in illa voluntate generali Deo serviendi vel in contritione et attritione haec voluntas spectato obiecto neque implicite continetur; quia voluntas divina, ut est cognita ab eiusmodi homine, sacramentorum receptionem non praescribit; ergo. — *Tertio* cum voluntate habituali implicita sacramenti in eodem subiecto componi non potest voluntas explicita, qua sacramentum repellitur; atqui cum illa voluntate generali Deo serviendi in eodem subiecto componi potest voluntas baptismum recusandi et repellendi; etenim accidere sane potest, ut Iudaeus vel ethnicus propositae ei religionis christianae veritatem non cognoscens servata illa voluntate generali Deo serviendi baptismum recuset et repellat; ergo. — *Quarto* aliis verbis: Voluntas illa generalis explendi divina mandata, prout in homine est, haec mandata respicit, non ut simpliciter in se sunt, sed ut ab eodem cognita sunt vel cognoscentur; atqui paganus vel iudaeus habens eiusmodi voluntatem generalem non cognoscit nec forte unquam cognoscet mandatum baptismum suscipiendi; ergo voluntas illa generalis, prout in eiusmodi homine est, baptismum non absolute, sed conditionate solum respicit; id est: nunc nondum vult ipsum baptismum, quia nondum cognita eiusdem necessitate conditio sub qua vult, non est impleta; sed nunc solum vult postea baptizari, quando vel siquidem id divina voluntate sibi praeceptum esse cognoverit.

Similiter rem declarat *Cardinalis de Lugo* explicans dis- **23.**
crimen, quod est inter generalem voluntatem vivendi et moriendi ut verus christianus relatam ad extremam unctionem suscipiendam ex una parte et voluntatem generalem Deo serviendi ad baptismum suscipiendum relatam ex altera parte: „Nam ille (christianus) volendo in religione catholica vivere et mori, vult more catholicorum gubernari, et eorum ritus recipere, inter quos est ritus dandi talia sacramenta infirmis, atque adeo sufficienter videtur velle ea sacramenta suo tempore recipere. Qui autem Iudaeus erat, profitebatur quidem Iudaismum, et iuxta illius regulas et ritus vivere et gubernari volebat, quia illam religionem iam

examinaverat, et secure se illius legibus committebat: nihil autem cogitaverat de lege evangelica, et ideo non proponebat aut volebat uti eius ritibus et legibus; quamvis enim in communi propositum habebat servandi omnia praecepta Dei, et per consequens implicitum suscipiendi baptismum Christi, si esset praeceptum illius: hoc tamen debebat intelligi. praevio debito examine de veritate evangelii. sine quo examine non poterat obligari ad illud recipiendum; quare non poterat ex vi illius voluntatis Iudaeus dormiens baptizari, cum neque etiam implicite voluisset recipere baptismum, nisi praevio prius examine de illius veritate et necessitate. Sic etiam Gentilis, qui diceret: ego volo audire catechismum: et postea, si convictus fuero et placuerit mihi fides christiana, baptizabor; hic, inquam, non censeretur catechumenus, nec baptizaretur ex vi solius huius voluntatis, quia nondum habuit voluntatem absolutam: atvero Christianus. qui iam examinavit legem evangelicam, absolute vult uti et gubernari legibus et ritibus christianis, quia iam scit, omnia esse sancta et utilia sibi, et ideo ex vi illius voluntatis potest ungi, et potest ei dari eucharistia. Non ergo sufficit illa voluntas generalis contenta in actu attritionis ad valorem baptismi ei, qui nihil unquam de lege christiana aut baptismo audivit: Valeret tamen baptismus, si aliquis religionem christianam corde amplexus esset, licet nihil de baptismo aut eius necessitate audisset; hic enim, licet morbo oppressus sensibus destitueretur, baptizaretur valide, quia voluit absolute hanc religionem amplecti eiusque ritibus. quicunque illi essent, gubernari“ (Disp. 9. s. 7. n. 130.).

24. *Notandum est,* aliquos theologos a statutis regulis excipere sacramenta poenitentiae et matrimonii, quatenus subiecta horum sacramentorum intentionem saltem virtualem habere debent. Verum haec sacramenta apparenter potius, quam reipsa excipiuntur. Etenim in his sacramentis voluntas suscipientis non tantum eo spectat, ut susceptio sacramenti voluntaria sit, sed aliquo modo etiam causa sacramenti est et ideo solum intentio virtualis in suscipiente postulatur. Etenim in sacramento poenitentiae intentio suscipientis eo sensu improprio

virtualis sit oportet, quod, quamvis praeterita sit, sacerdotem ad absolvendum movere debet; quatenus cognita ab eo est et in eius cognitione perseverat. Quod vero matrimonium spectat, similiter intentio suscipientis sensu improprio virtualis dici potest, quatenus consensus unius contrahentium, quamvis in praeterito elicitus sit, ratio vel causa est, ob quam alter consentiat et se obliget et hac ratione priori parti etiam forte dormienti sacramentum administret.

Opponunt primo haec *S. Augustini* verba: „Intrare quis- **25.**
quam ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere sacramentum potest nolens; credere non potest nisi volens" (In Ioan. tr. 26. n. 2.). Idem Augustinus alibi refert, amicum suum Nebridium usu sensuum iam diu destitutum iacentem atque nescientem baptizatum fuisse (Confess. l. 4. c. 4. n. 8.). Ergo ex mente Augustini nulla intentio in suscipiente necessaria esse videtur. — *R.* In primo loco S. Augustinus non de quovis sacramento, sed de sola eucharistia agit, quae ut supra dictum est, excipi debet: vel si de baptismo potius loquatur, de infantibus non de adultis intelligendus est; vel denique si de adultis quoque agat, eos intelligit, qui secundum quid solum nolentes, ut v. g. metu compulsi, simpliciter autem volentes sunt. Quod deinde Nebridium attinet, dicendum est, eum antea iam baptismum petivisse; postea enim de baptismo sibi collato certior factus magnopere gavisus est, quod per suum malum corporale more solito prius ad gratiam baptismi pervenerat.

Secundo opponunt ex historia constare in antiquitate **26.**
plures invitos et reluctantes ordinatos fuisse atque nihilominus eorum ordinationem validam consideratam fuisse. Et alia similia facta obiiciunt. — *R.* Solutionem haec *S. Augustini* verba praebent: „Multi, ut episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta, quae nolunt, donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni" (Epist. ad Donat. 204.). Videlicet haec procedendi ratio ideo aliquando videtur fuisse necessaria, ne propter humilitatem eorum, qui ad munus episcopale aptissimi erant, ecclesia dignis pastoribus careret. Profecto autem eadem procedendi ratio

valorem ordinationis non impediebat, quia non sine consensu suo per vim ordinabantur, sed ad consensum suum exhibendum compellebantur. Similiter de aliis factis obiectis iudicandum est.

27. *Tertio opponunt* haec *Innocentii III.* verba ex testimonio supra allato deprompta: „Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariae non invenit obsistentem:" quibus doceri affirmant, ad valorem baptismi necessarium quidem esse, ut subiectum eiusdem voluntatem dissentientem non habeat, minime vero, ut positive consentiat. — *R.* Ex contextu apertum est, Innocentium positivum consensum in subiecto baptismi postulare: quare per contrariam voluntatem intelligit voluntatem, qua prior voluntas suscipiendi baptismum retractata est; unde absentia contrariae voluntatis ei nihil aliud, quam positivus consensus est.

28. *Quarto opponunt* decretum *Eugenii IV.*, quo docet, ad sacramentorum valorem tria concurrere: materiam, formam, et personam ministri cum intentione faciendi, quod facit ecclesia: si autem consensus subiecti ad valorem requireretur, id illis tribus tamquam quartum adiiciendum fuisset. — *R.* Eugenius IV. ideo expressam mentionem intentionis subiecti omisit, quia ea nec in omnibus sacramentis, cum ss. eucharistia excipiatur, nec in omnibus suscipientibus, cum infantes excipiendi sint, ad valorem requiritur. Ceterum pontifex implicite etiam intentionem subiecti commemoravit materiam nominans: videlicet intentio subiecti ad dispositionem eiusdem spectat: haec autem ad materiam sacramenti pertinet, utpote quod passionem aliquam dicit, quae circa suscipientem versatur: quare v. g. materia baptismi est ablutio hominis volentis, si quidem propriae voluntatis capax est.

29. *Quinto denique opponunt* hunc in modum: In infantibus nullus consensus ad valorem sacramenti requiritur; ergo neque in adultis: et consequentia patet, quia quod ad valorem vel essentiam spectat, semper adesse debet. — *R. n.* paritatem. Etenim consensus proprii adulti quidem, non autem infantes capaces sunt: quare infantium quidem, non autem adultorum consensus per parentes vel ecclesiam suppleri potest. *Ad*

prob. d.: Quod necessarium est ad valorem tamquam pars essentialis vel constituens sacramenti debet semper adesse *c.* quod necessarium est tamquam dispositio subiecti *sbd.* id debet adesse, si subiectum eius capax est *c.* secus *n.*; ceterum eiusmodi necessitas ultimo a libera voluntate Christi institutoris pendere intelligitur.

3. De fide subiecti sacramentorum. — Altera **30.** quaestio de subiecto sacramentorum est, utrum ad validam sacramentorum susceptionem fides in subiecto requiratur atque saltem fides eorum, quae de necessitate salutis creduntur, ut: Deum esse et Deum remuneratorem esse. Iam haec quaestio duabus assertionibus facile expeditur:

1) Ad validam sacramentorum susceptionem non requiritur fides recta vel integra. — Et *primo* quidem hoc manifesto constat ex praxi et sensu ipsius ecclesiae, quae, ut supra iam ostensum est, inde ab origine sua rata habuit et declaravit sacramenta in haeresi suscepta. Ergo valor sacramentorum sicuti a fide ministri ita a recta vel integra fide suscipientium independens est, quia secus ecclesia sacramenta illa in haeresi suscepta rata habens et declarans in perniciosum errorem incidisset. — *Secundo S. Augustinus* etiam hoc doctrinae caput magno cum vigore contra Donatistas defendit. Sic v. g. contra Parmenianum Donatistam agens allato huius dicto: „Qui male credidit, consequi non potest baptismi sacramentum, quia scriptum est: *Perversum non potes adorare*“, respondet: *Perversum non potes adorare*, quia non ei ad ornamentum valeret sacramentum, quod acceperat, si in fide perversa persisteret, sed potius ad supplicium; cum tamen ipsum sacramentum per se etiam in perverso, quem non ornabat sed iudicabat, integrum permaneret, et ideo nullo modo esset illius sacramenti violanda sanctitas, etiam cum esset illius hominis corrigenda perversitas“ (Cont Parmenian. l. 2. c. 16.). — *Tertio* haec est communis theologorum sententia. Audiatur *S. Thomas* de sacramento baptismi agens: „Recta fides baptizandi non requiritur ex necessitate ad baptismum, sicut nec recta fides baptizantis, dummodo adsint cetera, quae sunt de necessitate sacramenti; non enim sacra-

mentum perficitur per iustitiam hominis dantis vel suscipientis baptismum sed per virtutem Dei" (S. th. 3. p. q. 68. a. 8.).

31. 2) *Per se nulla fides in suscipiente requiritur neque fides in Deum existentem et Deum remuneratorem.* — Etenim *primo* idipsum *S. Augustinus* docere videtur: „Nec interest, inquit, cum de sacramenti integritate et sanctitate tractatur, quid credat et quali fide imbutus sit ille, qui accipit sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad sacramenti quaestionem nihil interest. Fieri enim potest, ut homo integrum habeat sacramentum et perversam fidem" (De baptismo l. 3. c. 14.). — *Secundo* idem patet ex consideratione matrimonii et omnium eorum sacramentorum, quae iterari non possunt. Etenim matrimonii sacramentum validum est etiam a christiano prorsus infideli contractum, dummodo verum matrimonium inire voluerit. Deinde vero sacramenta characterem imprimentia necnon sacramentum matrimonii durante eodem coniugio et extremae unctionis durante eodem morbo non iterantur, etsi suscipientes omni fide caruerint, dummodo ritus essentialis servatus fuerit et necessaria intentio in ministro et subiecto non defecerit. Ergo sacramenta tamquam valida considerantur independenter ab omni suscipientis fide. — *Tertio* denique ex natura rei idem sequitur. Et imprimis quidem plena infidelitas non tollit sacramentum susceptum, ut manifestum est quoad sacramenta characterem imprimentia, cum character indelebilis sit: ergo neque impedit sacramentum suscipiendum vel saltem nulla huius rei ratio apparet. Insuper distinguendum accurate est inter sacramentum ipsum et effectum gratiae; porro dispositiones subiecti omnes excepta una, intentione, non ipsum sacramentum sive valorem eiusdem, sed potius effectum gratiae spectant; ergo carentia ceterarum dispositionum ideoque ipsius fidei defectus effectum gratiae quidem, non autem ipsum sacramentum vel eius valorem impediunt. Et ratio interna est, quia nulla dispositio praeter intentionem praedictam in ullo genere rationem causae prae sacramento conficiendo habet.

32. *Notetur primo* excipiendum esse ab assertione secunda sacramentum poenitentiae. Ratio est, quia actus poenitentis

non solum ad instar dispositionis sunt, sed partem essentialem sacramenti constituunt; illi vero actus sine fide haberi nequeunt.

Notetur secundo, ex argumentis allatis patere, neque ullam aliam dispositionem subiecti, ut spem, attritionem etc. ad validam sacramentorum susceptionem requiri.

Opponunt primo, quod secundum Apostolum „*accedentem ad Deum oportet credere, quia est et inquirentibus se remunerator sit*“ (Hebr. 11, 6.). — *R.* Fides necessaria esse declaratur ad salutem vel ad rem sacramenti, non vero ad ipsum sacramentum sive eius valorem.

Opponunt secundo, fidem aliquam subiecti ideo necessariam esse, quia sine ulla fide neque intentio necessaria haberi possit. — *R.* Si hoc verum esset, fides non per se vel propter se, sed per accidens vel propter aliud necessaria esset; sed quod sumitur falsum est, ut supra iam ostensum est, ubi eadem difficultas quoad intentionem ministri repulsa est.

Quaestio sexta.

De sacramentorum numero et ordine.

Articulus unicus.

Thesis 27. **Sacramenta novae legis ita certo continentur numero, ut nec plura sint nec pauciora, quam septem.**

Declaratio.

1. Doctrina haereticorum. — Praesens quaestio tota uno tantum articulo et una thesi adiectis aliquibus corollariis commode absolvitur. Numerus septenarius sacramentorum contra haereticos defenditur; in corollariis quidam ordo eorundem statuitur. Iamvero novatores saeculi 16., cum inter se, ut generatim solent, de numero quoque sacramentorum dissentirent, omnes tamen in numero septenario reiiciendo conve- 1.

nerunt. Et *Lutherus* quidem initio suae defectionis adhuc septem sacramenta retinens, ut apparet ex „sermone de novo testamento" (n. 24.) anno 1520 habito, mox tamen tria solum agnovit; scilicet eodem adhuc anno initio libri „de captivitate babylonica" ita scribit: „Principio neganda mihi sunt septem sacramenta et tantum tria pro tempore ponenda: baptismus, poenitentia, panis". Sed sibimet ipse non cohaerens paulo inferius animadvertit: „Quamquam si usu scripturae loqui velim, nonnisi unum sacramentum habeam et tria sacramentalia signa;" atque in fine demum eiusdem libri declarat: „Si rigide loqui volumus, tantum duo sunt in ecclesia Dei sacramenta, baptismus et panis." Paulo post iterum mutata sententia etiam poenitentiam sacramentum esse agnovit: „Poenitentiam cum virtute clavium absolventium, sacramentum libenter confitemur; habet enim promissionem et fidem remissionis peccatorum propter Christum" (De missa privata). Denique in priorem sententiam relabens in tractatu „de adoratione sacramenti" iterum docet, duo esse sacramenta: baptismum et coenam Domini. — Item *Melanchton* quoad numerum sacramentorum anceps haesit. In prima editione „locorum communium" (1522.) duo tantum sacramenta, baptismum et coenam, admittit; in „Apologia confessionis Augustanae" (1530.) poenitentiam tamquam tertium adiecit: denique in posterioribus „locorum" editionibus etiam quartum addidit, ordinationem: „Mihi maxime placet etiam addi ordinationem, ut vocant, id est, vocationem ad ministerium evangelii, quia haec etiam evangelico mandato praecipitur, et addita est promissio." — *Zwinglius* duo sacramenta esse docuit, baptismum et coenam; *Calvinus* vero praeter haec duo etiam ordinationem admisit, eam tamen cum duobus prioribus connumerare noluit, quia non communiter pro omnibus fidelibus destinata esset. — Denique *recentes Protestantes* communiter duo illa solum sacramenta retinent: baptismum et coenam; neque vero his sacramentis multi ullum momentum tribuunt, cum vel ipsius baptismi necessitatem iam infitientur.

2. ***2. Doctrina catholica.*** — Contra novatores haereticos *Concilium Tridentinum* catholicam doctrinam sollemniter de-

finivit: „Si quis dixerit, sacramenta novae legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet: baptismum, confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum, a. s." (Sess. 7. can. 1.).

3. ***Ratio demonstrationis.*** — Numeri septenarii sacramentorum duplex potest esse demonstratio; altera, qua singulorum sacramentorum veritas ex Scriptura vel Traditione demonstratur et deinde ex connumeratione numerus septenarius infertur; altera, qua ipse numerus septenarius ut talis immediate demonstratur. Haec altera vero hoc loco adhibenda est, cum prior ad tractatus de sacramentis singulis in specie spectet. Porro, quia nullum certum sive Scripturae sive etiam Traditionis saeculo 12. antiquius documentum exstat, in quo una serie septem sacramenta enumerentur, non directis sed indirectis potius argumentis evincendum est, fidem in septenarium sacramentorum numerum ex divina revelatione originem suam ducere. Scilicet infertur haec origo ex consensu universali, qui in ea re in ecclesia catholica et in communitatibus christianis orientalibus ante exortam haeresin Protestantismi viguit et etiam nunc viget. 3.

Demonstratio.

4. ***1. Probatur ex diserta professione ecclesiae catholicae inde a saeculo 12.*** — Quod argumentum ita proponitur, ut primo veritas historica huius professionis ostendatur, deinde ex eadem argumentum theologicum efformetur.

1) Veritas historica ostenditur. — Professionem illam viguisse per quatuor continua saecula, *i. e. a saeculo 13. usque ad saeculum 16.*, quando novatores haeretici antiquam et traditam doctrinam reliquerunt et impugnarunt, res prorsus manifesta est. Et *primo* quidem ut hic quoque a manifestioribus ad minus manifesta, a propinquioribus ad magis remota progressus fiat, saeculo 16. *Concilium Tridentinum* communem fidem sollemniter contra haereticos vindicavit decreto iam 4.

supra allato. — *Deinde* de communi fide saeculi 15. testatur *concilium Florentinum* in decreto pro Armenis: „Novae legis septem sunt sacramenta: videlicet baptismus, confirmatio, eucharistia, poenitentia, extrema unctio, ordo et matrimonium, quae multum a sacramentis differunt antiquae legis.“ — *Praeterea* saeculo 14. eiusdem fidei testis est *Concilium Constantiense*, utpote quod inter articulos de quibus haeresis suspecti interrogandi essent, sacramenta omnia expresse enumerat excepto ordine, de quo nulla erat dubitatio; ceterum hoc quoque sacramentum implicite satis clare proponitur (cf. Denzinger, enchir. 559. ss.). — *Item* saeculo 13. communis haec fides fuit. Imprimis id constat ex professione fidei *ab Innocentio III.* (1210) Waldensibus praescripta, in qua omnia septem sacramenta enumerantur eorumque ratio clare determinatur (cf. *Denzinger*, l. c. n. 370.). Deinde huc pertinent constitutiones *Richardi Poore*, episcopi Sarum in Anglia a. 1217. editae (Harduin 7, 87.); statuta edita a. 1222. per *Stephanum Langton*, archiepiscopum Cantuariensem (*Mansi* 22, 1173.); capitula *Concilii Londinensis* praeside legato sedis Apostolicae a. 1297. celebrati (*Harduin* 7, 294.); ‚constitutiones synodales‘ anglicae eodem anno editae (ibid. p. 303.). Concilium Londinense v. g. sic declarat: „Sacramenta principalia (i. e. stricte dicta), quae et quot sunt, propter simpliciores ducimus exprimenda: sunt enim baptismus, confirmatio, poenitentia, eucharistia, extrema unctio, matrimonium et ordo.“

5. Eadem fides viguit *saeculo 12.* Imprimis huc spectat vita *S. Ottonis* episcopi Bambergensis et apostoli Pomeranorum, in qua *Herbordus* aliquam communicat catechesin sibi a comitibus et sociis s. episcopi Tiemone et Sefrido relatam, qua S. Otto e vita discessurus breve doctrinae christianae compendium fidelibus reliquit. In hac autem catechesi omnia septem sacramenta enumerantur atque singulorum finis et natura describuntur: „Discessurus a vobis trado vobis, quae tradita sunt nobis a Domino, arrham fidei sanctae inter vos et Deum, septem videlicet sacramenta ecclesiae, quasi septem significativa dona Spiritus Sancti. Videte ergo et tenete, ut

sciatis diligenter enumerare, quae tradimus vobis discedentes a vobis. Primum ergo sacramentum est, quo iam imbuti estis, sacrosanctus baptismus . . .: quicunque sine illo de hac vita emigraverit, et regno Dei carebit et insuper maledicti originalis poenas luet aeternas. Secundum sacramentum est confirmatio, i. e. unctio chrismatis in fronte. Hoc sacramentum victuris est necessarium, videlicet ut Spiritus Sancti corroboratione muniantur et armentur contra omnes tentationes et nequitias vitae praesentis pugnaturi . . . Tertium sacramentum est unctio infirmorum, quod ideo morituris est necessarium, quia in illa unctione per virtutem Spiritus Sancti remissio datur peccatorum, et ipse, qui moriturus est, contra spirituales nequitias, i. e. contra malignos spiritus in exitu vitae animabus insidiantes, eadem Spiritus Sancti virtute pugnaturus armatur . . . Quartum sacramentum est eucharistia, i. e. corpus et sanguis Domini. Hoc sacramentum et victuris et morituris est necessarium. Sive vivimus sive morimur, hoc viatico semper est utendum. Est enim cibus animae verus vitam in se habens aeternam . . . Quintum sacramentum est per poenitentiam reconciliatio lapsorum . . . Sextum sacramentum est coniugium, i. e. copula matrimonialis. Quinque autem superiora sacramenta quasi generalia sunt et omni christiano necessaria, istud autem quasi particulare est, quia non omnibus necessarium . . . Septimum sacramentum est ordinatio sive consecratio clericorum. Quod et ipsum particulare est et non generale, quia non omni homini necessarium . . . Ista igitur septem sacramenta, quae iterum vestri causa enumerare libet, i. e. baptismum, confirmationem, infirmorum unctionem, eucharistiam, lapsorum reconciliationem, coniugium et ordines, per nos, humiles suos paranymphos, sponsus coelestis in arrham verae dilectionis vobis Ecclesiae ac sponsae suae transmittere dignatus est. Quapropter omni honore ac reverentia eadem sacramenta servate, diligite et veneramini; docete ea filios vestros, ut memoriter teneant et diligenter observent in omnes generationes" (cf. *Acta SS. Boll.* in vita S. Ottonis 2. Iul. 396.). — Eodem saeculo episcopus *Gregorius Bergomensis* (1133—1146) in opusculo de veritate

corporis Christi contra Berengarium scripto haec habet: „Verum ne quis occasione dictorum existimet tet esse sacramenta. quot sunt, quibus congruit sacramenti vocabulum, scire debemus, ea solum esse ecclesiae sacramenta, a servatore nostro Iesu instituta, quae in medicinam nobis tradita fuere, et haec numero adimplentur septenario“ (cf. Zeitschrift für kath. Theologie 1878. p. 800.). — Item *Magister Rolandus* (Bandinellus), postea *Alexander III. S. P.* in ‚sententiis' circa annum 1150 compositis septem sacramenta singulatim enumerat (Cf. *Gietl*, Die Sentenzen Rolands p. 154 ss. c. nota 194 ss.). — Iterum eodem saeculo (1179.) septem sacramenta esse exhibentur in ‚constitutionibus synodicis' *Odonis* episcopi Parisiensis (cf. *Harduin*, t. 6. p. 2. pag. 1938.). — Ulterius in opere „de caeremoniis, sacramentis, officiis et observationibus ecclesiasticis“ explicite statuitur: „Septem sunt principalia sacramenta, quae in ecclesia ministrantur, quorum quinque generalia sunt, quia ab iis neuter sexus, nulla aetas, condicio nulla excluditur, videlicet baptismus, confirmatio, eucharistia, poenitentia, unctio infirmorum. Duo particularia sunt, eo quod non tribuuntur omnibus, sed quibusdam hominibus, ordines scilicet et coniugium“ (L. 1. c. 12.). Quod opus Hugoni Victorino a quibusdam, ab aliis Roberto Paululo adscribitur. — Deinde *Hugo Victorinus* omnia septem sacramenta expresse enumerat (opus de sacramentis). — Item *Petrus Lombardus*, postquam definivit: „sacramentum proprie dicitur, quod ita signum est gratiae Dei et invisibilis gratiae forma, ut ipsius imaginem gerat et causa existat“ (in 4. d. 1.), postea pergit: „Iam ad sacramenta novae legis accedamus, quae sunt baptismus, confirmatio, panis benedictio i. e. eucharistia, poenitentia, unctio extrema, ordo, coniugium“ (D. 2.). — Denique ita omnes deinceps Scholastici, ut *Petrus Pictaviensis*, immediatus Magistri in cathedra successor: „Sacramentorum novae legis alia sunt necessaria vel generalia, alia specialia, quae et voluntaria dicuntur. Necessaria sunt, sine quibus vix habetur salus, ut baptismus, confirmatio, eucharistia, poenitentia, unctio extrema.

Voluntaria sunt, sine quibus potest haberi salus, ut ordo, coniugium" (Sent. p. 5.).

Excipiunt Protestantes, ut *Harnack* (Dogmengeschichte III, 463 ss.) et *Hahn* (die Lehre von den Sakramenten p. 112.) doctrinam de septenario sacramentorum numero hac ratione ortam esse, quod Petrus Lombardus, quae apud Hugonem Victorinum et Robertum Pullum (Paululum) invenerit, sacramenta enumeraverit. — *R. n.* Etenim *primo* S. Otto et Gregorius Bergomensis iam ante Hugonem et Pullum septenarium sacramentorum numerum docent eumque ad fidem pertinere dicunt. *Praeterea* non tantum aliqua, sed omnia septem sacramenta enumerant Hugo et quicunque auctor est operis citati „de caeremoniis etc." sive Pullus sive ipse Victorinus. 6.

Excipiunt praeterea quidam, fidem Herbordi, qui Ottonis vitam scripsit, valde dubiam esse, utpote quae vita longiores orationes contineat, quae inventae vel saltem additamentis pluribus exornatae esse videantur. — *R.* Sive catechesis Ottonis genuina est, sive non, Herbordus certe, qui Ottonis aequalis fuit, testis fide dignus professionis universalis est, qua tunc in ecclesia septem sacramenta agnoscebantur. Hac enim in re nec si voluit, decipere potuit.

2) *Ex historica veritate statuta doctrina catholica demonstratur.* — Illa scilicet communis professio expressa septenarii sacramentorum numeri non solum erat communis quaedam opinio cuiuscunque rationis extrinsecus manifestata, sed communis fidei in veritatem revelatam characteres habet, ut facile patet ex initio et progressu communis huius professionis. Etenim cum methodica et scientifica tractatio de sacramentis, maxime de sacramentis in genere ante saeculum duodecimum vix institueretur, theologi eius aetatis eam aggredientes sua procedendi ratione produnt, ex ipsorum persuasione de re agi, quae ad fidem pertineat, et sollemni ecclesiae usu fixa atque rata sit. Hinc omnia et singula sacramenta, quae in explicita fide et publico ecclesiae usu inveniebant considerantes, inquirebant, quid proprium singulis, quid commune omnibus esset atque hoc ab illo discernentes notionem genericam vel communem sacramentorum statuerunt. Ex qua notione deinde 7.

connumeratio sacramentorum sub uno numero septenario sponte enata est citra omnem inter theologos dubitationem et controversiam. Hoc enim doctrinae caput ad fidem pertinere, ita certum erat theologis, ut non adeo de ipso numero sacramentorum, quam de convenientia numeri septenarii quaestionem vel disputationem instituerent. Apposite *Soto:* „Non quaeritur de numeri certitudine; illa si quidem ecclesiae traditione et usu citra disputationem constantissima est; sed de eius convenientia" (In 4. d. 1. q. 6. a. 1.). Cum doctrina vero theologorum praedicatio ecclesiastica et communis fides pari passu evolutae sunt. Quod igitur eo usque in communi fide et professione eiusdem magis implicite continebatur, nondum clare distincto communi a proprio, idem iam deinceps cum hac distinctione in explicita fidei professione esse coepit et accedentibus mox decretis ecclesiasticis haec professio universalis evasit. Certum igitur est, ecclesiam catholicam per plura continuo saecula tam theoretice quam practice ut dogma fidei professam esse septenarium sacramentorum numerum ita, ut omnis dubitatio et controversia exclusae essent. Iamvero caput doctrinae, quod universa ecclesia per plura continuo saecula tamquam dogma fidei profitetur, necessario ex apostolica traditione derivatur: ecclesia enim tota deficere nequit. Ergo doctrina de septenario sacramentorum numero dogma revelatum est.

8. ***2. Ex consensu Graecorum schismaticorum aliarumque sectarum cum ecclesia catholica.*** — Item ad hoc argumentum in sua luce ponendum prius ipsa veritas historica huius consensus ostendenda, deinde ex eodem consensu argumentum theologicum efformandum est.

l) Veritas historica ostenditur. — *Primum huius veritatis argumentum* est, quod nulla unquam de numero sacramentorum septenario inter catholicos et schismaticos orientales quaestio habita est. Cum enim a saeculo 11. frequenter et vel in duobus conciliis oecumenicis, lugdunensi et florentino, de reconciliatione Schismaticorum cum catholicis inter hos et illos ageretur et singula quaeque capita differentiarum doctrinae recenserentur, nulla tamen unquam quoad numerum

sacramentorum differentia notata est; immo ipsi theologi Orientales hac in re plenum consensum vigere tum in operibus theologicis editis tum vel in publicis fidei documentis expresse confessi sunt. Huc pertinet professio fidei *Michaelis Palaeologi* a. 1374. *Gregorio X.* oblata, in quâ haec habentur: „Tenet etiam et docet eadem sancta Romana ecclesia, septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet baptisma, de quo dictum est supra; aliud est sacramentum confirmationis, quod per manuum impositionem episcopi confertur, chrismando renatos; aliud est poenitentia, aliud eucharistia, aliud sacramentum ordinis, aliud est matrimonium, aliud extrema unctio, quae secundum doctrinam beati Iacobi infirmantibus adhibetur" (cf. Denzinger n. 388.).

Secundo idem patet ex euchologiis sive libris liturgicis necnon operibus theologicis, quae ad saeculum sextum et quintum usque pertingunt. Eadem enim, quae nunc profitemur septem sacramenta, in iisdem exhibentur. — De quo argumento conferri possunt: *Euseb. Renaudot*, Liturgiae orientales; *Goar*, Euchologia Graecorum; *Schelstrate*, acta orientalis ecclesiae; *Leo Allatius*, de perpetua occid. et orient. ecclesiae consensione; *Petrus Arcudius*, de concordia ecclesiae orient. et occid. in septem sacramentorum administratione. 9.

Tertio imprimis splendidum argumentum consensionis Catholicorum et Graecorum hac in re praebent ea, quae saec. 16. et 17. inter Graecos et Protestantes acta sunt, cum hi illos in suas partes trahere conarentur: Primus Protestantium Graecos in suam partem trahere conatus est *Melanchthon*. Hic enim a. 1559. ad *Ioasaph II.* patriarcham Constantinopolitanum epistolam scripsit atque simul graecam confessionis Augustanae versionem misit, qua scilicet nullam inter hanc et Graecorum fidem dissonantiam esse ostenderet. Verum repulsam tulit, cum Patriarcha neque respondere dignaretur. — Neque magis prospera actio fuit, quam postea Professores quidam Tübingenses duce *Martino Crusio* instituerunt. Cum scilicet ad *Patriarcham Ieremiam* aliosque Graeco litteras confessionem Augustanam eiusque explicationem atque sermones necnon pro argumentis pecuniam 10.

simul atque alia dona misissent. Patriarcha anno 1576. longa epistola respondit: „Respondebimus nihil nostrum afferentes, sed ex sanctis septem oecumenicis synodis et ex sententia ss. doctorum interpretumque divinitus inspiratae scripturae, quos catholica ecclesia unanimi consensu recepit.“ Deinde in cap. 7. de sacramentis agens ait: „Dicimus, praeclare nobis ss. Patres tradidisse, unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam esse . . . in ea item ipsa catholica et orthodoxa ecclesia septem divina sacramenta esse: baptismum sc., sacri chrismatis unctionem, sacram communionem, ordinem, matrimonium, poenitentiam et extremae unctionis oleum. Nam cum dona Spiritus Sancti septem sint, septem item sacramenta, quae ab eodem Spiritu Sancto vim efficiendi habent sint oportet; non plura nec pauciora esse vel ipsa rei partitio demonstrat . . . Et haec quidem omnia salutis nostrae remedia ipse Iesus Christus Deus et Dominus noster nobis tradidit et sancti eius apostoli.“ Deinde aliquo tempore post Patriarcha, cum iterum a Protestantibus urgeretur eandem doctrinam denuo inculcat atque finem facit haec scribens: „Omnia autem sacramenta haec Christus tradidit et divini eius discipuli . . . Haec brevi compositione de septem ecclesiae mysteriis dicta sufficiant, quae nos pie retinemus.“ Cum vero tertio Protestantes ipsi molesti essent idem Patriarcha, postquam doctrinae suae capita resumpsit, indignabundus iam iisdem obiecit: „E sacramentis quaedam admittitis, sed cum errore, quippe pervertentes et mutantes in his etiam antiquae et novae doctrinae dicta ad scopum vestrum, quaedam vero ne sacramenta quidem esse dicitis . . . indeque vosmet theologos vocatis.“ Et in fine addit: „Rogamus itaque vos, ne posthac labores nobis exhibeatis neque de iisdem scribatis et scripta mittatis. Nam theologos, qui ecclesiae lumina fuerunt, alios aliter tractatis, et verbis quidem honoratis extollitisque factis vero reiicitis . . . Vestram igitur viam ineuntes ne amplius de dogmatibus, sed amicitiae tantum causa, si volueritis scribite“ (*Schelstrate*, acta eccles. orient. pp. 246. et 249 ss.). — Meliore successu quam Lutherani Ieremiam Patriarcham circiter 50 annis post Cal-

viniani *Cyrillum Lucarim* Patriarcham sibi conciliare atque in suas partes trahere conati sunt. Hic enim patriarcha reipsa calvinianis artibus et fraudibus captus eorum doctrinam spargere coepit atque duo tantum esse sacramenta docuit. Verum tribus synodis ab episcopis orientalibus habitis, Constantinopoli a. 1638. et 1642. et Hierosolymis a. 1672. tamquam haereticus damnatus est. Prima enim ex illis synodis sic definivit: „Anathema Cyrillo nova dogmata fabricanti et credenti, non esse ex institutione Iesu Christi neque apostolorum traditione praxique perpetua septem ecclesiae sacramenta, baptismum sc., chrisma, poenitentiam eucharistiam, sacerdotium, extremam unctionem et matrimonium: sed falso asserenti duo tantum a Christo in evangelio data esse aut instituta, baptismum et eucharistiam.“ Quam damnationem duae illae synodae subsequentes repetierunt.

Quarto hanc fidem nunc quoque orientales schismatici **11.** *profitentur*, ut multis argumentis vel documentis constat. Quando enim v. g. Protestantes, Russi, Veteres catholici unionis ineundae causa a. 1874. Bonnae convenerunt, orientalium nomine Ianyschew academiae Petroburgensis rector, statim ab initio postulavit, ut priusquam singulae quaestiones tractarentur, omnes fidem suam profiterentur in symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum, septem oecumenica concilia, septem ecclesiae sacramenta. Cum vero Döllinger doctrinam de septenario sacramentorum numero a septem oecumenicis conciliis non proponi opponeret, Ianyschew respondit: „Doctrina haec continetur et vetere utriusque ecclesiae praxi liturgica et scriptis Patrum a Conciliis approbatorum, qui quidem sacramenta, quamvis non explicite enumerent, unumquodque eorum tamen absque dubio agnoscunt. A tribus igitur illis, quae dicta sunt, recedi nullo modo potest“ (cf. *H. Reusch*, Bericht über die am 14., 15. u. 16. September zu Bonn gehaltenen Unionsconferenzen). — De praesente Russorum hac in re fide etiam testantur opera a *Maltzew* Russo de re sacramentaria et liturgica Russorum edita.

Denique quinto non solum schismatici orientales, verum **12.** *etiam haeretici orientales*, qui iam saeculo 5. ab ecclesia

divulsi sunt, fidem de septenario sacramentorum numero retinent ac profitentur. Ita Nestoriani et Monophysitae. De qua eorum fide testantur tum confessiones ab ipsorum episcopis tunc editae, quando Protestantium errores eis innotescebant, tum libri eorundem liturgici, tum sollemnis et publicus apud ipsos usus, tum denique libri, quos ipsorum aliqui de sacramentis composuerunt. Quod argumentum fuse exponunt *Renaudot*, op. cit. tom. 3. cc. 18—20.; *Ioannes Sollerus* apud Bolland. tom. 5. Iunii p. 147. ss.; *Galanus*, concordia ecclesiae armenae cum romana p. 439 ss.; *Nayronus*, enoplia fidei p. 2. pag. 117. ss.: *Assemanni*, bibliotheca orientalis t. 2. dissert. de monophys. n. 5 et t. 3. p. 2. c. 7. p. 240 ss.; *Serpos*, compend. stor. di memor. cronol. concernenti la relig. e la morale della nazione Armena vol. 3.; *auctor operis:* Perpetuité de la foi, t. 3. l. 8. c. 18. ss.; *Denzinger*, ritus orientalium.

13. Itaque ex his aliisque monumentis historicis, certo constat, schismaticos et haereticos orientales omnes: graecos, russos, syros, chaldaeos, armenos, aegyptios communi fide et consensione semper usque ad hanc aetatem in septenarium sacramentorum numerum convenisse ita, ut nulla hac in re differentia eos ab ecclesia catholica separaret.

14. 2) *Ex veritate historica demonstrata argumentum eruitur.* — Etenim consensio de septenario sacramentorum numero exstitit, ut dictum est, tum inter omnes coetus orientales tam schismaticos quam haereticos, tum inter eosdem et ecclesiam catholicam; et quidem exstitit non tantum saeculo 17. sed etiam s. 16. 15. 14. 11. 9. imo etiam 5. Profecto enim haeretici diversi, cum diversis istis temporibus ab ecclesia deficerent, fidem in septem sacramenta habuisse et in separatione retinuisse evidenter dicendi sunt. Etenim coetus illos omnes postea cum ecclesia catholica in eandem fidem conspirasse, incredibile prorsus est tum in se, tum praesertim quia illi orientales imprimis Graeci semper infensissimi contra Latinos atque suarum opinionum et consuetudinum tenacissimi erant ita, ut levissimas quasque causas vel ad meram disciplinam pertinentes tamquam separationis rationes praetende-

rent. Quae cum ita sint, evidenter dicendum est, fidem in septenarium sacramentorum numerum iam saeculo 5. communem fuisse eamque igitur ex apostolica traditione derivari. Etenim inconcussa fidei axiomata sunt, quae iam antiqui ecclesiae Patres enuntiarunt: „Ecquid verisimile est, ut tot ac tantae ecclesiae in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus est exitus. Variasse debuerat error doctrinae ecclesiarum: ceterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum" (*Tertullianus*, de praescr. n. 28.). „Quod universa tenet ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi apostolica auctoritate traditum rectissime creditur" (*Augustinus*, de bapt. l. 4. c. 24.; cf. *Vincentius Lirinensis*, commonitorium.). Et certe, ut iam supra dictum est, secus ipsa communitas Christi fidelium tota errasse atque defecisse dicenda esset. Ergo.

15. *Paulo aliter et magis historice vel philosophice argumentum sic efformari potest*: Consensio, de qua agitur universalis est tum extensione, quia apud omnes gentes christianas invenitur, tum duratione, quia per plus quam mille annos ad saeculum 5. usque ascendit; et praeterea obiectum habet non speculativum aliquod dogma, sed dogma practicum in publico et permanenti usu omnium fidelium positum. Iamvero concipi nequit, universam christianorum communitatem in unum eundemque errorem talis rationis convenire atque in eadem consensione permanenti per mille et amplius annos permanere. Ergo eadem consensio ex apostolica traditione descendat necesse est. „Sane supponamus, ita egregie *Hurter*, hoc dogma non esse originis apostolicae; erit ergo, ut contendunt Protestantes, innovatio humana atque proinde fidei apostolicae corruptio. Atqui primo omnis innovationis in fide, saltem alicuius momenti, scimus parentes, patriam, annum nativitatis adiuncta etc., ut inductione constat: ergo haec omnia sciremus etiam de hac doctrina, si revera esset inventum humanum. Atqui secundo induci non potuit fidei et praxis christianae corruptio, quin commoveretur ecclesia, excitarentur patres, reclamarent episcopi, cogerentur concilia atque sequeretur innovationis damnatio, ut iterum inductione lucu-

lenta omnium fere saeculorum comprobatur; eoque magis secuta esset commotio, quod ageretur de re magni momenti, practica, quotidiana, a quo plurimum pendet vita christiana, ecclesiae disciplina totumque eius ministerium et quidem in coetu amplissimo. Sicut enim corpus organicum vivum conturbatur et commovetur, si in se receperit venenum vel aliam substantiam noxiam, donec illud evomuerit vel eiecerit, et eo vehementior est organismi commotio, quo corpus est perfectius et sanius, et quo venenum magis noxium: ita a simili ecclesia, quo perfectior eius vita, eo magis commovetur, si aliqua innovatio afficit ipsa eius fundamenta, quae fide imprimis continentur . . . Huius autem commotionis nullum vestigium, nulla umbra in universa antiquitate: ea primum incepit, cum novatores saeculi 16. sacramentorum minuerent numerum. Quod si tertio haec fides esset innovatio saeculi 12., quae sensim et clanculum nemine advertente invasit et pervasit universam ecclesiam latinam, quommodo ea invasit et pervasit coetus schismaticos orientis, ecclesiae romanae adeo infestos? et si hi clausis oculis ab occidentalibus hanc mutuarunt sententiam, unde factum est, ut in administrationis ritibus adeo subinde dissentiant?" (Compend. t. 3. n. 298. ed. 8.)

16. *Denique juridice magis idem argumentum sic efformari potest*: viget principium iuridicum, ex quo evidenter tum stabilitur causa catholicorum tum Protestantium positio labefactatur: Primo scilicet testes dissentientes nullam fidem vel probationem facere possunt: secundo vero neminem pacifica boni cujusvis possessione privare licet, nisi injusta esse possessio probetur. Atqui primo Protestantes maxime inter se dissident de sacramentorum numero: quamvis enim nunc duo tantum plerique admittant, olim tamen quidam tria, alii quatuor, alii quinque, alii duo admiserunt. Secundo omnes coetus christiani ante exortam hanc cum Protestantibus de numero sacramentorum controversiam in pacifica erant possessione doctrinae de numero sacramentorum septenario, nec quidquam affertur, ut ostensum est, quo haec possessio iniusta fuisse demonstretur. Ergo.

3. Ex rationibus congruis. — Ut ipso hoc titulo innuitur, hoc loco non stricta demonstratio intenditur, sed diversis rationibus ostenditur, valde congruum fuisse, ut praecise septem illa, quae habemus, sacramenta instituerentur. Ex triplici vero capite ejusmodi demonstratio derivatur: 17.

1) Ex comparatione inter vitam spiritualem et corporalem. — „Vita enim spiritualis conformitatem aliquam habet ad vitam corporalem, sicut et cetera corporalia conformitatem quandam spiritualium habent. In vita autem corporali dupliciter aliquis perficitur: uno modo, quantum ad personam propriam; alio modo per respectum ad totam communitatem societatis, in qua vivit, quia homo naturaliter est animal sociale. Respectu autem sui ipsius perficitur homo in vita corporali dupliciter: uno modo per se acquirendo scilicet aliquam vitae perfectionem; alio modo per accidens, scilicet removendo impedimenta vitae, puta aegritudines vel aliquid huiusmodi. Per se autem perficitur corporalis vita tripliciter: primo quidem per generationem, per quam homo incipit esse et vivere; et loco huius in spirituali vita est baptismus, qui est spiritualis regeneratio, secundum illud ad Tit. 3, 5: *Per lavacrum regenerationis etc.* Secundo per augmentum, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem et virtutem; et loco huius in spirituali vita est confirmatio, in qua datur Spiritus Sanctus ad robur. Unde dicitur discipulis iam baptizatis Luc. ultim. 49.: *Sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto.* Tertio per nutritionem, qua conservatur in homine vita et virtus; et loco huius in vita spirituali est eucharistia. Unde dicitur Joan. 6, 54: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et hoc quidem sufficeret homini, si haberet et corporaliter et spiritualiter impassibilem vitam. Sed quia homo incurrit interdum et corporalem infirmitatem et spiritualem, scilicet peccatum, ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate; quae quidem est duplex; una quidem est sanatio, quae sanitatem restituit, et loco huius in spirituali vita est poenitentia secundum illud ps. 40, 5.: *Sana animam meam, quia peccavi tibi;* alia autem est re-

stitutio valetudinis pristinae per convenientem diaetam et exercitium, et loco hujus in spirituali vita est extrema unctio, quae removet peccatorum reliquias, et hominem paratum reddit ad finalem gloriam. Unde dicitur Jac. 5, 15.: *Et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Perficitur autem homo in ordine ad totam communitatem dupliciter: uno modo per hoc, quod accipit potestatem regendi multitudinem, et exercendi actus publicos, et loco huius in spirituali vita est sacramentum ordinis secundum illud Heb. 7., quod sacerdotes hostias offerunt non solum pro se, sed etiam pro populo. Secundo quantum ad naturalem propagationem: quod fit per matrimonium tam in corporali, quam in spirituali vita, eo quod est non solum sacramentum, sed naturae officium" (S. th. 3. p. q. 65. a. 1).

18. 2) *Ex eo, quod sacramenta ordinantur contra defectus peccati.* — „Nam baptismus ordinatur contra carentiam vitae spiritualis; confirmatio contra infirmitatem animi, quae in nuper natis invenitur; eucharistia contra labilitatem animi ad peccandum; poenitentia contra actuale peccatum post baptismum commissum; extrema unctio contra reliquias peccatorum, quae scilicet non sunt sufficienter per poenitentiam sublatae, aut ex negligentia aut ex ignorantia; ordo contra dissolutionem multitudinis; matrimonium in remedium contra concupiscentiam personalem et contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit. — Quidam vero accipiunt numerum sacramentorum per quandam adaptationem ad virtutes et ad defectus culparum et poenalitatum dicentes, quod fidei respondet baptismus et ordinatur contra culpam originalem; spei extrema unctio et ordinatur contra culpam venialem; caritati eucharistia et ordinatur contra poenalitatem malitiae; prudentiae ordo et ordinatur contra ignorantiam; iustitiae poenitentia et ordinatur contra peccatum mortale; temperantiae matrimonium et ordinatur contra concupiscentiam; fortitudini confirmatio et ordinatur contra infirmitatem" (Ibid.).

19. 3) *Ex ratione perfectae curationis.* — „Principium nostrum reparativum et curativum nostrorum morborum Christus Dominus. Verbum incarnatum, cum sit Dei virtus

et sapientia et misericordia nostra, sic potenter, sic sapienter, sic clementer, sic decenter sua debet instituere sacramenta in lege gratiae, ut nihil prorsus desit curationi nostrae, quantum competit statui vitae praesentis. Ad perfectam autem curationem aegritudinis concurrunt haec tria, scilicet expulsio aegritudinis, introductio sanitatis et conservatio introductae salutis. Primum igitur, quoniam ad perfectam curationem perfecta et universalis requiritur morbi expulsio et morbus est septiformis; triplex culpabilis: scilicet culpa originalis, mortalis et venialis; et quadruplex poenalis, scilicet ignorantia, malitia, infirmitas et concupiscentia, et non sanat oculum, quod sanat calcaneum, sicut dicit Hieronymus (sup. Marc. 9). hinc est, quod oportuit adhiberi contra haec septenarium medicamentorum ad hunc septiformem morbum plenius expellendum, scilicet contra originalem baptismum; contra mortalem poenitentiam; contra venialem unctionem extremam; contra ignorantiam ordinem; contra malitiam eucharistiam; contra infirmitatem confirmationem; et contra concupiscentiam matrimonium, quod eam temperat et excusat. — Rursus, quia perfecta curatio non potest esse sine restitutione integrae sanitatis, et sanitas animae integra consistit in usu septem virtutum, trium scilicet theologicarum et quatuor cardinalium; hinc est, quod ad harum usum sanum restituendum institui oportuit septiforme sacramentum. Nam baptismus sanando disposuit ad fidem, confirmatio ad spem, eucharistia ad caritatem, poenitentia ad iustitiam, unctio extrema ad perseverantiam, quae est fortitudinis complementum et summa, ordo ad prudentiam, matrimonium ad temperantiam conservandam, quam maxime persequitur infirmitas carnis, sed honestas remediat nuptiarum. — Postremo, quoniam perfecta curatio esse non potest sine consecratione salutis introductae, et salus introducta conservari non potest in conflictu certaminis, nisi in arce ecclesiae, quae est *terribilis ut castrorum acies ordinata* (Cantic. 6, 9.), et hoc quidem fit per septiformis gratiae armaturam, hinc est, quod necesse est, septem esse sacramenta. Nam ut haec acies sit perfecte et continue communita, cum constet ex partibus corruptibilibus,

indiget sacramentis munientibus, relevantibus et renovantibus: munientibus pugnantes, relevantibus cadentes, et renovantibus morientes. Sacramentum autem muniens aut munit ingredientes, et sic est baptismus; aut stantes et sic est confirmatio: aut exeuntes et sic est extrema unctio. Sacramentum autem relevans aut relevat a casu veniali et sic est eucharistia; aut a mortali et sic est poenitentia. Sacramentum autem renovans aut renovat in esse spirituali, et sic est ordo, cujus est administrare sacramenta; aut in esse naturali et sic est matrimonium, quod quia renovat multitudinem in esse naturae, quod est omnium fundamentum, ideo primo fuit ante omnia institutum sive introductum, licet propter morbum concupiscentiae annexum, et quia minime est sanctificativum, quamvis significatione sit sacramentum magnum, inter medicamenta spiritualia ultimo collocatur, et locum sortitur extremum. Unde quia baptismus est ingredientium, confirmatio pugnantium, eucharistia vires resumentium, poenitentia resurgentium, extrema unctio exeuntium, ordo novos milites introducentium, matrimonium novos milites praeparantium, patet ex his sufficentia et ordo medicamentorum sacramentalium et armorum" (*S. Bonaventura*, Breviloquium p. 6. c. 3).

20. *Notandum vero est,* eiusmodi rationes congruas magnum momentum habere, quia nonnunquam interna dogmatum quasi structura miro modo panditur ideoque intellectus fidei multum iisdem iuvari potest; quare nequaquam spernendae sunt; nihilominus recte monet *Suarez*, „in his congruentiis et proportionibus non esse petendam exactam similitudinem neque absolutam demonstrationem, quae ostendat id, quod factum est, esse ita conveniens, ut non possit alio convenienti modo fieri; constat enim hoc non esse necessarium, quia facile est Deo variis atque infinitis modis convenientibus atque infinitae sapientiae eius consentaneis hominibus consulere" (In 3. p. q. 65. a. 1. n. 9).

Scholion.

21. ***Obiectiones quaedam solvuntur.*** — Haeretici contra doctrinam statutam magnam obiectionum molem prae-

sertim ex SS. Patribus congesserunt; quas obiectiones plures ex auctoribus supra citatis necnon imprimis *Cardinalis Franzelin* (Th. 19. et 20.) fuse et egregie refutarunt. Hoc loco satis erit, praecipuis obiectionibus relatis principia quaedam solutionis exponere, quibus tum obiectiones allatae tum ceterae quaevis satis commode et plene solvuntur.

22. *1) Septenarius sacramentorum numerus veteribus incompertus fuisse videtur, cum nullum certum Traditionis documentum saeculo 12. antiquius exstet, in quo omnia sacramenta numero septenario conclusa simul enumerentur; immo vero SS. Patres ex professo de sacramentis agentes eaque fidelibus exponentes nunquam septem, sed vel tria tantum vel quatuor semper recensuerunt. Ita v. g. Auctor libr. de sacr. baptismum solum, eucharistiam et confirmationem affert et his tribus plura non esse significat verbis adiectis: „Ergo accepisti de sacramentis; plenissime cognovisti omnia“ (L. 4. c. 2.). Similiter Cyrillus Hierosolymitanus. Augustinus vero vel duo tantum sacramenta agnovisse videtur, baptismum scilicet et eucharistiam: „Quid est, inquit quod occultum est et non publicum in ecclesia? Sacramentum baptismi, sacramentum eucharistiae. Opera enim nostra bona vident et pagani, sacramenta vero occultantur“ (Ennarat. 1. in ps. 103). Denique Isidorus hispalensis tria tantum sacramenta recenset. atque alia insuper esse ne innuit quidem.* — *R.: Primo* totum argumentum contra haereticos retorqueri potest; etsi enim SS. Patres non soleant numerum sacramentorum septenarium expresse exhibere, neque alium numerum conclusum ut ternarium, binarium constanter et communiter expressis verbis exhibent; quare si ex hoc argumento ex silentio petito quidquam sequeretur, id profecto sequeretur sacramentorum numerum neque septenarium neque binarium esse. — *Secundo* SS. Patribus in testimoniis obiectis nullo modo propositum erat, perfectam omnium sacramentorum enumerationem exhibere, sed solum data occasione exempli causa aliqua adducere voluerunt, quod satis manifesto patet textu et contextu accurate considerato. Etenim auctor libr. de sacr. et Cyrillus H. in locis obiectis eum scopum prosequuntur, ut

catechumeni et neophyti de tribus illis sacramentis plenius instruerentur, quae mox recepturi erant; quare illud: *plenissime novisti omnia* non absolute de omnibus sacramentis simpliciter, sed relative de sacramentis a catechumenis recipiendis intelligendum est. Augustini verba obiecta manifesto non enumerationem sacramentorum sed commemorationem exempli causa factam continent, ut patet ex his aliisve eiusdem ennarationis verbis: „Respice ad munera ipsius ecclesiae, munus sacramentorum in baptismo, in eucharistia, in ceteris sacramentis". Item Isidori Hispalensis propositio obiecta non ad enumerationem sacramentorum faciendam spectat, sed exemplis afferendis absolvitur, quibus statuta definitio sacramenti illustretur. — *Tertio* animadvertendum est, satis multa SS. Patrum exstare testimonia de singulis septem sacramentis, quibus iisdem rationem sacramenti convenire certo demonstratur; hinc autem septenarius sacramentorum numerus sponte consequitur. Verum diversa illa testimonia de singulis sacramentis prosequi non ad hunc locum, sed potius ad tractatus de singulis sacramentis spectat.

23. *Instari tamen potest*, explicationem vel solutionem propositam non videri plene satisfacere. Spectatis enim sacramentorum indole, necessitate, frequentatione mirum apparet, quod per tempus tam longum nullus ex doctoribus vel pastoribus ecclesiae connumerationem omnium septem sacramentorum fecerit, vel nullum saltem eiusmodi connumerationis exemplum vel testimonium exstet. — *R.* Triplex huius rei exstat ratio atque triplicis huius rationis explicatio plenior quaestionis solutio suppeditatur.

24. *Prima igitur ratio* est *disciplina arcani*, quam imprimis quoad sacramenta per longum tempus fideliter ac severe observatam esse certo constat. Apposite *Schelstrate*: „Possem centenis Patrum testimoniis hanc veritatem confirmare; sed ut haeretici ipsi fatentur, et a Teutzelio laudatus Casaubonus exercitatione decima sexta in Baronium: ‚Quis ita hospes, inquit, in Patrum lectione, cui sit ignota formula in mentione sacramentorum potissimum usu trita: *norunt initiati, quod dicitur*, quae formula in unius Chrysostomi homiliis aut aliis

scriptis minimum quinquaginta locis potest observari. Apud Augustinum in epistolis, in enarrationibus in psalmos, tractatibus in Ioannem, homiliis sive sermonibus aut aliis scriptis non multo rarius. Notum est illud *Augustini* tract. 96. in Ioan.: *catechumenis sacramenta fidelium non produntur*, et illud magni eiusdem ecclesiae doctoris: *Nesciunt catechumeni. quid accipiant christiani.* Notum quoque est illud *Chrysostomi* hom. 72. in Matth.: *Eucharistiae mysterium . . . initiati solummodo noverunt.* Et illud *Cyrilli Hieros.* catechesis prioris ad baptizandos: *Sciunt initiati vim huius poculi, scietis vos quoque paulo post.* Centena sunt, ut dixi, similia Patrum loca, quae superfluum esset afferre, cum inter omnes conveniat, pro catechumenis iudaeis et infidelibus disciplinam arcani observatam fuisse, non vero fidelibus seu baptizatis, quibus cuncta religionis christianae mysteria absque ulla verborum ambage exponi poterant" (op. cit. cap. 1.). Iamvero hac disciplina arcani primo SS. Patres prohibiti sunt, ne in sermonibus sive in scriptis libris, ad quos etiam non initiatis aditus patebat, sacramentorum doctrinam aperte et complete traderent; tam ambigue enim et subobscure iis loquendum erat, ut plura a solis fidelibus clare intelligi possent. Eadem deinde disciplina arcani factum est, ut ipsis catechumenis eorum solum sacramentorum clara et distincta notitia communicaretur, quibus proxime initiandi erant, cetera vero celarentur. Denique item iam ex hac disciplina arcani intelligitur, in SS. Patrum potestate vix fuisse positum, ut integrum tractatum de septem sacramentis conscriberent atque posteris relinquerent.

25. *Altera ratio cum prima cohaeret.* Etenim partim ex disciplina arcani, partim ex varia significatione vocis sacramenti, partim ex fine practico, quem in explicandis sacramentis prosequebantur, proveniebat et intelligitur, quod SS. Patres, supposito scientifico tractatu de sacramentis, distincta et expolita notione communi sacramentorum nondum ea ratione pollebant vel utebantur, qua postea doctores usi sunt. Haec enim perfecta sacramentorum in communi notio ex multis inquisitionibus scientificis tamquam

fructus earum promanavit; atque tum demum sacramenta in una collectione comprehendi, doctrina de eisdem in systema redigi, numerus eorum fixus et determinatus statui potuit. Quae cum ita sint, mirum profecto non est, quod SS. Patres sacramenta in unum collecta non enumeraverint vel eorum numerum septenarium non aperte enuntiaverint.

26. *Denique tertia quoque ratio exstat* apta ad plura SS. Patrum testimonia explicanda. Nimirum considerandum est, in antiqua ecclesia tria sacramenta: baptismum, confirmationem, eucharistiam non solum prima fuisse, quae conferebantur, sed etiam una simul hominibus in ecclesiam ingredientibus collata fuisse. Unde pronum erat, data occasione ea tria sacramenta, utpote plerisque ipsa una experientia nota in exemplum adducere. Quod autem aliquando duo tantum, sc. baptismus et eucharistia nominantur, inde explicatur, quod veteres confirmationem tamquam perfectionem baptizatorum vel supplementum baptismi considerabant eamque ideo simul cum hoc uno nomine baptismi intelligebant.

27. *2) Contra doctrinam catholicam et imprimis contra demonstrationem secundam etiam plures opponuntur scriptores ecclesiastici orientales, plerique schismatici vel haeretici, qui numerum septenarium quidem retinentes pro nonnullis sacramentis alios ritus substituunt. Ita Ps. Dionysius de mysteriis seu sacramentis tractans enumerat: baptismum, chrisma, eucharistiam, ordinem, consecrationem altarium, dedicationem monachorum, funebres ritus super defunctos.* (*De eccl. hierarch. c. 1.—7.*). *Similiter Theodorus Studita in epistola ad Gregorium filium* (*apud Allatium, de perpetua occidentalis et orient. ecclesiae consensione l. 3. c. 16. § 10.*). *Deinde Iobus monachus cognomento piscatoris sexto loco ponit sacrum habitum, septimo vero sanctum oleum sive poenitentiam* (*apud Arcudium op. cit. l. 1. c. 2.*). *Simon vero Thessalonicensis a priore eo solum differt, quod septimo loco simpliciter sanctum oleum commemorat* (*ibid.*). *Iterum non multum ab his differt Vartanus Armenus monophysita, qui sexto loco ponit oleum, quo unguntur infirmi et poenitentes et septimo funus super defunctos* (*Apud Galanum, concordia ec-*

clesiae armen. cum romana t. 2. p. 440.). Accedunt aliqui Nestoriani: Sic patriarcha Timotheus secundus inter sacramenta recenset consecrationem ecclesiae et altaris, monachorum benedictionem, officium pro defunctis atque ad servandum septenarium numerum inter alia poenitentiam omittit, de qua tamen alio loco tamquam de vero sacramento tractat. Denique Ebed-Iesu Solensis inter sacramenta refert sacrum fermentum necnon signum vivificae crucis item septenario numero per omissionem verorum sacramentorum servato (Ap. Assemanni Biblioth. or. t. 3. p. 2. pag. 240.). — *R. primo,* quod Ps. Dionysium attinet, nulla difficultas est, quia scilicet non de sacramentis tamquam signis practicis gratiae, sed „de hierarchicis consecrationibus et perficientibus initiationibus" scribere propositum habet; hinc distinctis sacramentis speciaLiter consecrantibus a reliquis magis medicinalibus priora solum recenset (Cf. *S. Thomas,* S. th. 3. p. q. 63. a. 6.). Theodorus Studita autem eo fine solum doctrinam Dionysii sequitur, ut vitae monasticae apostolicam originem vindicet. — *Secundo* quod attinet ceteros illos scriptores ecclesiasticos, eos quidem errasse concedendum est, verum nullam inde contra traditionem difficultatem oriri facile et certo intelligitur. Etenim imprimis considerandum est, gentes orientales, postquam a vivifico centro unitatis avulsae sunt, multis calamitatibus oppressas esse atque tum quoad scientiam theologicam et fidei cognotionem, tum quoad disciplinam et vitam christianam practicam magnam partem a pristino vigore et flore degenerasse; quare mirum non accidit, quod scriptores illi a traditione defecerint; illae igitur singulares et falsae opiniones non traditionis, sed ignorantiae illorum scriptorum argumentum habendae sunt; praesertim, quia etiam inter se dissentiunt. Praeterea ipsi hi scriptores testes sunt septenarii sacramentorum numeri, cum, quamcunque mutationem vel substitutionem faciunt, nunquam tamen illum numerum excedant, quare enumerationem facientes septimo loco vel simul poenitentiam et extremam unctionem sub uno numero comprehendunt. Deinde, ut recte monet Assemanni, orientalium fides circa sacramenta potius ex libris eorum liturgicis, quam

ex scriptoribus theologicis discenda est; libri liturgici autem eadem, quae ecclesia catholica profitetur, septem sacramenta exhibent. Denique illi scriptores, quia igitur suas opiniones non ex fide ecclesiarum vel ex traditione hauserunt, ad easdem auctoritate Dionysii male intellecti permoti esse dicendi sunt, quod eorum scriptis inspectis satis certo intelligitur.

28. *3) Opponuntur etiam Patres quidam latini, qui pedum lotioni rationem veri sacramenti tribuisse videntur. Et primus quidem est Ambrosius, qui postquam retulit, in ecclesia mediolanensi consuetudinem viguisse, ut modo baptizatis pedum lotio ab episcopo applicaretur, ad commendandum hunc ritum ita pergit: „Mundus erat Petrus, sed plantam lavare debebat; habebat enim primi parentis de successione peccatum, quando eum supplantavit serpens et persuasit errorem. Ideo planta eius abluitur, ut haereditaria peccata tellantur; nostra enim propria per baptismum relaxantur“* (De myster. c. 6. n. 32). *Alter est auctor librorum de sacramentis, qui verba Domini: „Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet“ commentans ita dicit: „Quare hoc? Quia in baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa, sed quia Adam supplantatus est a diabolo et venenum ei effusum est supra pedes, ideo lavas pedes, ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, maius subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venenum serpentis“* (l. 3. c. 1. n. 4—7). *Denique tertius est S. Bernardus, qui pedum lotionem inter sacramenta enumerat cum sacramentis proprie dictis eique efficaciam peccata venialia diluendi adscribere videtur: „Ut de remissione quotidianorum minime dubitemus, habemus eius sacramentum, pedum ablutionem. Quaeris forte, unde sciam, quod sacramentum sit huius remissionis . . . Et unde scimus, quia ad diluenda peccata, quae non sunt ad mortem et a quibus plane cavere non possumus ante mortem, ista ablutio pertineat? Ex eo plane, quod offerenti manus et caput pariter ad abluendum responsum est: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet“* (Serm. in coena Domini). — *R.* Imprimis quaedam generatim de his tribus Patribus vel testimoniis

notanda sunt. Et *primo* quidem, etsi supponatur vel concedatur tres illos scriptores reipsa pedum lotionem sacramentum habere, nulla inde difficultas dogmatica oriretur, iam ideo solum, quia inter semetipsos plane dissentiunt de ratione vel effectu pedum lotionis: Ambrosius enim docet, pedum lotione peccata haereditaria deleri, auctor vero librorum de sacramentis contendit eadem subsidium sanctificationis conferri, Bernardus denique ipsa peccata venialia remitti opinatur. *Secundo* impossibile est, inter sacramenta vera et proprie dicta recensere ritum eiusmodi, qui nunquam ab ecclesia graeca sacramentis adscriptus est, et qui in ipsa ecclesia latina neque ante Ambrosium neque ab Ambrosio usque ad Bernardum neque a Bernardo usque ad nostram aetatem tamquam sacramentum agnitus et exercitus est, ut monumentis sive theoreticis sive practicis consideratis certo constat. *Tertio* denique obiectio contra opponentes retorquetur: Scilicet aut testimoniis illis auctoritatem tribuunt aut non; atqui si primum, pedum lotionem sacramentum agnoscere debent, quod nolunt; si alterum, immerito nobis illa testimonia opponunt. Quae cum ita sint, manifestum est, illa testimonia difficultatem non dogmaticam, sed solum hermeneuticam creare. Ut vero haec quoque, quantum fieri potest, expediatur, de singulis illis testimoniis vel scriptoribus nonnulla solum breviter adnotanda sunt:

Et Ambrosii quidem verba objecta spectatis eorum contextu **29.** aliisque S. Doctoris testimoniis hunc in modum explicanda esse videntur. *Primo* S. Ambrosius per verba *primi hominis de successione peccatum* et *haereditaria peccata* nullo modo peccatum originale intelligit, sed illud iis verbis designat, quod alibi vocat: *sordem obnoxiae successionis*, *obnoxiam haereditatem successionis*, *venena serpentis*, *iniquitatem calcanei nostri* (cf. testimon. ex comment. deperditis in Isaiam ap. Augustinum, c. duas epist. pelag. l. 4. c. 11; expos. ps. 48. v. 6. n. 8). Quid vero haec omnia significent, ipse alio testimonio ex eadem expositione in ps. 48. aperit: „Unde reor iniquitatem calcanei magis lubricum delinquendi, quam reatum aliquem nostri esse delicti. Meritoque Dominus . . :

Lavemus, inquit, et pedes, ut calcanei lubricum possimus auferre, quo fida statio possit esse virtutum; et ne paterno quis errore labatur, qui suo paratus est stare proposito: et non metuat lubricum haereditatis. qui cupit vestigium tenere virtutis" (n. 9). Scilicet per *lubricum delinquendi, lubricum calcanei, lubricum haereditatis* nihil aliud significatur, quam concupiscentia, quae, quia ex peccato est et ad peccatum ducit, ab Apostolo peccatum dicitur. quamvis in renatis vere et proprie peccatum in se non sit. *Secundo* vero pedum lotionem non in sua specifica vel individua ratione, ut hic determinatus ritus externus est. sed potius secundum genericam suam rationem considerat. quatenus humilitatis ministerium sive exercitium est; quod satis patet ex verbis, quae testimonium obiectum immediate sequuntur: „Simul cognosce mysterium in ipso humilitatis consistere ministerio: ait enim: *Si ego lavi vobis pedes dominus et magister; quanto magis et vos debetis lavare pedes invicem vobis* (Joan. 13. 14.)? Cum enim ipse auctor salutis per obedientiam nos redemerit: quanto magis nos servuli ejus humilitatis et obedientiae exhibere debemus obsequium?" (L. c. n. 33). *Itaque tota Ambrosii doctrina huc redit*: Ministerium humilitatis, quod lotione pedum exercetur, vel cujus exemplum praeclarum Christus pedum lotione nobis dedit, vim concupiscentiae infringit. Iamvero eiusmodi doctrina pedum lotio nullo modo tamquam efficax gratiae vel tamquam verum sacramentum exhibetur. Ergo.

30. Quod *auctorem librorum de sacramentis* attinet, ad ejus testimonium objectum conferunt verba, quae immediate praecedunt: „Non ignoramus, quod ecclesia romana hanc consuetudinem (sc. lavandi recenter baptizatis pedes) non habeat, cujus typum in omnibus sequimur et formam: hanc tamen consuetudinem non habet, ut pedes lavet. Vide ergo, forte propter multitudinem declinavit. Sunt tamen qui dicant et excusare conentur, quia hoc non in mysterio faciendum est, non in baptismate, non in regeneratione: sed quasi hospiti pedes lavandi sint. Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Denique audi, quia mysterium est et sanctificatio: *Nisi lavero*

tibi pedes, non habebis mecum partem (Joh. 13, 8.). Hoc ideo dico, non quod alios reprehendam, sed mea officia ipse commendem. In omnibus cupio sequi ecclesiam romanam: sed tamen et nos homines sensum habemus; ideo quod alibi rectius servatur et nos rectius custodimus. Ipsum sequimur apostolum Petrum, ipsius inhaeremus devotioni. Ad hoc ecclesia romana quid respondet? Utique ipse auctor est nobis huius assertionis Petrus apostolus, qui sacerdos fuit ecclesiae romanae. Ipse Petrus ait: *Domine, non solum pedes, sed etiam manus et caput* (ib. v. 9.). Vide fidem, quod ante excusavit, humilitatis fuit: quod postea obtulit, devotionis et fidei" (n. 4. et 5.). Jam si haec simul cum verbis obiectis considerentur, apertum est illum auctorem pedum lotionem non considerare tamquam verum sacramentum. Etenim *primo* eum ritum non tamquam a Christo praeceptum, sed solum ut laudabilem et commendabilem exhibet; si vero eundem sacramentum habuisset, certe etiam praecepto Christi impositum esse credidisset. *Secundo* refert in ecclesia romana eum ritum non vigere neque ideo eam vituperat: sed profecto credere non potuit, ecclesiam Mediolanensem sacramentum administrare, cuius usus neque apud ecclesiam Romanam neque apud alios exstabat; vel si per absurdum hoc credidisset, alias ecclesias et ipsam Romanam merito reprehendisset. Huc pertinet, quod refert *Augustinus* multos hanc consuetudinem Mediolanensem vel noluisse recipere vel etiam abrogasse, „ne ad ipsum sacramentum baptismi videretur pertinere" (Ep. 55. ad Januar. n. 33). *Tertio* totam culpae remissionem ideoque infusionem gratiae sanctificantis baptismo non vero pedum lotioni adscribit; quod etiam cum opinione hanc tamquam verum sacramentum considerante parum congruit. Quae cum ita sint, auctor per *maius subsidium sanctificationis accedens* ex pedum lotione, nihil aliud intelligere videtur, nisi auxilia gratiae pedum lotione impetrata, quibus concupiscentia refrenatur et diaboli insidiae superantur. *Hinc uno verbo auctor ille pedum lotionem ut sacramentale quidem, non vero ut sacramentum considerasse videtur.*

31. *Restat S. Bernardus*; sed hic etiam minus, quam duo praecedentes auctores pedum ablutionem tamquam verum sacramentum considerare potuit. Etenim *primo* incredibile est, ea aetate, qua explicita professio septem sacramentorum proprie dictorum iam universalis erat, S. Bernardum inter haec pedum lotionem recensuisse. *Secundo* cum ea aetate notio sacramenti proprie dicti iam esset prorsus dilucidata et determinata, S. Bernardus neque ex efficacia ablutionis pedum ad delenda peccata venialia concludere debuit, eandem pertinere ad sacramenta proprie dicta, cum eandem efficaciam etiam sacramentalibus plures theologi vindicent (cf. *Suarez*, de poenit. disp. 12. s. 2.). *Tertio* accurate considerandum est, S. Bernardum nusquam dicere, pedum lotionem peccata venialia diluere, sed ad diluenda peccata pertinere; quae duae enuntiationes, si stricte sumuntur, profecto diversae sunt et diversum sensum saltem habere possunt. Jamvero prior sensus a verbis S. Bernardi excludendus esse omnino videtur; nam paulo post de mediis ad peccata venialia diluenda agens de pedum lotione nullam mentionem facit; et re quidem vera ejusmodi ritus semel tantum in anno, sc. in Coena Domini usurpandus satis ineptum remedium esset ad peccata quotidiana, ut Bernardus venialia merito appellat, diluenda. Itaque S. Bernardus pedum lotionem tamquam verum et proprie dictum sacramentum considerasse dici nequit. *Quare dicendus est eam vocasse sacramentum in sensu generico, quatenus scilicet sacrum signum vel secretum est;* quod quidem ex contextu et ipso textu confirmatur. Nam sermonem suum exordiens animadvertit, diebus illis sacris festum Paschatis praecedentibus plura quidem sacramenta recoli, sed sermonem suum tria solum spectare, baptismum, eucharistiam, pedum ablutionem. Statim vero explicat, quo sensu vocem sacramenti usurpet, scilicet sacramentum dicit esse sacrum signum sive sacrum secretum. Cum quo consonat ipse textus obiectus, utpote in quo animadvertit: „Ut de remissione quotidianorum minime *dubitemus*, habemus eius sacramentum pedum ablutionem“. Quae verba sane aptissimum et claris-

simum sensum habent, si harmonice cum praecedentibus sacramentum intelligitur signum, pignus, sponsio.

Paulo aliter alii theologi ut D'Argentré S. Bernardi mentem explicant: Scilicet contendunt, S. Bernardum vocem sacramenti in proprio quidem et specifico sensu usurpare, verum rationem sacramenti ita accepti eundem tribuere ablutioni pedum eatenus, quatenus consideratur non materialiter et in se, sed typice ac prae suo significato, quod in confessione sacramentali peccatorum venialium continetur; illum enim ritum cum verbis Salvatoris coniunctum aptissimum typum esse, quo remissio peccatorum venialium repraesentetur, ut ipse contextus evangelicus atque Patrum commentationes ostendunt. „Hanc revera esse Bernardi mentem suadere conantur maxime adiuncto temporis, quo sermonem S. Doctor habuit, nempe in coena Domini. Die enim memoriae coenae Domini consecrato, fideles, praemissa sacramentali confessione, ad eucharisticam mensam accedere consueverant. Cum porro confessione sacramentali venialia etiam peccata remittantur, Bernardus venialium confessionem commendaturus ostendit, neminem esse, qui venialium peccatorum reus non sit, ac neminem esse, qui spernere ea possit, cuique respuendum sit medium ad ipsorum purgationem a Christo institutum. Ratio autem, quae Bernardum movit, ut hanc confessionem non proprio suo nomine nominaret, sed ablutionem pedum constanter appellaret, adeo ut de hac qua tali solum locutus videatur, inde repetenda est, quod ritus ablutionis pedum non tantum confessioni venialium repraesentandae aptissimus est, sed etiam ipsa liturgia diei festi omnium oculis subiiciebatur, ac velut per se idipsum fideles persuadebat. quod ut persuasum ipsis esset, volebat Bernardus" (*Stentrup,* Thes. 35.). **32.**

Nota. Videri quidem possit, ab ipsa Scriptura (Ioh. 13.) pedum lotionem tamquam sacramentum exhiberi. Verumtamen oppositum omnino tenendum est. Etenim *primo* pedum lotio non exhibetur tamquam signum practicum gratiae: nempe verba Christi: *Si non lavero te, non habebis partem mecum,* non gratiae promissionem continent, sed inobedientiae **33.**

poenam comminantur; verba autem: *Qui lotus est, non indiget. nisi ut pedes lavet* ad morem Iudaeorum alludunt lavandi ante coenam festivam totum corpus, ita ut immediate ante coenam soli pedes a viae pulvere abluendi essent (cf. Marc. 7, 3. et Luc. 7, 44.), atque hunc in sensum spiritualem a SS. Patribus explicantur: Simili modo vos per amorem meum et gratiam spiritualiter mundi estis, sed ut plane mundi sitis praesertim ad coenam eucharisticam accedentes, pulverem quotidianarum imperfectionum abstergere conari debetis. *Praeterea* pedum ablutio non exhibetur tamquam ritus in ecclesia perpetuo exercendus; ergo institutio ad sacramentum requisita quoque deficit. Etenim verba Christi: „*Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis*" (v. 14. 15.), potius praeceptum humilitatis et caritatis enuntiant, quarum ipse pedes discipulorum lavans praeclarum exemplum dedit. Ita etiam SS. Patres docent. ut *Augustinus:* „Non ergo ad sacramentum tamquam mundationis pertinebat, quod lavit eis pedes, sed ad exemplum humilitatis" (In ps. 92. n. 3.).

Corollarium.

34. ***1. Sacramenta spectata singulorum natura convenienter hoc ordine enumerantur: baptismus, confirmatio, eucharistia, poenitentia, extrema unctio, ordo, matrimonium.*** — Cum veteres theologi secundum varium considerandi modum vario ordine sacramenta enumeraverint, inde tamen a saeculo 12. praevaluit et mox communis et constans evasit ordo enumerationis in assertione positus. Hunc ordinem etiam sequuntur *Eugenius IV.* (in decreto pro Armenis), *Concilium Tridentinum* (sess. 7. c. 1.), *Catechismus Tridentinus* (p. 2. c. 1. n. 19. ss.) ceterique catechismi.

35. *Rationem vero huius ordinis ex diversa singulorum sacramentorum natura egregie reddit S. Thomas*: „Ratio ordinis sacramentorum apparet ex his, quae supra (ubi de conveni-

entia numeri septenarii) dicta sunt. Nam sicut unum est prius, quam multitudo, ita sacramenta, quae ordinantur ad perfectionem unius personae, naturaliter praecedunt ea, quae ordinantur ad perfectionem multitudinis. Et ideo ultimo inter sacramenta ponuntur ordo et matrimonium, quae ordinantur ad multitudinis perfectionem; matrimonium tamen post ordinem, eo quod minus participat de ratione spiritualis vitae, ad quam ordinantur sacramenta. Inter ea vero, quae ordinantur ad perfectionem unius personae, naturaliter sunt priora illa, quae per se ordinantur ad perfectionem spiritualis vitae, quam illa, quae ordinantur per accidens, scilicet ad removendum accidens nocivum superveniens, cuiusmodi sunt poenitentia et extrema unctio; posterior tamen est naturaliter extrema unctio, quae consummat sanationem, quam poenitentia inchoat. Inter alia vero tria manifestum est, quod baptismus qui est spiritualis regeneratio, est prius; et deinde confirmatio, quae ordinatur ad formalem perfectionem virtutis; postmodum eucharistia, quae ordinatur ad perfectionem finis" (S. th. 3. p. q. 65. a. 2,; cf. c. g. l. 4, c. 58.).

Paulo aliter S. Bonaventura: „Sacramenta quaedam **36.** respiciunt communiter omnes, et sic sunt quinque praecedentia: aut aliquos specialiter, et sic sunt duo sequentia, scilicet ordo et coniugium: et sic aut commune aut speciale. Si respiciunt communiter omnes, sic sunt prima quinque. Ordo enim trium ex quinque prius patet ex se. Baptismus enim est ad vulnerum curationem, confirmatio ad curationis habitae conservationem, eucharistia ad curationis habitae et conservatae promotionem. Et quia non omnes, qui recipiunt, conservant semper, ideo est poenitentia ad reparationem, est untio extrema ad ipsius consummationem; et ex hoc patet ordo et sufficientia illorum quinque, quae respiciunt communiter omnes. Quae autem respiciunt speciales status, duo sunt. Aut enim respiciunt perfectos, sic est ordo; aut infirmos secundum congruentiam, sic est matrimonium principaliter. Aut est ordo propter sacramenti dignitatem; vel ordo est personarum generantium spiritualiter, matrimonium vero generantium corporaliter; et utraque necessaria est ecclesiae;

sed prima est de principali intentione, secunda ex consequenti: et ita patet ordo" (In 4. d. 2. dub. 1.),

37. ***2. Sacramenta non ita inter se paria sunt, ut nulla ratione aliud alio dignius sit; imprimis ss. eucharistia prae ceteris dignitate vel perfectione eminet.*** — Non omnia sacramenta inter se paria esse dignitate, ipsum *Concilium Tridentinum* sollemniter definivit: „Si quis dixerit haec septem sacramenta, ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit" (Sess. 7. can. 3). Jamvero plena et adaequata huius doctrinae explicatio huc non spectat, quia perfectam tractationem singulorum sacramentorum supponit eiusque fructus est; quare summatim solum quaedam comparationis capita hic attingere satis erit. Itaque:

38. *1) Prae ceteris sacramentis ss. eucharistia dignitate et perfectione eminet.* — Imprimis non obscure hoc significat *Concilium Tridentinum* (Sess. 3). Etenim *primo* insignem ss. eucharistiae excellentiam nominibus innuit, quibus eam exornat; nimirum eam nominat: *sacramentum almum, sacrosanctum, sanctissimum, admirabile, venerabile, divinum*; apellat eam *praestantissimum Christi beneficium et sacramentum, in quo divitias sui erga homines amoris velut effudit.* Jamvero his nominibus eximia dignitas et excellentia ss. eucharistiae non solum absolute declaratur, sed eadem relative prae ceteris sacramentis praecellens exhibetur, quia eadem nomina soli ss. eucharistiae ideoque ei tamquam propria tribuuntur. *Praeterea* radicem eminentiae, quam ss. eucharistia prae ceteris sacramentis habet, diserte idem concilium declarat statuens, commune id quidem eidem ss. eucharistiae cum ceteris sacramentis esse, quod virtutem sanctificandi habeat, illud vero in eadem proprium esse et eminere, quod ipsum sanctitatis auctorem in se contineat.

39. *Quam rationem simul cum aliis iterum egregie explicat S. Thomas:* „Simpliciter loquendo sacramentum eucharistiae est potissimum inter alia sacramenta. Quod quidem tripliciter apparet: *primo* quidem ex eo, quod in eo continetur ipse Christus substantialiter: in aliis autem sacramentis continetur

quaedam virtus instrumentalis participata a Christo, ut ex supra dictis patet: semper autem quod est per essentiam, potius est eo, quod est per participationem. *Secundo* hoc apparet ex ordine sacramentorum ad invicem: nam omnia alia sacramenta ordinari videntur ad hoc sacramentum sicut ad finem (Intellige: quatenus omnia sacramenta ad unionem cum Christo ordinantur, quae mirabili modo perficitur et consummatur sacramento eucharistiae). Manifestum est enim, quod sacramentum ordinis ordinatur ad eucharistiae consecrationem; sacramentum vero baptismi ordinatur ad eucharistiae receptionem, in quo etiam perficitur aliquis per confirmationem, ut non vereatur se subtrahere a tali sacramento; per poenitentiam etiam et extremam unctionem praeparatur homo ad digne sumendum corpus Christi; matrimonium etiam saltem sua significatione attingit hoc sacramentum, in quantum significat coniunctionem Christi et ecclesiae, cuius unitas per sacramentum eucharistiae figuratur. Unde et Apostolus dicit Eph. 5, 31.: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in ecclesia.* Tertio hoc apparet ex ritu sacramentorum. Nam fere omnia sacramenta in eucharistia consummantur, ut Dionysius dicit (c. 3. eccl. hier. § 1.), sicut patet, quod ordinati communicant et etiam adulti, si sint baptizati" (lb. a. 3.: cf. *S. Bonaventura,* in 4. d. 8. p. 1. dub. 2.).

Praeterea etiam ratione significationis ss. eucharistia **40.** *non uno modo prae ceteris sacramentis antecellit.* Et *primo* quidem, cum alia sacramenta aliquod munus sacrum gratiam exigens immediate significent, per ss. eucharistiae sacramentum immediate ipse Christus significatur praesens tamquam cibus et potus spiritualis et supernaturalis animas nutriturus et secum uniturus. Iamvero hanc significationem prae illa, spectato obiecto, eminere manifestum est. *Praeterea* etsi etiam alia sacramenta ut baptismus aliquam commemorationem vel figuram passionis et mortis Christi contineant, ss. eucharistia tamen speciali et insigni modo imaginem et recollectionem eiusdem passionis et mortis Christi exhibet, quatenus in ea per distinctam specierum consecrationem Christus mystice mac-

tatus vel in externo habitu mortis tamquam victima pro nobis oblata sensibiliter apparet. Quod declarat Apostolus cum dicit: „*Quotiescunque manducabitis panem hunc, vel calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*“ (1. Cor. 11. 6.; cf. etiam orationem festi corporis Christi.). *Deinde* spectata materia, ex qua ille cibus divinus per transsubstantiationem efficitur, cum scilicet ex pluribus granis vel uvis in unum coalescentibus efformetur, hoc sacramentum corpus Christi mysticum significat, vel unionem illam sublimem, qua per gratiam supernaturalem iugiter influentem et coagmentantem unumquodque ecclesiae membrum cum Christo capite atque reliquis eiusdem corporis membris unitur. Quam praeclaram significationem ss. eucharistiae SS. Patres tribuunt, ut v. g. *Augustinus*: „Hunc itaque cibum et potum societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum, quod est sancta ecclesia in praedestinatis et vocatis et iustificatis et glorificatis sanctis et fidelibus eius“ (In Ioh. tract. 26. n. 15.). „Propterea quippe, sicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noster Iesus Christus corpus et sanguinem suum in iis rebus commendavit, quae ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis confit: aliud in unum ex multis acinis confluit“ (Ib. n. 17.). *Denique* sanctissimum eucharistiae sacramentum speciali modo signum prognosticum et pignus futurae gloriae est; ut ipsa ecclesia orationibus suis significat. „Fac nos quaesumus, Domine, divinitatis tuae sempiterna fruitione repleri, quam pretiosi corporis et sanguinis tui temporalis perceptio praefigurat“ (Postcommunio sollemnit. corporis Christi“). Idem innuit *S. Thomas* in sequentia eiusdem Festi: „Tu qui cuncta scis et vales, qui nos pascis hic mortales, tuos ibi commensales, cohaeredes et sodales fac sanctorum civium.“ Item huc pertinet illud: „O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur.“ Et re quidem vera, qui nunc in ss. sacramento se nobis donat nosque cum se ipso unit velata quidem adhuc facie, idem, ut promisit, se in patria revelata facie videndum, amandum, fruendum in

aeternum dabit; unde unio sacramentalis praesens futurae unionis beatificae imago et figura et pignus eximium esse intelligitur.

Notandum vero est, cum ea sit ss. eucharistiae excellentia, **41.** incertum tamen esse, an maiorem quam cetera sacramenta gratiam conferat. Apposite *Suarez:* „Nam licet propter Christi praesentiam videatur probabile, sacramentum eucharistiae (stante aequali dispositione subiecti) maiorem gratiam conferre, quam cetera, tamen aliunde, quia hoc sacramentum institutum est, veluti ad continuam nutritionem et consequenter ut saepius ac frequentius recipiatur, ideo non videtur necessarium, ut quoties recipitur, toties maiorem gratiam conferat, quam baptismus semel susceptus, vel quam confirmatio aut ordo; est itaque res incerta" (In q. 65. a. 3.).

2) *Si sacramenta sub alio et alio determinato respectu* **42.** *considerantur, aliud alio dignius vel excellentius est; sed collata hac diversa dignitate etiam quoad cetera praeter ss. eucharistiam sacramenta certus ordo vigere videtur.* — Etiam haec assertio a *S. Thoma* explicatur et probatur expositione, qua melior fieri nequeat: „Quinque modis unum sacramentum dicitur esse dignius alio. Uno modo quoad rem sacramenti, sive effectum eius, et sic baptismus, qui delet omnem culpam et aufert omnem poenam, est maximum sacramentorum. Alio modo quantum ad id, quod continetur in sacramento, et sic eucharistia est nobilissimum, in qua continetur ipse Christus. Tertio quantum ad gradum dignitatis, in quo constituit et sic ordo est nobilissimum sacramentum. Quarto quantum ad ministrum, et sic confirmatio et etiam ordo sunt dignissima, quia nonnisi per episcopum ministrantur. Quinto quantum ad signatum et non contentum et sic matrimonium est dignissimum, quia signat coniunctionem duarum naturarum in persona Christi. Si tamen has dignitates ad invicem comparemus, invenitur illa dignitas potissima, quam sacramentum habet ex contento, quia est essentialior, et ideo sacramentum eucharistiae est simpliciter dignissimum, et ad ipsum quodammodo alia sacramenta ordinantur. Dignitas autem, quae est in efficiendo praevalet

ei, quae est in significando; et illa, quae est in efficiendo respectu boni, simpliciter loquendo praevalet ei, quae est in amotione mali; et ideo simpliciter loquendo post eucharistiam nobilius sacramentum est ordo, per quod homo et in gratia et in gradu dignitatis ponitur; et post hoc confirmatio, per quam perfectio gratiae confertur; et post hoc baptismus, per quem fit plena remissio culpae et poenae: et post hoc matrimonium, quod habet maximam significationem. Poenitentia autem et extrema unctio ponuntur inter baptismum et hoc matrimonium, quia ordinantur directe ad remotionem mali, quamvis in hoc poenitentia habeat minorem efficaciam, quam baptismus, quia ordinatur contra culpam actualem tantum, et non delet totaliter poenam; et adhuc minorem extrema unctio, quae contra reliquias peccati ordinatur" (In 4. d. 7. a. 1. sol. 3.: cf. S. th. 3. p. q. 65. a. 3.).

43. *Nota*: Hoc loco auctores quidam agunt etiam de diversa diversorum sacramentorum necessitate. Sed haec quaestio pro dignitate sua et gravitate solum in tractatu de singulis sacramentis in specie resolvi potest. Interim conferri potest *S. Thomas*, S. th. 3. p. q. 65. a. 4.

A. M. D. G.

Index Thesium.

De sacramentis in genere.

Prooemium.

Pagina

1. Nexus inter Verbum Incarnatum et ecclesiae sacramenta 3
2. Dignitas sacramentorum 5
3. Divisio tractatus 6
4. Auctores insigniores 7

Quaestio prima.

De essentia atque existentia sacramentorum.

Articulus primus.

De communi ratione sacramentorum V. L. et N. L.

Thesis I. Cum sacramenta V. F. et N. F. essentialiter quidem differant, nihilominus in communi quadam ratione conveniunt 8

Declaratio:
1. Quaestionis argumentum et divisio 8
2. Variae significationes vocis sacramenti . . . 9
3. Status quaestionis et demonstrationis ratio . . 13

Demonstratio:
1. Notae essentiales sacramentorum N. L. determinantur 14
2. Discrimen essentiale inter N. L. et V. L. explicatur 17
3. Tum differentia tum convenientia inter sacramenta N. L. et V. L. expresse statuuntur 21
4. Notio tum propria tum communis sacramentorum utriusque foederis statuitur 24

Pagina

Corollarium: Ex statutis definitionibus intelligitur, cur variae utriusque Foederis caeremoniae vel instituta sacramenta non sint 26
Scholion: De varia significatione sacramentorum praesertim N. L. 27

Articulus secundus.

De existentia sacramentorum.

Thesis 2. Cum in statu innocentiae nulla sacramenta essent, vetus lex reipsa sua sacramenta habuit 31
Declaratio: 1. Argumentum et divisio thesis 31
2. Convenientia sacramentorum 32
Demonstratio: 1. p. In statu innocentiae nulla sacramenta fuerunt 34
2. p. In statu legis Mosaicae sacramenta exstiterunt 37
Corollarium: 1. Aliqua sacramenta N. L. in V. L. in specie praefigurata fuerunt alia vero non item 41

Thesis 3. In statu legis naturae remedium aliquod ad infantes a peccato originali liberandos a Deo ordinatum exstitit; quod remedium probabilius sacramentum fuit: in statu vero legis veteris pueri Iudaeorum secundum legem Dei in circumcisione tamquam signaculo fidei iustificationis gratiam consecuti sunt 42
Declaratio: Status quaestionis et thesis divisio 42
Demonstratio: 1. p. In statu legis naturae remedium aliquod ad infantes a peccato originali liberandos a Deo ordinatum exstitit; quod remedium probabilius sacramentum fuit 43
2. p. Pro pueris Israëlitarum tamquam remedium contra peccatum originale divinitus instituta erat circumcisio 52
3. p. Tum in sacramento legis naturae tum in circumcisione aliisque sacramentis veteribus, gratia conferebatur non ex virtute horum sacramentorum, sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius illa sacramenta signa erant 60
Scholion: 1. Difficultates quaedam removentur 70
2. Quaestiones quaedam expediuntur 71

Articulus tertius.

De interna sacramentorum N. L. constitutione.

Thesis 4. Sacramenta N. L. spectato subiecto significante rebus tamquam materia et verbis tamquam forma componuntur 73

Pagina

Declaratio: 1. Duplex genus signorum 73
2. Sacramentorum compositio physica 74
3. Sacramentorum compositio metaphysica . . . 75
Demonstratio: 1. p. Sacramenta N. L. ex rebus et verbis componuntur 75
2. p. In hac sacramentorum compositione res termino materiae, verba vero termino formae recte prorsus nuncupantur 83
Corollarium: 1. Sacramenta V. L. ex materia et forma non constabant 86
2. Materia et forma tamquam partes essentiales sacramenta intrinsecus constituunt, etiam sacramentum Poenitentiae 86
3. Spectata significatione sacramentorum materia et forma eorum ab ipso Christo Deo-homine necessario determinatae sunt 89

Quaestio Secunda.

De sacramentorum causalitate.

Articulus primus.

Doctrina catholica statuitur.

Thesis 5. Dogma revelatum est, sacramenta N. L. esse veras causas instrumentales gratiae, quam significant . . 93
Declaratio: 1. Quaestionis argumentum et divisio 93
2. Notio causae et causalitatis 93
3. Doctrina catholica 94
4. Thesis accuratius circumscribitur 96
Demonstratio: 1. Probatur ex S. Scriptura 97
2. Ex traditione practica 101
3. Ex SS. Patrum doctrina 102
4. Ratione theologica confirmatur 106
Scholion: De sacramentis vivorum et mortuorum 107

Thesis 6. Cum formula dogmatica, sacramenta gratiam conferre ex opere operato, revelatae doctrinae de efficacia sacramentorum sincera expressio sit, absurde et iniuste a Protestantibus impugnatur et in alienos sensus detorquetur 108
Declaratio: 1. De ortu et usu huius formulae 108
2. Thesis divisio 109
Demonstratio: 1. p. Verus formulae sensus explicatur 110

Pagina

2. p. Protestantium falsae et calumniosae interpretationes reiiciuntur 114
Corollarium: 1. Falsa est explicatio formulae „ex opere operato" a Möhler aliisque tradita 121
2. Falsa est assertio quaedam circa opus operatum a Protestante Baur proposita 121
3. Ex doctrina statuta quaedam Concilii Tridentini assertio facile intelligitur 122
4. In Circumcisione et in sacramento legis naturae iustificatio neque ex opere operato neque ex opere operantis conferebatur 124

Articulus secundus.

Protestantium doctrina reiicitur.

Thesis 7. Protestantium doctrina secundum quam sacramentis N. L. haec una virtus convenit, ut fidem, quae sola iustificet, in hominibus excitent et confirment, cum Scripturae testimoniis evidenter pugnat 125
Declaratio: 1. Doctrina Reformatorum atque Protestantium . 125
2. Nexus huius doctrinae cum Protestantium theoria de iustificatione 126
3. Scopus et divisio thesis 127
Demonstratio: 1. p. Doctrina Protestantium ex Scriptura refutatur 127
2. p. Argumenta Protestantium examinantur . 130
Corollarium: Falsa et haeretica est doctrina Protestantium, verba sacramentalia non consecratoria, sed concionalia solum esse 136
Scholion: De SS. Patrum hac in re doctrina 139

Articulus tertius.

De ratione interna causalitatis sacramentorum.

Thesis 8. Sacramenta non sunt causae instrumentales physicae gratiae seu non causant eam efficienter perfective, i. e. actione sua physica attingendo immediate ipsam gratiae substantiam 143
Declaratio: 1. Argumentum huius articuli 143
2. De causis atque varia earum ratione causandi . 145
3. De sententia eorum, qui statuerunt, sacramenta causare gratiam instrumentaliter, physice et perfective 154
4. Ratio demonstrationis 154

Pagina

Demonstratio: Instituitur ex variis rationibus theologicis . . . 155
Scholion: Difficultates solvuntur 157

Thesis 9. Neque eorum opinio, qui docuerunt, sacramentorum efficientiam eo sufficienter explicari, quod sint causae, sine quibus non confertur gratia, cum aliqua veritatis specie sustineri potest 162

Declaratio: De quanam opinione hic agatur 162
Demonstratio: Instituitur ex rationibus theologicis 165
Corollarium: 1. Insufficiens quoque est sententia Henrici Gandavensis 167
2. Falsa etiam est sententia Gulielmi Antisiodorensis 168

Thesis 10. Neque opinio, quae sacramentis causalitatem moralem tribuit, sufficiens censeri potest 170

Declaratio: 1. Doctrina de causalitate morali in genere spectata 170
2. Doctrina Cardinalis Franzelin 170
Demonstratio: Instituitur ex septem huius opinionis incommodis . 174
Corollarium: 1. Neque sufficit sententia Melchioris Cani . . . 180
2. Neque sufficit explicatio a Vasquez proposita . 181
3. Insufficiens quoque est sententia Cardinalis de Lugo 182
4. Neque sufficit sententia a Scheeben proposita . 182
Scholion: Difficultates solvuntur 184

Thesis 11. Sacramenta tamquam signa practica gratiam causant instrumentaliter dispositive 188

Declaratio: 1. Obvia expositio huius doctrinae 188
2. De patronis eiusdem doctrinae 190
Demonstratio: 1. p. Sacramenta immediate producunt aliquem effectum ad gratiam praevium eiusque exigitivum, atque gratiam ipsam mediate attingunt . . . 193
2. p. Sacramenta signa practica secundi generis sunt 202
3. p. Doctrina statuta omnia, quae ex revelationis doctrina et fontibus theologicis de sacramentorum causalitate tenenda sunt, apta et commoda ratione explicantur 206
Scholion: Difficultates solvuntur 211
Corollarium: 1. Intentio ministri non est constitutivum sacramenti 215
2. De potentia humanitatis Christi operandi miracula 217

Thesis 12. Doctrina in tota hac quaestione proposita satis aperte auctoritate ipsius S. Thomae fulcitur 220

Declaratio: Diversae theologorum de mente S. Thomae sententiae 220

Pagina

Demonstratio: 1. p. Demonstratio negativa, qua ostenditur S. Thomam nec docuisse causalitatem sacramentorum physicam perficientem neque causalitatem moralem 222
2. p. Demonstratio positiva, qua ostenditur S. Thomam utramque doctrinae propositae partem docuisse 228
Scholion: Eadem doctrina ab aliis medii aevi theologis proposita est 233

Quaestio tertia.

De effectibus diversorum sacramentorum propriis.

Articulus primus.

De effectu gratiae singulis sacramentis proprio.

Thesis 13. Sacramenta specie diversa diversam gratiam largiuntur 234
Declaratio: 1. Argumentum et divisio quaestionis 234
2. Argumentum et divisio thesis 234
Demonstratio: 1. p. Gratia sacramentalis ab extrasacramentali aliqua ratione differt atque diversa specie sacramenta diversam gratiam conferunt 235
2. p. Diversitas inter gratiam sacramentalem et extrasacramentalem necnon inter diversas gratias sacramentales explicatur 237
Scholion: Num sacramenta vivorum quandoque gratiam primam conferant 240

Articulus secundus.

De characteris existentia.

Thesis 14. Tribus sacramentis: baptismo, confirmationi, ordini specialis virtus competit, videlicet in anima characterem imprimunt, sive signum quoddam spirituale atque indelebile 244
Declaratio: 1. De vocabulo characteris 244
2. Doctrina catholica 244
3. Ratio demonstrationis 245
Demonstratio: 1. p. Doctrina de charactere sacramentali manifesto in Traditione continetur 245
2. p. Eadem doctrina in Scriptura consignata esse videtur 263
Corollarium: 1. Ratio theologica a S. Thoma proposita . . . 267
2. Conclusio quaedam theologica 268

Pagina

Articulus tertius.

De natura characteris ontologica.

Thesis 15. Character ontologica quadam supernaturali forma continetur, quae ad categoriam qualitatis non immerito reducitur 269

Declaratio: Diversae de natura characteris ontologica sententiae 269

Demonstratio: 1. p. Character mera denominatione externa non constituitur 270

2. p. Character non absolvitur relatione, quae fundamentum ullum absolutum in ipsa anima non habeat 273

3. p. Character ontologica quadam supernaturali forma continetur, quae ad genus qualitatis reducitur 274

Corollarium: Falsa est etiam recentiorum quorundam sententia, secundum quam character realis quidem animae modificatio, non tamen ab eadem realiter distincta esse ponitur 274

Articulus quartus.

De natura characteris theologica.

Thesis 16. Character sacramentalis secundum rationem suam theologicam consideratus primo dicit physicam expressionem potestatis ministerialis sacrae; qua potestate secundo homo iuridice vel legitime capax fit actionum cultus divini secundum religionem christianam; quare tertio character simul signum cum Christo capite, duce, pontifice configurativum et diversorum ordinum christianorum distinctivum est; unde quarto idem signum etiam cum gratia sanctificante nexu causali cohaerere atque quinto indelebile esse intelligitur 276

Declaratio: Argumentum et divisio thesis 276

Demonstratio: 1. p. Character sacramentalis ex natura sua dicit physicam expressionem potestatis ministerialis sacrae, qua homo capax est actionum cultus divini secundum religionem christianam 277

2. p. Potentia, quam character sacramentalis formaliter impertitur, vel cuius actuatio physica est, non dat formaliter potentiam physicam eos actus

Pagina

ponendi, sed tantum posse eos ex officio ponere largitur 279
3. p. Character signum est configurativum cum Christo duce, pontifice 282
4. p. Character sacramentalis cum gratia cohaeret quidem nexu causali, essentialiter vero ab invicem differunt 286
5. p. Character sacramentalis tum in hac tum in altera vita indelebilis est 289
Corollarium: 1. Ex doctrina de charactere confirmatur explicatio causalitatis sacramentorum supra tradita . . . 292
2. Ex proposita doctrina intelligitur, cur tria tantum sacramenta characterem imprimant 293
Scholion: De subiecto, in quo character inhaereat 294

Quaestio quarta.

De institutore sacramentorum.

Articulus primus.

De potestate auctoritatis et potestate excellentiae in sacramentorum constitutione.

Thesis 17. Solus Deus suprema potestate auctoritatis sacramentorum institutor est, Christo vero secundum humanam naturam spectato potestas excellentiae competebat . 298
Declaratio: 1. Quaestionis argumentum et divisio 298
2. Potestatis auctoritatis et potestatis excellentiae notio 299
Demonstratio: 1. p. Solus Deus potestate auctoritatis sacramenta instituere potuit 300
2. p. Christo, in quantum homo est, potestas excellentiae in sacramentorum institutione competebat 301
Scholion: 1. De ambitu potestatis excellentiae 303
2. De communicabilitate potestatis excellentiae . . 305

Articulus secundus.

De immediata sacramentorum per Christum institutione.

Thesis 18. Tamquam certum doctrinae catholicae caput considerandum est, omnia N. L. sacramenta immediate ab ipso Christo, non vero mediate per Apostolos instituta esse 307

Pagina

Declaratio: 1. Status quaestionis explicatur 307
2. Quorundam medii aevi doctorum doctrina . . 308
3. Doctrina statuenda 310
Demonstratio: 1. p. Christum omnia N. L. sacramenta instituisse credendum est 311
2. p. Christus omnia N. L. sacramenta immediate instituit 314
Corollarium: 1. Sacramenta V. L. immediate ab ipso Deo instituta sunt 321
2. Sacramentum legis naturae quoque immediate ab ipso Deo institutum est 323
Scholion: Duplex difficultas expeditur 324

Articulus tertius.

De materiae et formae sacramentorum determinatione.

Thesis 19. Multo probabilius est, Christum in specie determinasse materiam et formam omnium sacramentorum . . . 325

Declaratio: 1. Status quaestionis 325
2. Diversae theologorum sententiae 327
Demonstratio: 1. Probatur ex Concilio Tridentino 328
2. Ex consideratione historica 328
3. Ex auctoritate SS. Patrum et veterum theologorum 329
4. Ex ratione theologica 331
5. Ex labilitate fundamenti praecipui, in quo sententia adversa innititur 331
Scholion: Principia quaedam et regulae circa materiam et formam sacramentorum 335

Quaestio quinta.

De sacramentorum administratione.

Articulus primus.

De ecclesiae potestate circa sacramentorum administrationem.

Thesis 20. Ecclesiae catholicae a Christo Domino suprema dispensationis auctoritas circa sacramenta concessa est; quare primo ab ea omnis potestas sacramenta sive legitime sive etiam valide administrandi derivatur; secundo ecclesia caeremonias in sacramentorum administratione servandas instituere vel immutare potest 342

Pagina

Declaratio: 1. Argumentum et divisio quaestionis 342
2. Argumentum et partitio thesis 343
Demonstratio: 1. p. Ab ecclesiae auctoritate in ministros derivatur potestas, qua legitime sacramenta administrari possint 344
2. p. Etiam potestas valide sacramenta administrandi quadam ratione ab ecclesia pendet 346
3. p. Ecclesia caeremonias in sacramentorum administratione servandas instituere vel immutare potest 349
Corollarium: 1. Soli homines viatores sacramentorum ministri sunt 352
2. Non quilibet homo etiam baptizatus valide sacramenta quaelibet conficere potest, sed ille solus, qui ab ecclesia rite ordinatus vel etiam ad id munus deputatus est 354

Articulus secundus.

De fide et sanctitate ministri.

Thesis 21. Sacramentorum valor et efficacia a sanctitate vel probitate ministri non pendent 357

Declaratio: 1. Ministri notio 357
2. Haereses thesi oppositae 358
3. Doctrina catholica 358
Demonstratio: 1. Probatur ex natura potestatis ministerialis argumento exclusionis 360
2. Ex absurdis sequelis sententiae oppositae . . . 364
3. Ex ipsa rei natura 365
Scholion: 1. Obiectiones quaedam solvuntur 366
2. De obligatione, qua minister sacramentorum tenetur, ut ea administrans in statu gratiae versetur 368

Thesis 22. Neque a fide ministri valor et efficacia sacramentorum pendent 369

Declaratio: 1. De controversia Rebaptizantium 369
2. De erroris Rebaptizantium in subsequenti aetate renovatione 371
3. Doctrina catholica 371
Demonstratio: 1. Probatur argumento exclusionis ex natura rei et Traditione 372
2. Ex decretis magisterii authentici 377
3. Ex ratione theologica 379

Pagina

Corollarium: 1. Non tantum haeretici et schismatici, sed etiam pagani vel qui plane infideles sunt, valide baptizare possunt 379
2. Quod de baptismo, id de ceteris quoque sacramentis valet 380
3. Sacramenta ab haereticis vel infidelibus collata non solum valida sunt, sed quandoque etiam gratiae fructum conferunt 381
Scholion: 1. Obiectiones solvuntur 382
2. De triplici stadio dogmatis in thesi propositi . 388

Articulus tertius.

De intentione ministri.

Thesis 23. Sacramentorum valor iure divino pendet ab intentione ministri id faciendi, quod facit ecclesia 389
Declaratio: 1. Notio intentionis 389
2. Sententiae haereticorum 390
3. Doctrina catholica 390
Demonstratio: 1. Probatur ex ratione potestatis ministerialis . . 393
2. Ex natura signorum sacramentalium 394
3. Ex absurdis, quae ex sententia proposita consequuntur 395
4. Ex auctoritate 395
Scholion: Obiectiones solvuntur 396

Thesis 24. Intentio in ministro requisita, si spectatur prae subiecto, neque intentio interpretativa neque habitualis sufficit; actualis vero non requiritur, sed virtualis sufficit 401
Declaratio: De divisione intentionis subiective spectatae . . 401
Demonstratio: 1. Non sufficit intentio interpretativa 402
2. Neque sufficit intentio habitualis 402
3. Intentio actualis quidem optima et sufficientissima est, neque tamen ad valorem sacramentorum requiritur 403
4. Intentio virtualis ad sacramentorum valorem sufficit 403
Scholion: Difficultates quaedam solvuntur 404

Thesis 25. Si obiectum, quod intendi debet, spectatur, ea ministri intentio non sufficit, quae externa dici solet . . . 407
Declaratio: 1. De divisione intentionis obiective spectatae . . 407
2. De opinione Catharini aliorumque 408
Demonstratio: 1. Probatur ex ratione theologica 409

Pagina

2. Ex authenticis ecclesiae declarationibus . . . 410
3. Ex communi theologorum consensu 413
Scholion: Obiectiones reliquae solvuntur 421
Corollarium: 1. Intentio obiective spectata, necesse non est attingat formaliter et explicite sacramentum ut sacramentum est 425
2. Neque requiritur intentio, quae formaliter et explicite in effectibus vel gratum facientibus vel gratis datis sacramenti versetur 425
3. Neque ea intentio requiritur, quae formaliter et explicite respiciat ritum sacramentalem, quatenus ecclesia catholica eum facit et administrat . . 426

Thesis 26. Spectato obiecto quod intendi debet, ea videtur sufficere intentio, qua sacer ritus vel id, quod facit ecclesia non explicite, sed implicite tantum intenditur; vel sufficit intendere id, quod per identitatem obiectivam tantum, non autem formaliter est id, quod facit ecclesia 426

Declaratio: Argumentum thesis definitur 426
Demonstratio: 1. Probatur per modum corollarii ex praecedenti doctrina 427
2. Ex eo, quod eiusmodi intentio positionem ritus externi ministerialem reddit 427
3. Ex consideratione quadam circa matrimonium instituta 428
Corollarium: 1. Ad valorem sacramenti requiritur, ut intentio ministri spectato modo, quo in obiectum tendit, formaliter aut aequivalenter absoluta sit . . 429
Scholion: 1. Difficultas quaedam solvitur 433
2. De intentione in subiecto sacramentorum ad validam receptionem requisita 435
3. De fide subiecti sacramentorum 445

Quaestio sexta.

De sacramentorum numero et ordine.

Articulus unicus.

Thesis 27. Sacramenta N. L. ita certo continentur numero, ut nec plura sint nec pauciora, quam septem 447

Declaratio: 1. Doctrina haereticorum 447
2. Doctrina catholica 448

Pagina

Demonstratio: 1. Ex diserta professione ecclesiae catholicae inde a saeculo 12 449
2. Ex consensu Graecorum schismaticorum aliarumque sectarum cum ecclesia catholica 454
3. Ex rationibus congruis 461
Scholion: Obiectiones quaedam solvuntur 464
Corollaria: 1. Sacramenta spectata singulorum natura convenienter hoc ordine enumerantur: baptismus, confirmatio, eucharistia, poenitentia, extrema unctio, ordo, matrimonium 476
2. Sacramenta non ita inter se paria sunt, ut nulla ratione aliud alio dignius sit; imprimis ss. Eucharistia prae ceteris dignitate vel perfectione eminet 478

4472

236
M.914

MULLER Jos

AUTHOR
De Sacramentis in Genere

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Sheen	
	McKee OCT 27	
	McKee OCT 11	
	McKee APR 30	

4472